CAROLI FERMAT

Viri undiquaque Doctissimi,

ANALYSIS LOGICA

IN

EPISTOLAM APOSTOLI PAULI

AD

ROMANOS.

IN QUA

Omnia verba, sententiæ & Phrases difficiliores ex sacris Scripturis exactè, solidè & dilucidè explicantur.

IOAN. 1. 39. *Venite & videte.*
ROM. 8. 23. *Suspiramus adoptionem expectantes.*

EDINBURGI,
Excudebant Hæredes *Georgii Andersoni*, Academiæ *Edinburgenæ* Typographi, *Anno* DOM. 1651.

VIRO ORNATISSIMO,

D. *LUDOVICO STUARTO*,

EQUITI,

Oratori Causidicoque Jurisprudentissimo, Disertissimoque

Gratia & pax multiplicetur à *DEO* PATRE, *& Domino Nostro IESU CHRISTO.*

Carolus Fermæus, cùm *Fraserburgi* sacro Verbi Ministerio fungeretur, rogatu quorundam Ministrorum, & Ministerii Candidatorum, scripsit Analysin Logicam in Epistolam *Pauli* ad *Romanos*, eruditionis, pietatis, & exacti judicii plenam. Qui quidem liber multos annos post obitum Authoris jacuit in Aquilone, quasi cum Authore sepultus. Eum ego diù investigavi & tandem, per Divinam Providentiam, in manus meas devenit ejus

exemplar: quod ego Prælo excudendum curavi Typis non inelegantibus. Librum istum, ut tuo nomini inscribam, ut tibi dicem, dedicem, consecremque, multa sunt quæ me argumenta moveant & permoveant. Primùm, quia, ut ego illi Regenti meo, sic Tu mihi Regenti tuo in hâc Academiâ dilectissimus Discipulus fuisti. Ideoque, ut Ego patris, sic ille avi tibi loco fuerit. Deindè, quòd tu, dùm sub nostrâ ferulâ Philosophiæ & bonis artibus operam dares, non tantùm tuæ classi, sed & toti Academiæ bono exemplo, & ornamento fueris. Tu enim modestiâ, gravitate, observantiâ & doctrinâ omnibus Condiscipulis præluxisti, & micuisti (ut ait *Flaccus*) velut inter Stellas Luna minores. Tertiò, quia utilissimam tibi fore confido seriam hujus Libri lectionem: nam, ut CHRISTUM Dominum sincerè amas, ita, ut magis, magisque ames, animabit, ad CHRISTUM propiùs adducet, unicamque docebit semitam ad remissionem peccatorum, æternam justitiam, & vitam consequendam: quæ est fides in Dominum IESUM CHRISTUM. Postremò, si nihil aliud, sanè perpetua tua in me benevolentia & benificentia me induceret ad hanc tui nominis nuncupationem. Quod reliquum est,

gratiæ

gratiæ Domini noſtri IESU CHRISTI te commendo, rogoque ut in filiam meam unicam ejuſque maritum M. *Andræam Morum* M. D. eorumque liberos, hæreditario quaſi jure, amorem tuum, me vitâ functo, transferas. Si quæras quid agam, ſcias me, hoc Anno nativitatis meæ 75. animam pænè agere: nam gravibus ſenectutis laboribus & doloribus attritus, poſt longam in undoſo hoc vitæ pelago jactationem, jam portum ſpecto, expecto & expeto. Æternum ſalve atque vale, mi *Ludovice*, animo meo chariſſime.

Tuus ut ſuus,

IO. ADAMSONUS,

Collegii JAC. R. *Primarius M.*

LECTORI

LECTORI
Erudito & Benevolo.

Cias velim, Lector benevole, de Authore hujus Libelli nonnihil. Author est M. Carolus Fermæus, *Qui* Edinburgi *natus & educatus: ubi Grammaticam & Latinos Authores didicisset, D.* Roberto Rolloco *in Disciplinam Academiæ traditus est:* Rolloci *ductu & auspiciis didicit Grammaticam Græcam, Authores Græcos, Dialecticum* P. Rami, (*quam semper maximi fecit* D. Rollocus, *utpote ad Analysin & Genesin instrumentum maximè idoneum, quo. qui uti nesciunt, in Synthesi fortè aliquid præstare poterunt, in Analysi nihil*) *Rhetoricam* Talæi, Aristotelis *Logica, Physica, Ethica, & doctrinam de Sphærâ* Ioannis de Sacrobosco, Ursini *Catechesin, locos communes Theologicos, quarundam Sacræ Scripturæ Epistolarum Analysin, & Hebraicæ Linguæ rudimenta. Absolvit quadrimum curriculum & Laureâ donatus est,* A. D. 1588. An. 1589. *cum* D. Rolloco *se totum dedit studio Theologiæ*

&

& *Linguæ Sanctæ.* Anno 1590 Rollocus *præfecit eum numerosæ Classi, quæ* An. 1592 *emissa est cum Laureâ. Hoc anno novam Classem aggressus, quam etiam ad metam perduxit. Auspicatus est tertiam Classem, sed vocatus ad Ministe ium,* Fraserburgum *ex Academiâ vocatus est: docuit autem Discipulos cum eruditione pietatem, modestiam, & industriam: nec verbo tantùm, sed & vitâ docuit, moribus & exemplo. Ex Discipulis habuit plurimos, viros pios, doctos & disertos, qui egregiam operam navarunt Ecclesiæ DEI. Ex iis erant* David Calderwodius, *acerrimus Pseudepiscoporum hostis, qui in Altari Damasceno se* Edwardum Didoclavium *per anagrammatismum appellavit: placuit enim viro bono nomen suum celare, quia metuebat in Episcoporum, Orci satellitum, crudeles manus incidere:* Robertus Scot, *qui sacro Ministerio* Glasguæ *aliquot multorum salutem fideliter functus est:* Guilielmus Craig, *qui* Salmurii *Theologiam magna cum laude publicè professus est.* Olivarius Colt, *vir disertus, qui postquam in hâc Academiâ Latinos juxtà & Græcos Authores publicè professus esset, totum se studio Theologiæ dederat: ad sacrum deinde Ministerium* Fuldennum *vocatus est, ubi, post multos exantlatos labores, vi-*

tam

tam cum morte feliciter commutavit: Edwardus Bryce, *qui & hîc, & in* Hiberniâ *multos ad Christum adduxit. Hi erant ex* Fermæi *Discipulis, & alii complures, viri in Ecclesiâ & Rep. eximii. Quanto cum Zelo docuerit* Fraserburgi Carolus, *& publicè, & privatim per singulas domos, totus Boreas novit. Ex ejus industriâ, per benedictionem Divinam, tanta lux affulserat, ut etiam pueruli fidei suæ in Christum, non sine affectu pietatis, optimè rationem redderent. Sed Episcopi, quia eos vocabat plantas à DEO non plantatas, ideoque exstirpandas, quia eos rupti fœderis & perjurii reos arguebat, omnes intendebant nervos, ut eum exstirparent: sæpè à grege semotus est, & carcere conclusus. Sed nullis minis, nullis terriculamentis à fideli officio absterreri poterat. Invicto & imperterrito animo hostium impetum excepit & fortiter sustinuit. Nam quamvis* Tydeus *corpore, animo tamen* Hercules *erat. Tandem autem studio maceratus & laboribus assiduis fractus, beatissimam illam immortalitatem cum erumnosâ hâc mortalitate, Christi gratiâ & misericordiâ, commutavit. Ingenii monumenta varia reliquit: ad meas manus duo pervenerunt, reconditam eruditionem, insignem pietatem & Dei Zelum luculenter ostendentia; Lectiones nimirum in* Esterem, *&*

Analysis ista Logica in Epistolam Pauli *ad* Romanos: *secundum* DEUM *de iis recuperatis gratias ago* M. Guilielmo Rirefio, *Juveni docto & Ministro Verbi. De hâc Analysi, Lector erudite, judicium tuum fore confido, quòd nullus unquam Commentarius Analyticus ad Logicæ regulas, tanquam ad amussim, tam accuratè factus, antehàc in lucem prodierit. Bene vale, Lector benevole, in Domino nostro Iesu Christo, & ad æternam* DEI *gloriam, & animæ tuæ salutem isthoc fruere, donec alterum opus prodierit; quod cum bono* DEO, *propediem futurum spero.*

Tuus in DOMINO,

Io. Adamsonus.

LECTORI.

Vix ullum videas, Lector, prodire libellum,
E mendicatis non tumidum Elogiis.
Quas merces nimium mercator laudat avarus,
Suspectas merito has emptor habere potest.
Hunc ego si possem, nolim laudare libellum,
Nam facile emptorem merx proba repperiet.

M. H. Wallace.

Lessus

Lessus in Funere CAROLI FERMÆI.

Quis mihi amaroris tristes porrexerit undas,
Queis caput explere, & rorantes luminis orbes
Larga liquare queam totos in flumina aquarū?
Lumine tam claro cùm Ecclesiâ cassa gemescat,
Fermæo morte extincto: quem pectore lethe
Nulla meo delere queat, nec iniqua voracis
Temporis invidia imis exstirpare medullis.
Quippe virum gelidam tractu in telluris ad arcton,
Quâ colitur Christus Dominus tellure Britanna,
Vix alium invenias parilem pietate, Deiq;
Zelo, quo totus flagraverat entheus, alma
Quum pietas probitasve malis afflicta gemebat:
Qui verbo & vitâ solum spirabat Iesum.
Quid memorem ingentes animos? quid dia feracis
Ingenii monumenta canam? quibus æthera pennis
Alta petens, apinas mundi altè despiciebat:
Et Christi in causa cuiquam succumbere causæ,
Aut homini indocilis, fidenti pectore adibat
Et patiebatur, quæ homines discrimina quibant
Aut dextra inferre, aut animo intentare feroces:
Nam Dominum vitæ & mortis cognovit desum,
Et Christum in morte & vitâ lucrum esse sciebat,
Omniáq; in mundo compendia stercora duxit.
Tu quantâ virtute homines ad cælica regna

Duxeris

Duxeris ὴ tenebris, norunt queis conſcia mens eſt,
Quàm tu, divino afflatus ſpiramine mentem,
Summi ſacra Dei panxiſti oracla potenter,
Sive homines corde elatos Tu fulmine Legis
Dejicis in Barathrum, terroris dura ſagittis
Pectora configens, ſeu triſti pondere preſſas
Peccati, recreas Verbi ſolamine mentes.
Tene igitur ſiccis oculis meminiſſe licebit,
Tam rarâ virtute virum? tam dotibus alti
Ingenii clarum, & magnum Jehovæ incrementum?
Aſt ego, ſi doleam, cœleſti luce receptum,
Vivida te auratis ubi cingit gloria pennis,
Invidiæ, Macarita, notam mihi inurere poſſes.
Sin propriam lugebo vicem, tibi me ſupereſſe
Vivum, tam docto & fido monitore carentem,
Memet amore mei dicas ſtudióq; teneri.
Ut lachrymis igitur deceat me parcere, non te
Deſinet afflictis exſtinctum Eccleſia rebus
Plangere, qui promptus fueras ſuccurrere lapſæ:
Atque ego, te talem recolens Eccleſiæ ademptum,
Et leſſum faciam, & rorantes luminis orbes
Larga liquabo mihi totos in flumina aquarum.

Io. Adamsonus mœrens
merenti Præceptori ſuo parentavit.

Ad

Ad CAROLUM FERMUM
mutato nomine *Firmum*.

Ejuſdem.

Semper honoratus ſis Firmi *nomine, nam Tu*
Semper pro Chriſti nomine Firmus *eras.*
Firmior *& rupes es, quæ clauſa eſt undiq; ponto,*
Diſrumpit fluctus, Firma *ſed ipſa manet.*
Te Papiſtarum, Prælatorumque catervæ
Perdere quum nixi, nixus inanis erat.
Illorum, Domino ceu petræ Firmus *adhærens,*
Contempſiſti inſons probra feraſque minas.
Nam Chriſtus Firmum *ſibi te præſtare volebat:*
Et ruit in caſſes impia turba ſuos.
In ſpumam verſæ, quæ te petiere, feroces
Undæ, Tu, ut Baſſus, Firmitèr *uſque manes.*
Te piëtas, te ſancta fides, Dominique potenteis
Firmum *& invictum conſtituere manus.*
Et verbo & vitâ, calamóq; inſignia Chriſti
Prætuleras populo, ut te ſequeretur ovans:
Adduxſti ad Chriſtum multos, nunc tute triumpha
Cum Chriſto, Angelicis conſociate choris.
Ingenii monumenta tui præclara cluebunt,
Ignea dum volvet lucidus aſtra polus.
Sed ſequiora manent hoſtes, niſi Chriſtus Iëſus
Commiſerans, mentes his renovare velit.
Interiere ſimul, ſubitâ graſſante ruinâ,
Pontifices, animam qui petiere tuam:

In ſqualore jacent, ignominiâque ſepulti,
Et meritas pœnas impia turba luit.
In ſpumam & fumum paritèr vertantur inanem,
Quotquot de ſervis ſic meruere DEI.
At Firmi *maneant Domini qui juſſa capeſſunt,*
Atque illis tecum vita beata ſiet.

Ejuſdem in die Obitus.

UNâ luce priùs Sol unicus occidit orbi,
Occidere hæc ſoles lux videt una duos.
Sol cœlo eſt Phœbus, *terræ* Fermæus, *at ille*
Luce oculos, cæca hic pectora luce beat.
Sed ſurget Phœbus *luce &* Fermæus *eâdem,*
Quum veniet fœlix ultimus ille dies.
Poſtea non ſurget Phœbus, *ſed culmina Cœli*
Scandet Fermæus, *ut ſuper aſtra micet.*
Purior & Phœbo *ſplendebit terrea moles,*
Æterno felix irradiatâ die.
Chriſtus, juſtitiæ Sol, tunc erit omnibus omnia,
Illaque Sanctorum gloria Chriſtus erit:
Gloria tùnc Patri, æterno tunc gloria Nato,
Spiritui & Sancto gloria ſemper erit.

Another

Another funeral Elegie and Elogie in memory of that faithfull Servant of JESUS CHSIST, M. *Charles Ferme.*

IF Learning, Grace and Godlineſſe
could lengthen humaine life,
So ſoon then had not *Atropos*
drawn forth the fatall knife,
To cut the ſhort threed of thy dayes,
ſcarce fiftie yeers out-ſpunne,
Nor ſhould another mortall Thee
in length of life out-runne.
But ſith thy Ghoſt is gone, and left
it's little houſe of clay,
Let all ſurviving ſouls be ſure
that here they can not ſtay.

I. A. P.

Epitaphium.

Carolus *hìc ſitus eſt* Fermæus, *ſervus Ieſu,*
Quò nemo vixit doctior, aut melior.

M. G. Rireſius, M. V.

EPISTOLÆ PAULI Ad ROMANOS

ANALYSIS LOGICA.

HAnc Epistolam Apostolus sibi Romam ituro præmittit: in quâ (ut videtur) scopus est & propositum Apostoli; hâc, veluti quâdam Isagoge, præparare animos Romanorum ad audiendum Euangelium, & avidè amplectendum, ubi ipse veniret, & ipsum prædicaret: Quamobrem consultò videtur hanc thesin in hâc Epistolâ disputandam sumere, quòd Euangelium sit potentia DEI ad salutem, hoc est, quòd Euangelium sit unica illa veritas, secundum quam DEUS rectè colitur, & quæ justitiam, pacem, ac salutem æternam adferat hominibus; quâm ubi disputarit appendicis loco & consectarii, hortatur ad vitam Euangelio dignam, quæ altera pars præparationis est; ideoque Epistola tres sunt partes. Prima exordium est ad *vers.* 16. *Cap.* 1. In alterâ institutum & scopus

Apoſtoli tractatur, præparanturque animi Romanorum ad Euangelium audiendum. Hinc ad *verſ.* 15. *Cap.* 15. Unde ad finem eſt prolixa & multivaria concluſio.

Caput primum.

EXordii & primæ partis duo membra, ſalutatio ad *verſ.* 8. & hinc ad 16. benevolentiæ captatio. In ſalutatione tria ſunt conſueto *Pauli* more, perſona ſalutans primis 6. verſibus, perſonæ ſalutatæ, cum ſalutatione ipſa & εὐχή, *verſ.* 7.

1. *Paulus ſervus Ieſu Chriſti*, perſona ſalutans, quæ deſcribitur adjuncto munere & officio ſuo, primum γενικῶς expreſſo (*ſervus*) deinde ſpecialiter, eſt Apoſtolus; qui *Pauli* Apoſtolatus deſcribitur ſubjecto, *Servus eſt ſeu Apoſtolus Ieſu Chriſti Domini.* Deinde cauſâ ſuâ efficiente, non aſſumptus ab ipſo eſt, ſed ipſe ad hunc Apoſtolatum vocatus eſt vocatione DEI, ſeparatus ad prædicandum Euangelium DEI; quam vocationem *Paulus* explicat definitione: vocatio enim *Pauli* ad Apoſtolatum eſt ipſius ſeparatio ad prædicandum Euangelium DEI de Filio IESU CHRISTO Domino noſtro. Conſtat definitio genere, vocatio eſt ſeparatio vocati, & fine pro formâ ad prædicandum Euangelium.

2. *Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.* Digreſſio eſt in explicationem Euangelii DEI, quod deſcribitur ab adjunctis promiſſionibus antegreſſis, quarum inſtrumentalis cauſa Prophetæ, & Scripturæ ſanctæ, ſubjectus locus.

3. *De Filio ſuo.* Secunda illuſtratio Euangelii à ſuo ſubjecto, quod eſt Filius DEI, qui deſcribitur, primum

à naturâ humanâ, ejusque causâ materiali, factus est caro ex semine *Davidis:* Secundò, à Deitate suâ, *Filius DEI est:* quod demonstratur ex effecto, potenti resurrectione à mortuis, quæ etiam declaratur sua causa, Spiritu Ipsius sanctificante.

4. *Nempe, Iesu Christo Domino nostro.* Tertia illustratio Filii DEI à suis titulis & nominibus, quorum primum ab effecto sumptum est, in nobis servandis, *Iesus est*; *Mat.* 1. 21. Secundum ab adjunctâ unctione, CHRISTUS est: & tertium, à dominio suâ redemptione nostri comparato, Dominus noster est.

5. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum.* Quarta illustratio Filii, à suis, in *Paulo*, effectis, seu beneficiis in eum collatis, gratiam dedit prædicandi Euangelii, & Apostolatum, quo authoritas facta excercendi gratiam & prædicandi Euangelium: *ad obedientiam fidei inter omnes gentes pro Ipsius Nomine.* Gratiam & Apostolatum, in *Paulum* collatum, explicat fine duplici. Prior est fidei obedientia, quæ subjecto declaratur, inter gentes. Alter & ulterior finis est, glorificatio CHRISTI Nominis ex illâ obedientiâ, vel Nomen Christi pro Christo est, subjectum gratiæ fidei prædicatæ gentibus; non enim est aliud nomen, *Act.* 4. 12.

6. *Inter quas estis etiam vos.* Finem sui Apostolatus applicat Romanis, hoc modo: Datus mihi Apostolatus, ad obedientiam fidei inter gentes; At vos estis in gentibus. Ergo & ad obedientiam fidei in vobis. *Vocati à Christo Iesu.* Exegesis est & subjecta explicatio eorum *Romanorum*, ad quorum fidei obedientiam dixit datam sibi gratiam Apostolatus. Apostolus sunt vocati, non externo duntaxat ministerio, sed ab Iesu Christo,

hoc est, intus et efficaciter: Hactenus persona salutans.

7. *Omnibus qui Romæ estis.* Personæ salutatæ *Romani*, qui adjunctis describuntur, dilectione DEI, vocatione & sanctitate. *Gratia sit vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Tertia pars salutationis εὐχὴν continens, qua precatur *Romanis* bona, gratiam & pacem, à suis causis & authoribus, *Deo Patre & Iesu Christo Domino.*

8. *Imprimis quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum.* Altera pars exordii, quâ captat benevolentiam *Romanorum*, ad quos scribit. Argumenta sumpta sunt ab effectis *Pauli*, quæ *Paulus* isthîc quatuor enumerat, omnia præ se ferentia animum in *Paulo Romanis* amicum, & dignum qui vicissim redametur.

Primum effectum est gratiarum actio. *Gratias ago.* Quæ actio gratiarum illustratur tribus argumentis. Primum subjecto seu objecto, eoque duplici, ultimo qui DEUS est, illustratus adjuncta professione *Pauli*, ad DEUM enim meum (ait Apostolus) dirigo gratiarum actionem meam. Deinde objecto medio, qui est Iesus Christus, *Gratias ago Deo per Iesum Christum.* Hinc docere vult obiter *Romanos Paulus*, nullam gratiarum actionem, vel legitimam aut licitam, nisi quæ ut sacrificium offeratur DEO, vel etiam DEO acceptam esse, nisi quæ offeratur per Iesum Christum; ideoque εὐχαριστίας gentium, idolis factas, & Judæorum, quæ DEO, sed non per Christum, utrasque ineptas, nec acceptas DEO. *Super omnibus vobis.* Alterum argumentum & materialis causa εὐχαριστίας Paulinæ, gratias ago DEO, & vos materia, seu de vobis omnibus, *Quod fides vestra annuntiatur in toto mundo.* Tertium & ultimum argumentum

mentum & causa Paulinæ εὐχαριστίας, quæ fides *Romanorum* est, Gratias ago DEO de vobis omnibus (ait *Paulus Romanis*) & fides vestra causa est, quæ explicatur adjunctâ annuntiatione & subjecto loco in toto mundo. Fidem hîc intelligo ipsorum erga DEUM religionem & professionem verbo & facto doctrinæ fidei.

9. *Testis mihi enim est Deus.* Alterum argumentum ad benevolentiam captandam est, & alterum effectum *Pauli*, quod est mentio facta de *Romanis* indesinenter, quam accipio non duntaxat de gratiarum actione aut precibus intelligendum; illa enim præcessit, & hæ sequuntur, sed etiam & magis de *Pauli* solicito studio & studiosa solicitudine in percontando, ad omnem occasionem, statum & conditionem *Romanorum*, quæ esset, quod ad DEUM & Christi Euangelium attinet. Hinc videtur fidem facere quod statim postquam dixit aununtiari fidem *Romanorum* in toto mundo, hoc est omnium nuntio ad se perferri ubicunque terrarum esset, statim rationis loco subjicit: nam testis mihi Deus quod mentionem faciam vestri, quasi causam innuens cur sibi, magis quam ulli alteri fides ista *Romanorum* annuntietur, quod nimirum magis ille de iis mentionem faciat & percontetur de statu eorum: hanc autem suam de *Romanis* mentionem confirmat Divino testimonio, & Deum testem suæ sollicitudinis illustrat adjuncto suo famulitio, *Testis enim mihi Deus, cui ego servio spiritu meo in Euangelio Filii Ipsius.* Servitium hoc rursus amplificat duobus argumentis: Quorum prius est adjunctus modus serviendi, *Spiritu meo*, i. e. alacriter toto animo & sincerè; Alterum argumentum à subjecto est, *Illi servio in Euangelio.*

10. *Semper in precibus meis rogans.* Tertium benevolentiæ argumentum eſt & tertium *Pauli* effectum, quo eam captat, nimirum preces conceptæ Deo ad uſum & utilitatem *Romanorum*, quæ amplificantur materiali cauſa, quæ eſt ipſius ad eos adventus, *Precor ut ad vos veniam*, & adjuncto modo, precatur hypotheticè & ſub conditione, nimirum, *Si ex Dei voluntate detur iter proſperum*, cui voluntati Dei permittit proſperi ſui itineris & tempus & modum. Ubi exemplo nos docet *Paulus*, quod præcepto *Jacobus*, nimirum noſtra omnia vota ſubjiciamus voluntati Dei in iis quibuſcunque per verbum non eſt ea Dei voluntas proſpecta, qualia ſunt hujus vitæ pene omnia.

11. *Expeto enim videre vos.* Ultimum argumentum benevolentiæ à quarto *Pauli* effecto, vel ſi libet, adjuncto deſiderio videndi ipſos, quod illuſtratur fine duplici. Prior, *Ut impertiar vobis aliquod donum ſpirituale.* Alter & ulterior, *Ut vos ſtabiliamini.*

12. *Hoc eſt, ad communem exhortationem percipiendam apud vos.* Epanorthoſis eſt, quâ corrigit ſimul & explicat proximos duos fines deſiderii ſui, ſignificatque deſiderare ſe illis adeſſe, ut quam conſolationem DEUS illis tribuerit per eum, ipſe ejuſdem cum illis eſſet particeps, ut exhortatio communis eſſet ipſi docenti cum illis quos doceret, & fides utriſque in commune augeretur: quo docet nos Apoſtolus, quod clariſſima Eccleſiæ lumina lucem communicando luceſcerent, docendo alios erudirentur, & operando in aliis fidem ipſi magis magiſque crederent, 1*Cor.* 9. 23.

13. *Nolim autem vos fratres ignorare me ſæpè propoſuiſſe venire ad vos.* Prolepſis eſt: Dicerent enim

Romani

Romani Paulo: si tanto tu teneris desiderio nos visendi, cur non unquam ad nos veneris, tanto jam tempore functus Apostolatu? Respondet, proposuisse se sæpè venire: sed præter animi sui sententiam se huc usque impeditum. *Ut fructum aliquem haberem inter vos quoque.* Propositi sui à fine amplificatio, *Sicut & inter reliquas Gentes*, & finis à simili amplificatur.

14. *Et Græcis & Barbaris.* Remotâ objectione, ad desiderium suum redit & ultimum argumentum, cujus rationem hic reddit ab adjuncto suo debito, quod distributione à subjectis illustratur. Hoc igitur modo ratiocinatur, *Ego omnibus debitor sum, & Græcis, & Barbaris, & sapientibus & insipientibus, quapropter & vobis.* Itaque *quicquid in me situm est, promptum est ad vobis quoque qui Romæ estis, Euangelizandum.*

16. *Non enim pudet me Euangelii* CHRISTI. Alterum consequentis argumentum, à disparato, prædicare renuerem si puderet Euangelii: at non pudet, quod ad me igitur, paratus sum Euangelizare. Hactenùs præfatio fuit & prima Epistolæ pars. Sequitur altera, & Isagoge illa, quâ (ut dictum) præparat animos Romanorum ad recipiendum Euangelium, si, quo modo aliquando prosperum ei iter detur in voluntate Dei, ut veniens ad eos, Euangelium predicet. Hæc Isagoge duabus partibus constat, prior est Euangelii commendatio, ad *cap.* 12. Altera hortatio est ad vitam dignam Euangelio. Inde ad *vers.* 15. 15. *Cap.* prioris partis summa est definitio Euangelii. Euangelium (ait *Paulus*) potentia DEI est ad salutem cuivis credenti, quæ definitio tribus constat partibus, genere, DEI potentia est. Fine pro formâ, ad salutem, & subjecto, quod est quicunque

quicunque credens Euangelio. Potentia DEI dicitur Euangelium per Metonimiam Adjuncti pro Subjecto, vel, ſi lubet, cauſæ inſtrumentalis pro effecto, quod eſt Chriſtus Euangelio communicatus, & fide receptus; is enim propriè DEI eſt & potentia & ſapientia ad ſalutem credentibus, ut Apoſtolus docet, 1*Cor.* 1. 24. Dicitur enim Euangelium potentia Dei: quia unicum eſt inſtrumentum Chriſti nobis communicandi, in quo DEUS potentèr agit, reconcilians ſibi mundum in Eo, nec imputans eis lapſus eorum, cujus reconciliationis & gratuitæ remiſſionis peccatorum inſtrumentum & ſermo eſt Euangelium, *Paulo* concreditum, 2 *Cor.* 5. 16. 19. *Ad ſalutem.* Ad ſalutem dicitur Euangelium & cognitionem Dei in Chriſto per ipſum, ad oſtendendum diſcrimen Euangelii & operum creationis; quia ἀπὸ ϛῆς τῦ κοσμικῦ κτίσεως, & rebus creatis ut Apoſtolus loquitur infra verſ. 20. quæ etiam potentia Dei eſt, quâ inviſibilia Dei intellecta pervidentur. Mundi itaque creatio potentia eſt DEI, ex quâ ipſe innoteſcit, quemadmodum ex Euangelio: ſed hoc diſcrimen eſt, quod ex Euangelio innoteſcat ad ſalutem, ex rebus factis autem, non ad ſalutem, ſed ad præripiendum homini excuſationem, dum judicat DEUS, quam differentiam notat Apoſtolus, 1*Cor.* 1. 21. Secundò, ad ſalutem dicitur Euangelium eſſe Dei potentia, ad ipſum diſtinguendum à Legis miniſterio, ut Lex eſt oppoſita Euangelio, illud ſiquidem Legis miniſterium, miniſterium Dei eſt & gloriofum: ſed mortis & quo innotuit peccatum non ſalus quæ ex ſolo Euangelio noteſcit. Vide *Rom.* 3. 20. & 2*Cor.* 3. 6. Tertiò, ad ſalutem dicitur Euangelium eſſe Dei potentia, ad animos *Romanorum* avocandos ab

omni

omni ſuo Idololatrico cultu, in quo prius acquieverunt, ut in vitæ & fœlicitatis miniſterio, ſicut *Samaritani* in fraudibus *Simonis*; innuere itaque vult Apoſtolus omnem illum ipſorum laborem, quo ſe fatigarunt in Idolorum cultu, inanem eſſe, quod ex ſolo Euangelio innoteſceret ſalus (*Judeo imprimis, tum etiam Græco.*) Subjectum ſalutis Euangelicæ explicat Apoſtolus ſuis partibus & adjuncto partium ordine. Salus iſta credentium communis eſt & *Judæis* & *Gentibus*, ſed *Judæis* primum, ut primo genito Dei oblata eſt: Deinde ad *Gentes* (quæ *Græcis* iſthîc ſignificantur) converſa eſt, ut Apoſtolus loquitur, *Act.* 13. 16.

17. *Juſtitia enim Dei per illud retegitur ex fide in fidem.* Propoſitionem hanc ſuam, Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem, confirmat Apoſtolus, & confirmationis argumentum unicum ab effecto Euangelii, ſeu Chriſti Euangelio annuntiati, quod eſt juſtitia Dei, quæ eadem proxima ſalutis cauſa. Argumentum ſic ſe habet, quocunque retegitur Juſtitia Dei, ipſum illud eſt potentia Dei ad ſalutem; nam Dei Juſtitia illius ſalutis eſt cauſa proxima; At Euangelio retegitur Juſtitia Dei, quare ipſum illud Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem hominibus. Juſtitiam hic intelligo eam qua coram Deo juſti ſunt homines, quæ ideo dicitur Dei juſtitia, non hominis; quia Dei donum eſt, non meritum hominis, ut ſenſus propoſitionis ſit, quod ea ſit potentia Dei ad ſalutem qua retegitur gratuitum illud donum Dei, (ſic Dominus loquitur, *Ioan.* 4. 10.) quo nos juſtificati, participes efficimur ſalutis Dei: huic propoſitioni in textu ſubſumit Apoſtolus. Juſtitia enim Dei (ſeu donum gratuitum Dei, quo nos juſtificati efficimur participes

ſalutis

ſalutis Dei) per illud (id eſt, per Euangelium) retegitur, & hanc aſſumptionem probat duobus argumentis, utriſque à teſtimonio. Prius quidem Eccleſiæ eſt & veteris & novæ. Ita enim accipio verba ex fide in fidem: hoc eſt, hæc fides fuit veteris Eccleſiæ, juſtitiam ex Euangelio in promiſſionibus patefacto retectam, & eadem fides continuatur in novam Eccleſiam, juſtitiam Dei, nimirum in Euangelio retegi jam planè patefacto: probatio hujus interpretationis ex *Act.* 15.10, 11. *Quid tentatis Deum* (ait *Petrus*) *imponendo jugum cervici Diſcipulorum, quod neque Patres noſtri,* id eſt, vetus Eccleſia, *neque nos* (jam patefacto CHRISTO) *portare valuimus: quum per gratiam Domini Ieſu Chriſti, credimus nos* (novam & Euangelicam Eccleſiam) *ſervatum iri, quemadmodum & illos* (Eccleſiam Patrum) Hinc, ait *Petrus*, communem fidem fuiſſe & veteris Eccleſiæ, & noſtram ſub Euangelio ab illis, quod juſtitia Dei ſit Euangelio retecta. Idem habet *Paulus, Gal.* 2. 15, 16. *Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores*, id eſt, vetus Eccleſia, & qui promiſſiones habuimus, *ſcientes non juſtificari hominem ex operibus Legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti, etiam nos,* (inquit *Paulus*) vetus Eccleſia, *in Chriſtum Ieſum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti.* Ita etiam accipio loqui Apoſtolum hoc loco, quaſi dicat quod Juſtitia Dei per Euangelium retegatur, non eſt novum & Patribus inauditum, ſed ex fide in fidem eſt. *i.e.* Communi teſtimonio jam olim & nunc credito, comprobatum. Hoc argumento ab Eccleſiæ veteris praxi & teſtimonio, quanquam ſæpè utatur Apoſtolus, ne offenſioni eſſet & propter auditores: quia tamen

men infirmum videri posset, sicut dictum à Domino, *Joann.* 5. 34. *Ego ab homine non capto testimonium*; ideo subjicit aliud argumentum assumptionis & testimonium firmius è Propheta petitum, *Hab.* 2. 4. *Justus ex fide vivet.* Si enim vita est justificato ex fide Euangelii, tum sequitur quod per Euangelium retegatur justitia Dei; vel ut apertius dicam, fides amplectitur Euangelium, quare Justus coram Deo ex fide justificatur justitiâ eâ quæ retegitur Euangelio, quam cum Propheta dicat vita & salute donari, dicit etiam ex Euangelio retegi Justitiam Dei ad salutem.

18. *Palam enim est ira Dei è Cœlo adversus omnem impietatem.* Hactenus probavit Apostolus suam Euangelii definitionem, & hinc deduxit disputationem suam, quod ex fide Euangelii sit ea justitia qua nos coram Deo Justi, & quam sequitur salus & vita æterna: quod quia *Romanis* dubium & *Judæis* & *Gentibus*, utrisque ex operibus vel Legis vel naturæ ad Justitiam contendentibus, facit Apostolus τὸ πρωτομενον, & deinceps disputat, quam disputationem ex proximè citato Prophetæ testimonio bipartitam facit; nam in illo *Habackuk* testimonio duo dicuntur: unum quod justitia illa, quâ coram Deo homo justificatur, sit per fidem Euangelii, seu per fidem in Christum secundum Euangelium: Alterum, quod eorum omnium sit vita, & eorum duntaxat, qui justi sunt ex fide Euangelii, seu qui in Christo Iesu sunt, habentes ejus justitiam, quæ per fidem est Euangelii. Secundum hanc Prophetæ partitionem doctrinæ Euangelicæ, duas facit Apostolus suæ disputationis partes. Quarum prior de Justitiâ est, & hinc continuatur ad *Cap.* 8. Altera de vitâ est, inde ad *Cap.* 12. utraque suam ha-

bet κατασκευην primum, quâ confirmat Apoſtolus veritatem: Deinde ἀνασκευην ſeu refutationem, qua removentur objectiones adverſus veritatem, prioris diſputationis (quæ de fidei juſtitia eſt) κατασκευην hinc incipit & proſequitur ad *Cap.* 5. *verſ.* 20. Unde ad *Cap.* 8. ἀνασκευην tractat; & quod ad κατασκευην attinet, juſtitiam ex fide primum probat ad *Cap.* 5. Deinde illuſtrat effectis à principio 5. *Cap.* ad *verſ.* 12. Unde ad *Cap.* 5. *verſ.* 20. concluſio eſt variæ amplificata. Probatio tribus conſtat argumentis. Primum ex diſparatis eſt, Lege Moſaicâ, quâ *Judæi* gloriati, & lege naturæ, quâ *Gentium* Philoſophi & ſapientes: quam utramque conjungit Apoſtolus ut oppoſitam Euangelio, & ſic argumentatur, vel ex Legis operibus juſtificatur homo coram Deo, vel ex fide, non ex Legis operibus. Ergo ex fide. Hoc argumentum proſequitur hinc ad principium *Cap.* 4. & aſſumptionem primùm probat (propoſitionem etenim ut conceſſam accipit) aſſumptionis probandæ argumentum unicum ab adjuncto reatu communi omnium. Omnes homines (& *Judæi & Gentes*) rei ſunt omnis & impietatis & injuſtitiæ (tranſgreſſionis utriuſque Legis tabulæ) Ergo ex operibus Legis, vel Moſaicæ vel naturæ non juſtificabitur, ſive *Judæus* ſit, ſive è *Gentibus*. Antecedens probatur, primum in communi, deinde per partes. Commune argumentum eſt ab effecto impietatis & injuſtitiæ, quod eſt ira Dei cœlitus manifeſtata in ſuis judiciis. Ira Dei è Cœlo retegitur ſeu manifeſtata eſt in ſuis judiciis adverſus omnem impietatem & injuſtitiam hominum quorumcunque. Ergo omnes homines rei impietatis & injuſtitiæ. Hujus Enthymematis antecedens eſt iſto *verſ.* 18. & prima

ejus

ejus parte. *Ut qui veritatem injustè detineant.* In alterâ hâc parte *vers.* habetur proximi Enthymematis consequens, (ergo omnes homines rei impietatis & injustitiæ) illudque amplificatur argumento majorum, etiam habentes lucem pietatis & justitiæ; nam veritas ista illa lux est & cognitio officii Deo & hominibus præstandi, quæ habetur per Legem, sive scriptam sive non scriptam: & hanc injustè detinere, est, hanc habentes, impios tamen esse & injustos, & contra eam transgressores officii. Quare sensus verborum est, omnes homines sunt impietatis & injustitiæ rei, (quod consequens Enthymematis) etiam habentes veritatem Dei contraria docentem. *Et* hactenus communis probatio antecedentis fuit, quodque omnes homines veritatem injustè detineant, seu quod idem est rei sint impietatis omnis & injustitiæ. Idem deinceps probat per partes. Primum quidem de *Gentibus*, quod injustè veritatem detineant, à 19. *vers.* primi Capitis ad 6. *vers.* 2. *Cap.* Deinde transitione facta de *Judæis* etiam ad *vers.* 20. 2 *Cap.*

19. *Quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis.* In priore probationis parte duo sunt membra; Primum enim probat Apostolus amplificationis argumentum, & quod *Gentes* veritatem habuerint, ad *vers.* 21. Deinde quod injustè detinuerint in sequentibus reliquis. Argumentum probationis est à causa efficiente; Deus fecit iis manifestam veritatem suam. Ergo *Gentes* veritatem Dei habuerunt cognitam, seu quod de Deo cognosci potest, id in *Gentibus* manifestum fuit. Hujus probationis pars utraque habetur *vers.* 19. Sed καὶ ὑσεξῶσιν, consequens priori loco est & antecedens sequitur: tantum in verbis notandum

est

eſt quod τὸ γνωστὸν τ̃ Θεοῦ ſignificet Dei cognitionem & veritatis ipſius quatenus capax eſt illius homo, non jam corruptus, ſed per naturam etiam adhuc integram; Deus etenim cum infinitus ſit, non niſi à ſeipſo facie, id eſt, perfectè cognoſci poteſt, quanquam igitur *Gentes* (prout homo jam corruptus eſt) non poſſunt cognoſcere τὸ γνῶστὸν τ̃ Θεοῦ, id quod homo, ſi non fuiſſet lapſus, noſſe potuiſſet, tamen illud quod de ſe noſci poſſet ab homine Deus in ipſis etiam *Gentibus*, hoc eſt, inter ipſas manifeſtum fecit, *Pſal.* 19. 1, 2, 3, 4. Unde 1*Cor.* 1. 21. illa manifeſtatio dicitur ſapientia Dei, quam (ait hîc Apoſtolus aliqua ex parte remanſiſſe cognitam, etiam in *Gentibus*, & poſt lapſum: quare duò iſta dicit Apoſtolus. Primum, Deum in ſua ſapientia ſe *Gentibus* manifeſtaviſſe, & ſuam cognitionem communicaviſſe, ut fieri & ferri potuit ab homine. Deinde quod hujus cognitionis aliquam partem etiam *Gentes* homines ψυχικοὶ & corrupti habuerint.

20 *Ipſius enim inviſibilia dum ex rebus conditis intelliguntur.* Probat proximum antecedens argumento à ſubjectis & τῆ κτίσει rebus creatis. Deus cognoſcitur etiam ejus inviſibilia ex rebus creatis, & inde ex quo creatæ ſunt. Ergo Deus quod de ipſo cognoſci poteſt, manifeſtum fecit *Æterna, videlicet, ejus tum potentia, tum Divinitas*, Dei inviſibilia illuſtrat exemplorum inductione. *Ad hoc ut ſint inexcuſabiles.* Proximum argumentum & manifeſtationem Dei ex rebus creatis illuſtrat Apoſtolus ſuo fine & uſu, naturalis de Deo cognitio in *Gentibus*, quamquam impotens ad ſalutem: efficax tamen ad ipſas reddendas inexcuſabiles.

21. *Propterea quod cum Deum cognoverint, tamen non*

non ut Deum glorificaverunt. Sequitur alterum membrum primæ probationis, & quod *Gentes*, veritatem habentes, seu cognitionem Dei, injustè tamen detinuerunt: cujus probationis duæ partes, quarum prior communiter spectat omnes *Gentes*, cujuscunque status & conditionis, altera privatim sapientes eorum. Prior habetur reliquo capite, Posterior sequentis initio. Prioris probatio, & qua omnes *Gentes* convincuntur, injustè detinentes veritatem cognitam, ab effectis sumpta est ipsarum *Gentium*, iisque duplicibus. Omissis primum quæ fecere debuissent, factis deinde quæ non feciſſe debuissent. Unde Apostolus in hac probatione duplicis peccati convincit *Gentes* omissionis, nimirum & commissionis. Omissionis duo peccata enumerantur. Prius est quod Deum cognitum non glorificarint: Alterum quod Deo benefico non egerint gratias. *Sed vani facti sunt in ratiocinationibus suis.* Sequuntur peccata commissionis, quæ enumerantur duplicia, interna primum, externa deinde: interna tria enumerantur. Primum est vanitas, *Vani facti sunt.* Vanitatem intelligo aberrationem à vero Deo & cognitione ipsius, sub specie tamen cognitionis & intelligentiæ. Hæc vanitas illustratur sua causa instrumentali, quæ est ipsorum ratiocinatio, quo respiciens Apostolus, *Rom.* 8. 7. *carnis sapientiam inimicitias dicit esse adversus Deum*, quod nimirum (ut isthic loquitur) carnalis mentis ratiocinatio vanum reddat, & à Deo abducat, ac notitia ipsius. *Et obtenebratum est desipiens cor eorum.* Secundum peccatum internum lucis à Deo ministratæ extinctio & loco cognitæ veritatis inductæ tenebræ, sequentes ex vanitate illa mentis præcedente.

22. *Cum*

22. *Cum ſe profiteantur eſſe ſapientes, ſtulti facti-ſunt.* Tertium peccatum internum κενοδοξια qua ſibi placebant in ſuis tenebris & ſtultitia, quaſi ipſa ſapientia eſſet.

23. *Mutarunt enim gloriam incorruptibilis DEI in efformatam imaginem mortalis hominis.* Hactenus interna peccata *Gentium*, externa ſequuntur, & quidem duplicia. Primum, impia facta adverſus primam Legis tabulam, *Mutarunt enim gloriam incorruptibilis DEI in effigiem efformatam corruptibilis creaturæ*, quæ hîc inductione partium explicatur *homo, volucris, quadrupes, reptile*; primum itaque hoc externum peccatum eſt Idololatria.

24. *Quamobrem tradidit eos DEUS cupiditatibus cordium ipſorum.* Sequitur injuſtitia & tranſgreſſio adverſus ſecundam Tabulam, cujus primum oſtenduntur cauſæ, deinde partes enumerantur. Cauſæ duæ ſunt, proxima & remota ſeu prima. Proxima eſt Dei, ut juſtiſſimi Judicis, & peccato peccatum punientis, traditio, qua *Ipſos dat cordium ipſorum cupiditatibus ad immunditatem, ut fœdentur corpora ſua inter ſe.* Illuſtratur cauſa proxima à ſuo fine, qui eſt juſta recompenſatio impietatis ipſorum, ut etiam poſtea loquitur Apoſtolus, *verſu* 27.

25. *Ut qui DEI veritatem mutarunt in mendacium.* Altera cauſa & prior ea quæ jam dicta eſt, ſeu ratio cur ipſos tradiderat Deus, juſtiſſimus Judex, ipſorum affectibus, à peccato ipſorum præcedente, *Mutarunt veritatem DEI in mendacium*, quod ipſorum fuit peccatum internum, ut antedictum eſt, *& coluerunt ac ſervierunt rebus creatis, præterito Creatore,*

quæ

quæ fuit ipsorum externa Idololatria, ut supra dictum. *Qui est benedictus in sæcula, Amen.* Ad aggerendum *Gentium* Idololatriam, describit Apostolus Deum Creatorem, cujus cultum alio derivarunt *Gentes*, à suâ benedictione sempiterna, & quidem consultò, ut ostēdat *Gentium* Idololatriam quanquam ipsis pernicioſam; nihil tamen vel detraxisse vel potuisse detrahere Deo id quod ipse sua approbatione & voce *Amen* expressa confirmat.

26. *Quapropter, inquam, tradidit eos Deus fœdis affectibus.* Consequens Enthymematis, quo causam proximam injustitiæ *Gentium* infert, ex priore & ipsorum peccato, partim interno, partim externo: atque ita hactenùs causæ fuerunt injustitiæ *Gentium* & transgressionis secundæ Tabulæ, quæ in ipsis viguit, nimirum impietas ipsarum, & inde ira Dei ardens ad vindictam, quâ traditi fœdis suis affectibus ad perpetrandum omnem fœditatem; partes sequuntur injustitiæ hujus, quarum prima illa est abominanda illa, & παρα φυσιν scortatio; *Nam & fœminæ illorum mutarunt naturalem usum in eum qui est præter naturam.* Hæc explicatur primum distributione ex subjectis. Fœminarum est, *& fœminæ mutarunt naturalem usum in eum qui est præter naturam.* Masculorum est, *Et masculi in masculos arserunt libidine.* Secundo, eadem explicatur pari. Hæc fœda scortatio, & naturæ contraria, fuit par compensatio erroris sui, hoc est, Idololatriæ & spiritualis adulterii.

28. *Et sicut non visum est iis Deum in notitiâ retinere.* Transit ad enumerationem reliquarum partium injustitiæ repetitione causarum ipsius simili comparatione propositarum.

29. *Oppleti omni injuſtitiâ.* Ipſa enumeratio eſt multarum partium.

32. *Qui poſt DEI jura cognita.* Concludit primam partem probationis de *Gentibus*, quod nimirum *Gentes* in univerſum Jure Dei cognito, quod in Parentheſi exponit Apoſtolus, (*dignos nimirum eſſe morte qui talia facerent*) adverſus Dei Legem; tamen & ipſi eadem fecerunt, quod illuſtrat majori Apoſtolus, *non ſolum fecerunt, ſed aliis etiam facientibus ſunt patrocinati*, id eſt, jus illud Dei & veritatem cognitam injuſtè (ut ſupra dixit) detinuerunt.

Caput ſecundum.

HActenus de *Gentibus* in communi probatum eſt, & qnod veritatem Dei habuerint, & quod habentes injuſtè detinuerint: Sequitur altera & ſpecialis probatio, quæ privatim ſpectat Philoſophos *Gentium*, quos Apoſtolus vocat *Sapientes & Diſputatores iſtius ſæculi*, 1*Cor.* 1. 20. *& Principes ſæculi hujus*, 1Cor. 2. 8. Hos gloriantes cognitione Dei, & ſeſe venditantes tanquam Magiſtros aliorum & reprehenſores impietatis & injuſtitiæ in aliis, etiam ipſos arguit hic Apoſtolus impietatis ac injuſtitiæ, & quod ipſi etiam agnitam veritatem injuſtè detineant: cujus prpbationis propoſitio eſt, *O homo, quiſquis alium damnas*, (Sic deſcribit Apoſtolus Criticos *Gentium* & morales Philoſophos ab effecto ſuo in aliis damnandis & arguendis peccati,

cati, quo ipsi sanctiores haberentur) *etiam ipse tu es inexcusabilis*, hoc est, Veritas Dei tibi cognita habet suum finem in te ad damnationem justam, id est, ut inexcusabilis sis cum Deus judicat, ut supra dixit Apostolus, *Cap.* 1. 20.

1. *Quapropter inexcusabilis es, O homo, quisquis alios damnas.* Primum propositionis argumentum è proximâ conclusione deductum est, quâ concluſit Apostolus *Gentes* in universum Dei jure agnito facere tamen contraria: ideoque ista propositio illativè effertur & tanquam quædam secundaria conclusio, *Quapropter inexcusabilis es*, &c. *nam hoc ipso quod damnas alterum, te ipsum condemnas.* Argumentum sic habet, Quisquis eo ipso quod damnat alterum seipsum condemnat, is inexcusabilis est *At tu, O homo*, (ait Apostolus *Gentium* Philosopho cuique) eo ipso te ipsum condemnas quod alterum damnas. Ergo inexcusabilis es. Propositio desideratur: partes autem duæ reliquæ hoc versu proponuntur καὶ ὑσεροτιν, & assumptio posteriori loco, *Eadem facis tu qui alium damnas*: quam probat Argumento ab effectis alium damnantis, quæ effecta parium comparatione declarantur. Qui eadem facit quæ damnat in alio, is eo ipso quod damnat alterum se ipsum condemnat; At tu (ait Apostolus *Gentium* Philosopho cuique) *qui alium damnas, eadem facis quæ in alio damnas.* Ergo hoc ipso quod alium damnas condemnas te ipsum. Assumptio est in fine versus primi & verbis citatis: propositio autem, cum suâ probatione versibus duobus est insequentibus καὶ ὑσεροτιν. Probatio secundo versu est, & propositio ipsa concluſa versu tertio.

2. *Scimus verò judicium Dei eſſe ſecundum veritatem.* Argumenta probationis duo, prius ſumptum eſt ab adjuncto Judicii Dei. *Iudicium Dei eſt ſecundum veritatem*, quod confirmat Apoſtolus noſtro ipſorum etiam naturalium & φυσικων ανθρωπων teſtimonio [*ſcimus*] Secundum veritatem eſſe hoc loco eſt eſſe abſque Proſopolepſia, *Deus judicat ſecundum veritatem*, ſeu ἀπροσωπολημψία eſt in ſuo Judicio: Ergo quiſquis alium damnans eadem facit pariter inexcuſabilis eſt cum eo quem damnat. (*Adverſus eos qui talia agunt*) Alterum Argumentum probationis ab objecto Judicii Dei. Objectum Judicii Dei & Deo ὑπόδικοι ſunt talia, *i. e.* ἄνομα facientes quicunque illi ſive reprehendentes ſive ab aliis reprehenſi; quare qui alios damnantes ipſi eadem faciunt ὑπόδικοι ſunt pariter cum iis quos ipſi damnant.

3. *Putas autem hoc, O homo*, &c. Conſequens utriuſque Enthymematis præcedentis & propoſitio ſecundi Syllogiſmi ipſorum ſapientium judicio permiſſa: *qui damnas eos qui talia faciunt, & facis ea, non effugies judicium DEI*, ſeu eos damnando te condemnas, quod ego tuo ipſius Judicio (ait *Paulus*) permitto ut dicas quod cogites.

4. *An copiam benignitatis ejus, & tolerantiæ, ac lenitatis contemnis?* Tranſit Apoſtolus ad ſecundum argumentum, quo probat etiam *Gentium* ſapientes inexcuſabiles coram Deo per Prolepſin, & occupando quod ab ipſis objicitur: Deus hactenus toleravit me, & ſenſi benignitatem ejus. Ergo illi ſatisfaciam in reprehenſione aliorum, & ego, quanquam eadem faciam, effugiam Judicium ejus. Reſpondet Apoſtolus.

Imo

Imò eo magis es obnoxius Judicio, quod hactenus tibi benignus Deus, qui, quæ damnas in alio, facis eadem. Ratio Apostoli est ab effecto ipsius tamdiu Dei lenitatem experti, quod effectum est contemptus lenitatis ac benignitatis Dei. Hoc primum argumentum responsionis, [*contemnis Dei lenitatem*] Ergo lenitas Dei tanto magis reddit ἀναπολογήτον. *Ignorans te benignitate Dei ad resipiscentiam deduci.* Alterum argumentum est responsionis, à fine benignitatis Dei in improbos, qui illustratur adjuncta ignorantia ipsorum improborum. Dei benignitas in Improbos ipsos deduceret ad resipiscentiam, seu quod idem est, benignus est tibi, (ait Apostolus improbo) ut tempus tibi det, & invitet te ad resipiscentiam. Ergo non resipiscens es inexcusabilis, nec effugies Judicium. Respondet itaque Apostolus huic objectioni negando sequelam, verum est, tibi diu fuit benignus Deus; at non propterea sequitur fore ut tu effugias Judicium Dei, quam consequentiæ negationem duobus probat argumentis, uno ab effecto improbi, *Contemnis lenitatem Dei*: altero à fine benignitatis, *Quæ est ipsius resipiscentia.*

5. *Sed pro duritiâ tuâ, & corde quod resipiscere nescit.* Secundum argumentum est quo probat *Gentium* sapientes esse ἀναπολογήτους, nec effugituros Judicium Dei. Argumentum est ab adjunctis Dei beneficiis & tempore dato ad resipiscentiam, quod ipsi contempserint: vel dici potest ab effectis esse, partim Dei in dando beneficia sua & tempus ad resipiscentiam, partim ipsorum in contemnendo beneficia & non-resipiscendo, cuicunque benignus est Deus, & tempus dat ad resipiscentiam, is, nisi resipiscet, *thesaurizat sibi iram in*

diem iræ; at benigno Deo (dicit Apoſtolus: Philoloſophorum cuique) tibi dante tempus ad reſipiſcentiam tu non reſipiſcis; *theſaurizas tibi igitur iram in diem iræ.* Aſſumptio eſt priori loco dupliciter illuſtrata; primùm majori, non ſolum non reſipiſcis, ſed etiam nequis reſipiſcere, ut poſtea *Cap.* 8. 7. de carne dicitur, *Quod nec ſubjiciatur Legi Dei, nec ſubjici poſſit.* Secundò cauſa ἀδυναμίας & impotentiæ ad reſipiſcendum, quæ eſt cordis durities contracta longo uſu peccati contra conſcientiam, quam dedolentiam vocat Apoſtolus, *Eph.* 4. 19. quæ (ut ibi videre eſt) ἀπαλγησία & dedolentia effectus eſt τὸ παρεδοθεναι ἑαυτοὺς τῇ ἀσελγείᾳ τῆς κακίας, & eadem cauſa ἀσελγείας, ac proterviæ, quâ certatim patratur omnis impuritas, *i. e.* ex peccato eſt (ut dicimus) contra conſcientiam, & ita retinet in peccato, ut peccator peccati nequeat pœnitere ad reſipiſcentiam. *Theſaurizas tibi ipſi iram in diem iræ.* Concluſio etiam majori illuſtrata & adjuncto tempore, non modo non effugies iram & judicium, ſed *theſaurizas tibi iram* impenitentiâ & contemptu Divinæ tolerantiæ. Tempus adjunctum eſt, *Dies iræ*, quæ definitur dies *patefactionis juſti Judicii Dei*, hoc eſt, dies Domini, ut eum *Petrus* vocat, & illuſtris adventus ejus, quo omnibus patebit judicium in eos qui jam ſecurè contemnunt tolerantiam ipſius.

6. *Qui reddet unicuique ſecundum opera ipſius.* Digreſſio eſt, quâ aſſerit Juſtitiam Judicio DEI, & obturat os omnibus obgannientibus (ut fieri ſolet) illi Judici, cum *Judæis* tum *Gentibus*; Apoſtolus enim hoc capite hactenus conſtrinxit *Gentium* Sapientes, & climace quodam & gradatione ὑποδικους fecit. Primus

gradus

gradus fuit, *Inexcusabilis es, O homo:* Secundus, *Non effugies judicium Dei:* Tertius, *Thesaurizas tibi iram in diem iræ*, hoc est, non modo ira & judicium tib reservatum, sed thesaurus judicii, quibus malis cum se sentit teneri *Gentium* Philosophus, fremere iucipit adversus illud judicium, quasi injustum & cum eo etiam *Judæus* auditor Legis: ideoque in hâc digressione Apostolus utrique occludit os, & ut ipsos concludit sub judicio, ita ei judicio asserit justitiam, & quidem duobus argumentis, quorum prius à pari comparatione sumptum est, operis & præmii ac inflictæ pœnæ, cuicunqne redditur secundum opus suum, hoc est, par operi, præmium aut pœna, judicium illud justum est. At DEus in suo judicio *Reddit cuique secundum opera ipsius*; DEI igitur Judicium justum est. Assumptio in textu est & dupliciter enunciata, Primùm, per comparationem tontractam, cujus nota est [*Secundum*] *Reddet Deus secundum opera ipsius.*

7. *Iis quidem qui perstant.* Secundò, per comparationem explicitam ubi distributio est, & operum & opera insequentium in præmium & pœnam, atque suo cujusque operi suum consequens pariter aptatur. Opera vel bona sunt vel mala: Bona hîc suo fine & adjuncto definiuntur, adjunctum est *perseverentia, finis, gloria, honor & immortalitas.* Huic operi ait Apostolus, adjudicat DEus Justus, mundi Judex, vitam æternam.

8. *Rixosis verò & veritati.* Vel opera sunt mala, quorum enumerat hîc Apostolus duas species: prima est *Rixatio*, per quam intelligo omnem illam ratiocinationem, quâ *Gentes*, dum se sapientes dictitarent, stulti

ſtulti facti ſunt, ut ſupra dixit. *Et qui veritati non obtemperant.* Altera ſpecies malorum operum, eſt rixarum effectus ſeu variæ diſputationes Philoſophorum, qui iſthîc duplex eſt: Prior peccatum omiſſionis. *Non obtemperant veritati*, hoc eſt, quod ante dixit, DEUM ſcientes, tamen ut Deum non glorificant. *Sed obtemperant injuſtitiæ.* Alter rixarum & contentionis effectus, qui eſt peccatum commiſſionis & omnis injuſtitiæ, qua ſupra dixit *Gentes* oppletas, & quam deduxit ex negatâ obedientiâ veritati, *Rom.* 1. 28, 29. Reddetur excandeſcentia & ira, par & correſpondens ſupplicium, quod Dei judicio redditur malis operibus; ſic itaque comparationem ſuam contractam explicat Apoſtolus, *Cuique reddet Deus ſecundum opus, i.e.* benè operanti, ſi perſeverarit, adjudicat Deus vitam æternam; at iraſcitur, & in irâ adjudicat mortem omnibus malè agentibus, quales etiam vos Sapientes *Gentium* rixantes & in rixis evaneſcentes; conſultò enim Apoſtolus mala opera hîc complectitur contentione malâ & illius effectibus, ut convincat Philoſophos *Gentium*, quorum omnis de DEO, officio, & ſummo bono diſputatio nil niſi mala contentio fuit.

9. *Compreſſio & anguſtia adverſus omnem animam hominis perpetrantis malum.* Alterum argumentum ſequitur, quo aſſerit Apoſtolus Juſtitiam judicio Dei ab adjuncta ἀπροσωπολημψια, judicium quodcunq; ἀπροσωπολήπτον, hoc eſt ſecundum veritatem (ut ſupra dixit) & ſine reſpectu perſonarum, idem Juſtum eſt, *At apud Deum non eſt reſpectus perſonarum*; Dei igitur Judicium juſtum eſt: aſſumptionis probatio primo loco *verſibus* 9. & 10. ubi Apoſtolus DEUM oſtendit

& in

& in puniendo injustitiam, & in boni operis præmio eundem esse, & *Judæis* & *Gentibus*; Argumentum itaque est ab inductione, cujus prima pars est *vers.* 9. in exercendo judicio Deus idem est *Judæis* & *Gentibus*, seu afflictio erit & angustia in omnem animam perpetrantis malum sive *Judæi* sive *Græci*.

10. *Gloria verò & honor, & pax cuivis operanti bonum.* Altera pars inductionis, Deus idem est in præmio Justitiæ *Judæis* & *Gentibus*; notandum tamen est discrimen ordinis & *Judæum* malefacientem priorem esse Judicio propter ingratitudinem, prout dictum est, *Potior erit conditio Sodomæ & Gomorrhæ, quam contemnentium Euangelium*, & gratia quoque priorem propter electionem (ut Apostolus loquitur) & quia rami sunt naturalis Olivæ.

11. *Non enim est personarum acceptio apud Deum.* Assumptio Dei Judicium est ἀπροσωπολήπτον.

12 *Quicunque sine Lege peccaverunt, sine Lege quoque peribunt.* Altera assumptionis ratio est à pari interitu omnium peccantium (qui effectus est Justi judicii Dei) sive sine Lege scriptâ, sive habentes Legem scriptam peccaverint.

13. *Non enim qui audiunt Legem.* Prolepsis *Judæorum* adversus proximam rationem. *Nos legem audimus* (aiunt *Judæi*) non ergo per Legem damnabimur. Respondet Apostolus non sequi, & Sophisma esse à non causa; non enim Legis auditio justificat, sed præstatio: quare etiam qui in Lege peccant, hoc est, Legem habentes & audientes peccant, tamen ii per Legem damnabuntur.

14. *Nam quum Gentes quæ Legem non habent, natura*

turâ quæ Legis ſunt faciunt. Altera Prolepſis eſt *Gentium* adverſus proximam rationem, ubi non eſt lex ibi nec Legis tranſgreſſio. Nos (inquiunt *Gentes*) non habemus Legem: non igitur in nobis Legis tranſgreſſio. Quare cum ſine Lege nequimus peccare, etiam ſine Lege (contra quam dicis, dicerent Apoſtolo) nequimus perire: propoſitio Apoſtoli eſt *Rom.* 4. 15. Aſſumptionem videntur etiam ab Apoſtolo accipere, dicente, *Eos ſine Lege eſſe*; ſed reſpondet Apoſtolus. Quod quanquam ſine Lege ſcriptâ ſunt, non tamen omninò eſſe abſque Lege, & proinde ipſos falſum aſſumere. Probat itaque hîc *Gentes* quanquam non habeant Legem ſcriptam, tamen non eſſe abſque Lege. Argumenta probationis duo, Prius, *Qui ipſi ſibi ſunt Lex*, non ſunt ſine Lege, *Gentes* ſibi lex ſunt. Quare non ſine Lege: probatur aſſumptio, qui Legem ſcriptam non habentes, naturâ faciunt quæ Legis ſunt, ipſi Legem non habentes ſibi Lex ſunt: At *Gentes* Legem ſcriptam non habentes, faciunt naturâ quæ Legis ſunt; quare & ipſi ſibi Lex ſunt. Aſſumptio proximi Syllogiſmi eſt primo loco, concluſio proximi Syllogiſmi his verbis, *Iſti Legem non habentes, ſibi ipſi Lex ſunt.*

15. *Ut qui oſtendant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Alterum argumentum quo probat Apoſtolus *Gentes* non ſine Lege eſſe; quibus opus Legis ſcriptum in cordibus, non ſine Lege ſunt: at *Gentibus* opus Legis in cordibus ſcriptum eſt, *Unà teſtimonium redente ipſorum conſcientiâ*, quod probatur inductione partium operis Legis in cordibus ſcriptæ: quæ partes duæ ſunt, Prior eſt teſtimonium conſcientiæ, altera cogitationum

gitationum mutua accusatio & excusatio, & hactenùs remotæ objectiones sunt, primò *Judæorum*, deinde *Gentium*, adversus proximam rationem & æquitatem paris interitus peccantium utrobique.

16. *In die quo judicabit DEUS de occultis hominum.* Parem hunc peccantium interitum, & *Judæis & Gentibus*, illustrat adjuncto tempore, quod describitur suo subjecto, *Dies est quo judicabit Dominus*: quod Dei Judicium amplificatur, Primùm, subjecto tractato tacitâ comparatione majorum, *Judicabit Deus de peccatis hominum*, non manifestis modo, sed etiam occultis. *Ex Euangelio meo.* Secundò, illustratur hoc Judicium Dei suis causis efficientibus: & principali, qui est Christus Iesus: & instrumentali, quod est Euangelium à *Paulo* prædicatum. Et notandum, quod quanquam dixerit peccantes perituros, vel per naturæ Legem, qui sine Lege peccaverint, vel per Legem scriptam, qui sub Lege peccaverint; tamen dicat Justum illud Dei Judicium fore *ex Euangelio suo*: quia nimirum Justus est Dominus, & justum est Judicium ipsius, & in damnando & absolvendo per solum Euangelium; Per Legem etenim sive scriptam sive naturæ, nullus juste absolvi poterit, ut postea est concluſurus Apostolus; At per Euangelium & justa erit incredulorum damnatio, quod, præter peccata reliqua, quibus ex Lege tenentur, gratiam Euangelii contempserint. Et Credentium item justa absolutio per Euangelium, quia Christi Justitia omnisufficiens ad absolutionem, eadem ipsorum est ex Euangelio. Quod igitur supra dixit Apostolus *versi.* 7. & 10. Vitam æternam, gloriam, honorem, pacem datum iri bonum

bonum operanti, eo dicto non innuit Apoſtolus fieri poſſe, quiſquam ſuis operibus per Legem juſtificetur, ſed oſtendendo & *Iudæis* & *Gentibus* hanc unicam eſſe conditionem Juſtificationis per Legem, quod nimirum ipſam perfectè præſtent, & in omnibus operentur benè, quam conditionem utrique ſibi conſcii in ſe nullam, urgere vult confugiant ad CHRISTUM, ut ex Euangelio juſtificentur.

17. *Ecce tu cognominaris Judæus, & acquieſcis in Lege.* Hactenus prima pars probationis & de *Gentibus* tum in communi, tum privatim de Sapientibus confirmavit quod Dei veritatem in juſtè detinuerint, & hactenus in tranſitu Judicio Dei cui *Gentes* ſubjecit, aſſeruit Juſtitiam adverſus obgannientes & *Judæos* & *Gentes*. Sequitur jam altera probationis pars, & quod *Judæi* qui veritatem habuerint in Lege ſcripta, etiam ipſi injuſtè detinuerint veritatem eam; quæ tota diſputatio Proleptica eſt, & conſtat refutatione *Judæorum* ſuis ſupra *Gentes* privilegiis gloriantium. Prima Prolepſis eſt *Cap.* iſtius parte reliqua: & duæ ejus partes ſunt, prima habet enumeratas *Judæorum* prerogativas ad *verſ.* 21. Altera ſubjectam *Pauli* reſponſionem. Prærogativæ *Iudæorum* hic enumerantur tres: primùm enim gloriantur de nomine *Iudæi*. Secundò, gloriantur de Deo & lege ipſius, quod nimirum ſecus atque cæteræ *Gentes*, quæ ſingulæ ſua Idola habuerint & falſos DEOS, illi ſoli coluerint Deum verum, & Legem habuerint ab ipſo traditam: hæc duplex prerogativa eſt, *verſ.* 17.

18. *Et noſti ejus voluntatem.* Tertia autem prærogativa habetur in tribus verſibus inſequentibus, gloriantur

riantur de notitiâ sua ex Lege comparata, quam Apostolus ex sensu *Iudæorum* variè amplificat: Primò subjecto, quod cognitio illa sit voluntatis Dei, & eorum quæ discrepant ab eâ voluntate: Deinde effectis, quod *Iudæi* nimirum per eam cognitionem *Ducant cæcos, lucem exhibeant iis qui in tenebris, insipientium ac infantium sint magistri.*

21. *Qui igitur doces alium, te ipsum non doces?* Respondet Apostolus triplici huic *Iudæorum* gloriationi, sed κατ' ὑστερησιν, primùm postremæ & ipsorum de notitia gloriationi, quam ex minoribus inanem ostendit, ne tu te ipsum quidem doces. Ergo vana tua est cognitionis tuæ ostentatio, & quod doceas alium; *qui prædicas non furandum, furaris.* Antecedens probat ex effectis *Iudæorum* & inductione violatæ Legis, *Qui prædicas & alium doces non furari, non sacrilegium admittere,* ex octavo Præcepto, *non mœchari,* ex septimo Præcepto, *abominari Idola,* ex primo & secundo Præceptis, *Ipse tamen furaris, mœcharis, sacrilegium admittis.* Ergo tu qui aliorum te doctorem gloriaris, ne te ipsum quidem doces.

23. *Qui de Lege glorianis, per Legis transgressionem Deum dedecoras?* Respondet secundæ prærogativæ, & *Iudæorum* ostendit inanem jactantiam de Deo & Lege, ex effecto ipsorum & transgressione Legis tertii Præcepti, quod nimirum Legem universam transgrediendo, Legi fuerint & Deo dedecori, hoc est, Deum simul & Legem ipsius exposuerunt aliorum blasphemiæ, quod ipsum est blasphemare Dei nomen, & violare Præceptum tertium: unde pro intelligentia tertii Præcepti duo dat nobis Apostolus notanda: Primùm

quod

quod qui occaſionem dat aliorum blaſphemiæ, idem blaſphemet: Deinde quod cujuſlibet Præcepti tranſgreſſione detur occaſio impiis blaſphemandi, & quod proinde cujuſcunque Præcepti Legis tranſgreſſio, eadem ſit tranſgreſſio tertii Præcepti. Vide 2*Sam.* 12. 14.

24. *Nam Dei nomen propter vos blaſphematur inter Gentes.* Probat proximum effectum *Judæorum* in dedecorando Deum ſuum per tranſgreſſionem Legis ipſius, ex teſtimonio Prophetarum, *Iſai.* 52. 5. & *Ezech.* 36. 23.

25. *Nam Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem ſervaris.* Prolepſis eſt & occupatio objectionis *Judæorum* adverſus proximi Apoſtoli accuſationem. Nos circumcidimur, & omnes legis ceremonias ſervamus. (Ita enim iſthîc puto circumciſionem per ſpeciei Synecdochen intelligendam, id quod innuere videtur Apoſtolus, *Gal.* 5. 2.) Ergo non dedecoramus DEUM. Reſpondet Apoſtolus non ſequi, & ipſorum ratiocinationem eſſe à non cauſa; non enim circumciſione & externis ſignis miniſterii glorificatur Deus, ſed piâ vitâ & præſtatione Legis moralis, cujus circumciſio ſacramentum eſt. Itaq; prodeſſe circumciſionem circumciſis ipſis ad gloriationem in Deo, & nomen Dei in *Gentibus* glorificandum, tantum hypotheticos & ex conditione, ſi ipſi nimirum ſervaverint Legem, quæ verè cauſa eſt, *Quod ſi tranſgreſſor Legis fueris, circumciſio tua factum eſt præputium.* Probat reſponſionem ſuam & conditionalem uſum circumciſionis ex pari conſequutione in contrariis, ſi legis fueris tranſgreſſor, circumciſio præputium fit & nihil valet. Ergo ἀναπαλιν prodeſt circumciſio tantum ſi Legem ſervaris.

26. *Ita*

26. *Ita si præputium jura legis servaverit, nonne præputium illius pro circumcisione reputabitnr?* Ex proximâ responsione Apostolus geminum deducit consectarium & geminam secundariam conclusionem, quarum prior est, quòd præputium servans Legem, pro circumcisione habeatur, seu cirumcisioni æquipolleat; si enim præstantia circumcisionis tota pendet ex præstatione Legis, etiam sequitur quòd præputium Legem præstans ejusdem sit cum circumcisione præstantiæ.

27. *Et quod est ex naturâ præputium, si Legem servet, damnabit te qui per literam & circumcisionem transgressor es Legis.* Alterum consectarium præputium Legem servans, damnabit circumcisionem, *i. e.* Argumento erit damnationis adversus circumcisionem Legem transgredientium; si enim Legis præstatio eadem sit præstantia circumcisionis, præputium habens præstantiam circumcisionis, prestantius erit circumcisione carente Legis præstatione, quæ Legis præstantia est.

28. *Non enim qui est in propatulo Judæus est.* Respondet primæ *Judæorum* gloriationi, & ei quæ est de cognomento *Judæi*, ostenditque congnomentum *Judæi* non esse veram gloriationis causam, atque ita in omni hâc sua responsione Apostolus arguit hos *Judæos* à non-causa sophisticatos & se decepisse. Tertia hæc responsio à definitione est *Judæi*, & duas habet partes ἀρσιν καὶ θεσιν. In primâ enim parte & *vers.* 28. ostendit quis non sit *Judæus*, nimirum qui *in propatulo Judæus est*, hoc est cognomento (ut supra dixit) vel litera (ut postea loquitur) id est, non omnes qui sunt carnali propagatione ex patre *Judâ*

iidem

iidem *Judæi sunt*, sic loquitur infra 9. 6. *Nec ea quæ in propatulo circumcisio*, id est, *in carne, circumcisio est*: ἀρσιν illustrat simili jam proximè demonstrato, ut externum circumcisionis sacramentum, & præputii amputatio non est ipsa vera circumcisio de quâ gloriandum (ut jam demonstratum est) ita nec in propatulo *Judæus* verus ille *Judæus*, & de quo gloriandum.

29. *Sed qui in occulto Judæus est.* Thesis. *Et circumcisio cordis.* Thesin illustrat simili, ut ἀρσιν prius. *Id est in spiritu, non literâ.* Definitio est *Judæi* in occulto ex causa formali & adjuncta laude, utraq; exprimitur argumento diversorum, *Judæus in occulto, est Judæus spiritualis vel in spiritu, & non in literâ.* Literam hic Apostolus opponit spiritui, itaque ut per spiritum significatur interna gratia fidei & sanctificationis, sic per literam intelligitur quicquid extrinsecum & omnibus visibile, sive naturalis illa fuerit propagatio, sive communis professio & externa ministerii participatio, adeo ut docente Apostolo, spiritus sit & interna gratia, non externum quidpiam quo verè *Judæus* sit id quod est, *i. e. Judæus. Cujus Judæi laus non est ex hominibus, sed ex Deo.* Altera pars definitionis & adjunctum, veri *Judæi* laus seu commendatio: quæ explicatur per diversa, causa efficiente, *Veri Judæi laus non est ex hominibus, sed ex DEO.*

Caput

Caput tertium.

Quæ est igitur præstantia Iudæi, aut quæ utilitas circumcisionis? Altera est *Iudæorum* objectio, orta ex proximâ responsione Apostoli, quâ enumeratas *Iudæorum* prærogativas refutavit Apostolus, & declaravit nullas, adeo ut *Iudæos Gentibus* æquarit, utrosque concludens sub peccato & morte. Hinc sic *Iudæi* excipiunt: ex tuâ ergo, *Paule*, sententiâ nulla est præstantia *Iudæi* aut circumcisionis & Legis *Mosaicæ*. (Sic enim συνεκδοχικῶς accipitur circumcisio pars pro totâ Lege *Mosaicâ*) Hanc siquidem negationem tanquam manifestissimè absurdam urgent interrogatione *Iudæi* ex superiori refutatione, ut sensus sit nisi privilegia enumerata tu admiseris, nos non novimus quid præstet *Iudæum* esse, potius quàm aliquem è *Gentibus*, aut Legem *Mosis* habere, magis quam ea destitui, si tu quid nosti edicito.

2. *Multum per omnem modum.* Hypophora est, & subjecta responsio, quâ Apostolus, rejectis illis nihili prærogativis, quibus *Iudæi* gloriabantur, ostendit supereſſe *Iudæo* insignem præstantiam & multam per omnem modum, *Primarium enim illud est quod iis credita sint Eloquia DEI.* Ευσαφεῖ, & particulari exemplo confirmat responsionem & universalem *Iudæorum* negationem tollit; dicebant illi, quod si enumeratæ nullæ essent, nulla esset prærogativa *Iudæi*. Apostolus asserit contrà, præter illas aliam esse eamque primariam & illis potiorem, nimirum quod Dei Eloquia

ſunt illis credita, hoc eſt, ut poſtea exponit, *Cap. 9. verſ. 4.* quod eorum eſſent promiſſiones, & ſecundum promiſſiones adoptio, gloria, fœdus, Legis conſtitutio, & cultus, revocat itaque Apoſtolus gloriationem *Iudæorum* à carne & externis privilegiis, ut utramque & gloriationem ipſorum, & in externis privilegiis prærogativam gratiæ ſuperſtruat per promiſſiones, quas hic vocat De i Eloquia, &, quemadmodum loquitur è *Jeremiâ* Apoſtolus, *1 Cor. 1. 31. Qui gloriatur, glorietur in Domino.*

3. *Quid tum enim ſi infidi fuerunt quidam, num ipſorum infidelitas fidem Dei inanem reddet?* Tertia objectio eſt *Iudæorum* ex proximâ etiam reſponſione, conantur enim prærogativam gratiæ per promiſſiones tollere, ut ſuam teneant, quod nimirum, vel nulla ſit præſtantia *Iudæi*, vel illæ, quas illi enumerarunt, ut verbo dicam, hâc objectione *Iudæi* conantur tollere Apoſtoli ἔνστασιν, & argumentum eſt, non omnes crediderunt Eloquiis & Promiſſionibus De i, quod admittit Apoſtolus principio 3. *verſus*: non igitur ulla *Iudæorum* præſtantia eſt aut circumciſionis, et ſi planè ratiocinari lubet ſic arguunt: præſtantia *Iudæi* & circumciſionis oportet ſit καθ' παντος & communis omnium: at non omnes concredita habuerunt De i Eloquia & Promiſſiones, (quod probatur non crediderunt omnes quod admittit, ut dictum eſt.) Ergo nec omnibus communis hæt prerogativa, & proinde ipſa nulla eſt. Reſpondet Apoſtolus ad probationem aſſumptionis, & docet non ſequi, ſi quod aliqui non credant; ideo non eſſent iis concredita De i Eloquia juxta verbum promiſſionis ſuæ, tum ipſorum quorundam infide-

litas

litas inanem redderet fidem Dei, posterius absit; quæ assumptio comprehensa est interrogatione Apostoli & responsione subjecta; *Num ipsorum infidelitas fidem Dei inanem reddet?* Responsio est, *absit*, cum detestatione negat quod Dei fides abrogetur infidelitate quorundam *Judæorum*, unde concludit non sequi quod Dei Oracula non sint iis concredita: propterea, quod ipsi non crediderunt. Unde duo nos docet Apostolus, unum quod Dei Eloquia sint concredita, (*i.e.* Verbum Euangelii & signa ejus sint data) etiam Hypocritis in visibili Ecclesiâ. Alterum quod ad participationem gratiæ opus sit non duntaxat exhibitione Eloquiorum Dei, sed (quæ per Spiritum Sanctum efficitur) nostrâ etiam eorum apprehensione per fidem.

4. *Imo esto Deus verax, omnis autem homo mendax.* Amplificat assumptionem proximam comparatione majorum: Omnium hominum mendacium non reddet inanem fidem Dei; siquidem omnis homo mendax, Deus verax tamen permanet, ut multò minus quorundam infidelitas fidem Dei inanem reddat. *Sicut est scriptum, Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas quando tu judicas.* Comparationem majorum probat Apostolus Scripturæ testimonio, eoque bimembri, prius membrum probat Deum veracem, qui enim in sermonibus justificatur, is verax est: Posterius hominem probat mendacem. Si enim vincit Dominus quando judicat, homo etiam vincitur, *i. e.* mendax & fœdifragus deprehenditur dum judicatur.

5. *Quod si injustitia nostra Dei justitiam commendat, quid dicemus? Num injustus Deus qui inferat pœnam?* Quia ex proximâ responsione patet

quod hominum mendacium & infidelitas non reddat inanem fidem Dei, sed Dei fides & veritas & justitia hominum infidelitate mendacio & injustitia clarescat, Oritur prolepsis quarta duarum partium, quarum prior est *versibus* 5. & 6. Altera 7. & 8. Prior pars est, si nostra injustitia commendat Justitiam Dei, mendacium nostrum veritatem Dei, & infidelitas nostra Dei fidem, injustum est ut Dominus nostram infidelitatem, mendacium, & injustitiam puniat: tu, *Paule*, prius asseris (*inquiunt Judæi*) Posterius ergo sequitur. *Humano more loquor*, sequitur Apostoli responsio triplex: Primùm, excusat sese de hujusmodi objectione mota, & non motam ait ex suâ mente, sed mente hominum, ut alibi loquitur ψυχικῶν & corrupti judicii, quo monet quod hominibus Christianis à blasphemis adversus veritatem objectionibus sit abstinendum.

6. *Absit.* Secunda pars responsionis, quâ aversatur conclusionem. Absit à me, ego putem vel doceam quod injustum cum Deo, nostram injustitiam, mendacium, & infidelitatem punire. *Alioquin quomodo judex erit DEUS mundi?* Tertia pars responsionis quæ negatæ propositionis argumentum continet, à recepto & communi omnium testimonio de Deo; Accipit enim Apostolus ex communi omnium sententiâ, maximè *Judæorum*, qui ex Lege edocti erant, quod Deus sit futurus mundi Judex, quod commune testimonium, quærit hic Apostolus quomodo possit consistere? innuens, impossibile esse ut consistat cum illâ *Judæorum* blasphemâ propositione proximi Syllogismi.

7. *Etenim*

7. *Etenim si veritas* DEI *per meum mendacium redundavit in gloriam ipsius, cur amplius ego ut peccator condemnor?* Altera pars Prolepseos per comparationem majorum, si Dei veritas per meum mendacium redundat in ipsius gloriam, non modo non sum ego ut peccator damnandus, sed mala facienda sunt ut bona eveniant, hoc est, majori studio peccato mihi incumbendum est, ut magis Deus glorificetur per meam injustitiam: At tu, *Paule*, prius asseris. Ergo & posterius, mala facienda sunt ut bona eveniant. Propositio in Textu, cum conclusione insertâ Parenthesi amplificata falso testimonio & maledico multorum.

Quorum damnatio justa est. Huic Syllogismo tanquam apertè inepto non respondet Apostolus, sed testimonio falsò testimonium perhibentium conclusioni tanquam *Paulinæ*, cui *Paulus* ut impiæ blasphemiæ opponit justam damnationem Dei.

9. *Quid igitur? præcellimus?* Ultima *Iudæorum* Prolepsis ex proximâ *Pauli* disputatione, quâ asseruit Deo fidem in promissionibus Patribus factis, & magnificavit ejus gratiam erga *Iudæos* (*vers.* 3. supra) pleroſque indignos & infideles, quorum tamen infidelitas non reddidit inanem, sed magis commendavit Justitiam & fidem Dei, ex hâc inquam disputatione, postremò insurgunt *Iudæi* & arrogant sibi præstantiam supra *Gentes*, quasi *Pauli* jam patrocinio confirmatam, quasi dicant, quid an non tota tua disputatio huc tendit ad efficiendam nobis præstantiam & multam (ut supr dicitur) per omnem modum, quare malè nos *Gentibus* comparas, & pariter concludis judicio obnoxios-

Nullo modo. Τροπικὸς est & subjecta Apostoli responsio, qua arguit Apostolus *Judæos* sophisticari, dum quod ipse de gratia Dei *Judæis* communicata in promissionibus disputavit, ad suam trahunt justitiam, & quæ ex Lege est: Sensus itaque verborum, quanquam nos *Judæi* concreditis nobis Dei Eloquiis multum præcellimus, hoc est, præstantiores sumus respectu Dei, qui nobis magis gratiosus quam *Gentibus*, seu præstantiora nobis indulsit, quod ad Justitiam tamen quæ ex Lege est & respectu nostri ipsorum nullo modo præcellimus aut meliores sumus quam ipsæ *Gentes*. Hanc esse responsionis sententiam probant proximè sequentia: Præstant itaq; *Judæi Gentibus* respectu gratiæ, hoc disputavit Apostolus, at non respectu justitiæ Legis id quod est in quæstione. *Nam antè criminati sumus Judæos & Græcos omnes esse sub peccato.* Probat proximam responsionem, & quod *Judæi Gentibus* nullo modo sunt præstantiores respectu Justitiæ Legis, ad quod probandum affert superius disputatam conclusionem, quod omnes tum *Judæi*, tum *Gentes* peccatores essent, & ut supra dictum, injustè Dei veritatem detinuerint; & hoc facit consultò Apostolus quod proximâ suâ disputatione abusi essent *Judæi* ad suum mendacium, ideo & superiori suâ disputatione utitur similiter ad eos refutandos; sic igitur arguit, si *Judæi & Græci* pariter peccatores, *Judæi Græcis* nullo modo præstantiores sunt quod ad Legis Justitiam; At prius verum, quod probat duobus argumentis, Prius è superiori disputatione petitum est testimonium, ante criminati sumus, hoc est, reos egimus & crimini obnoxios concluſimus.

10. *Sicut scriptum est, Non est justus, ne unus*

quidem

quidem. Alterum argumentum assumptionis ex Scripturæ testimoniis ad *vers.* usque 19.

19. *Scimus autem quæcunque Lex dicit, iis qui in Lege sunt dicere.* Legis nomine hic intelligit Apostolus *Mosen*, Psalmos & Prophetas, hoc est, totum Testamentum Vetus: Ideoque allata è Psalmis & Prophetis Testimonia vocat Legis dicta. His itaque verbis Apostolus probat allata Scripturarum Testimonia *Iudæos* perstringere & peccati convincere, & quidem συλλογιστικῶς adversus *Iudæos* testimonia illa alio derivantes; Quæcunque Lex dicit ea iis omnibus dicit qui in Lege sunt, Propositio in Textu est amplificata adjunctâ communi scientiâ *Pauli & Iudæorum*, cui Propositioni sic manifestæ subsumit Apostolus quod pariter manifestum est, at vos *Iudæi* in Lege estis seu sub Lege. Ergo contrà quàm putatis, Lex de vobis illa perhibet testimonia, argumentum à conjugatis est, conjugata etenim sunt νομος & νομικοι seu οἱ ὀντες ἐν τῳ νομῳ. *Ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.* Conclusionem proximam & subintellectam de convictione *Iudæorum* ex allatis Scripturarum testimoniis illustrat fine duplici. Prior est, *Ut omne os obturetur*, non *Gentium* duntaxat, sed etiam *Iudæorum*: Alter, *Ut totus mundus fiat obnoxius condemnationi Dei*, *Iudæi* non minus quam ipsi *Græci*; *Græci* enim & *Gentes* quod peccatores fuerint extra controversiam fuit *Iudæis*, sed quod ipsi *Iudæi* etiam, non item. Id quod patet, *Galat.* 2. 15. Ubi ista opponuntur *Iudæum* esse naturâ, & peccatorem ex *Gentibus*; ideo hîc Apostolus applicat convincentia Scripturarum testimonia etiam *Iudæis*, ut iis simul suo

judicio

judicio convictis & factis ὑποδίκους obtineat generale, omnem hominem & *Iudæum & Græcum* veritatem Dei injuſtè detinere, & quod habet *Gal.* 3. 22. *Sub peccatum per Legem concluſum eſſe.*

20. *Propterea ex operibus Legis nulla caro juſtificabitur in conſpectu ejus.* Aſſumptio primi Syllogiſmi à *verſ.* 18. 1. *Cap.* hucuſque diſputata concluditur; Juſtitia hominis in conſpectu Dei non eſt ex Lege vel operibus ipſius; *Per legem enim agnitio peccati.* Novum argumentum eſt concluſæ aſſumptionis, à contrario effecto Legis, quod eſt judicare peccatum & miſeriam; Peccatum & injuſtitia innoteſcunt Lege. Ergo non ex Lege juſtitia & ſalus, ſed ex Euangelio Alterâ parte verbi innnoteſcunt illa: ita enim hic Apoſtolus utrique parti verbi ſuum aſſignat & proprium effectum, ut Legis ſit indicare peccatum, & minari mortem quæ peccatum ſequitur: Euangelii autem manifeſtam facere remiſſionem peccatorum in Ieſu Chriſto ad juſtitiam & vitam æternam.

21. *Nunc vero abſque Lege juſtitia Dei patefacta eſt.* Prolepſis & occupatio objectionis ortæ ex proximâ aſſumptionis concluſione, ſi prout concludis (dicerent Apoſtolo homines ψυχικοὶ & naturales ſive *Iudæi* ſive *Gentes* quibus inſitum ex lege juſtitiam quærere) nulla caro juſtificabitur ex operibus Legis, tum tollis omnem homini juſtitiam in conſpectu Dei, ut nulla omninò ſit homini juſtitia coram Deo. Reſpondet Apoſtolus propoſitionem falſam, nec Legis præſtationem à nobis eſſe ſolitariam cauſam Juſtitiæ coram Deo, ſed Juſtitiam Dei, *i. e.* Qua homo coram Deo juſtus eſt, factam eſſe manifeſtam abſque Lege.

Manife-

Manifestationem hîc Apostolus intelligit plenam illam & absolutam revelationem Justitiæ, quæ Christo in carne manifestato facta est, ideoque illustrat temporis circumstantia. Nunc primùm ait Apostolus manifesta facta est, nimirum Euangelio Iesu Christi. *Comprobata testimonio Legis ac Prophetarum.* Altera Prolepsis *Judæorum* sed Euangelium nescientium; tua illa Justitia absque Lege (dicerent Apostolo) unde constat aut quomodo probari potest. Respondet quanquam absque Lege sit, tamen Legis habere & Prophetarum testimonia, & ex iis comprobari. Id quod ipse fecit *Beræis. Act.* 17. 11. testimonium autem hoc Legis de Justitia fidei hoc est, quod omnes qui Legem præstiterunt ii justi sunt, cui fidelis per fidem subsumit, quod quanquam à me Lex violata sit, ego tamen in Christo eam præstiti, unde Legis testimonium fideli, quod ipse per fidem justus sit. Quod autem ad Prophetas attinet, ii Christum Iesum & Justitiam per fidem in ipsum prædicarunt.

22. *Justitia inquam* DEI *per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt.* Ad illustrandum utrumque suum præcedens responsum definit Dei Justitiam, quam dixit absque Lege manifestam factam, testimonio tamen & Legis & Prophetarum comprobatam: ea inquit Apostolus justitia, est justitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in Eum, quæ definitio constat genere, verè justitia est ista de quâ loquor quod asseruit contra ψυχικους sui temporis, quos imitantur nostri temporis Papistæ, omnem justitiam imaginariam putantes quæ non sit ex Lege & nostris operibus, contrà Apostolus

stolus hanc justitiam absque Lege, ait verè justitiam esse; istud genus est. Differentia seu forma, quâ ostenditur ista justitia absque Lege præstantior esse illa quæ ex Lege siqua esse posset, petita est ab efficiente principali, subjecto, & causâ efficiente instrumentali. Principalis efficiens hujus Justitiæ DEI, *i. e.* qua coram DEO justi sumus, est DEUS; ideoque ait Apostolus hanc justitiam esse justitiam DEI; & DEUS hanc efficit, 1. Dando. *Ioan.* 3. 16. (2.) Imputando, *Rom.* 4. 5. (3.) Acceptando imputatam, *Math.* 17. 5. Subjectum duplex, primum & cui inest ista Justitia primò ac per Legis præstationem plenam, Is est IESUS CHRISTUS, hic enim solus suâ obedientiâ comparavit, qua nos justi sumus coram DEO; Secundarium subjectum omnes credentes, qui imputatione Justitiæ ejus justi efficiuntur, ideoque vocat Apostolus hanc justitiam nostram per IESUM CHRISTUM, innuens nimirum hujus Justitiæ primum possessorem esse CHRISTUM & deinde nos per eum; Primum itaque subjectum hujus Justitiæ est CHRISTUS, qui eam habet suâ Legis præstatione: deinde credentes, qui eam habent imputatione DEI ab eo. Hoc secundarium subjectum exprimit Apostolus universali notâ [*omnes*] & bis posita ad tollendam distinctionem *Judæorum & Gentium*, ut sequentia proximè verba docent, ostenduntque vocationem *Gentium* ad participationem communis gratiæ, ad quam credendam vix poterant adduci *Judæi*. Ultimum argumentum est instrumentalis causa hujus Justitiæ, ea fides est, conveniens non CHRISTO principali subjecto, sed nobis secundario. CHRISTUS enim justus non fide in justificantem alium, sed perfecta Legis

præstatione,

præstatione; nos autem qui secundò justi sumus, è contrà efficimur justi, non Legis præstatione, sed per fidem in Justificantem Christum; fides itaque Iesu Christi nobis Justitiæ instrumentalis causa est, cujus exhibitionem à Deo per prædicationem Euangelii & receptionem per operationem Spiritus Sancti, audito Euangelio, significat Apostolus præpositionibus (in & super) omnis enim exhibetur Justitia prædicatione fidei; & super omnes est eadem Justitia receptione fidei seu Euangelii prædicati, vel hæ præpositiones (in & super) referri possunt ad actiones illas Dei de quibus dictum ut (in) motus præpositio, donationem & imputationem significet (super) autem acceptationem. *Non enim est distinctio.* Ratio universalis notæ (*omnes*) ejusque bis repititæ, ut supra dictum est.

23. *Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ DEI.* Probat quod proximè dixit non esse distinctionem *Judæorum & Gentium* respectu gratiæ, sed in omnes & super omnes, qui credunt, sive *Iudæos* sive *Gentes* Justitiam esse per fidem Christi. Argumentum est ab effecto finito ad finem ut Apostolus ipse exponit, *Gal.* 3. 22. *Omnes peccaverunt & deficiuntur gloriâ DEI.* & *Iudæi* & *Gentes* ut omnes ex utrisque credentes justificentur gratis, vel ut ibi loquitur, omnia concluſit Scriptura sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur Credentibus, quare promissio seu gratuita justificatio per fidem communis omnium est credentium, *Judæorum* simul & *Græcorum*, nec est distinctio: effectum hoc finitum est lapsus in peccatum cum suis fructibus. Unde hîc notandum ex mente Apostoli quod lapsus communis omnium,

nium, alioqui malus, tamen reſpectu DEI medium fuerit ſalutis omnium credentium communis per CHRISTUM perficiendæ.

24. *Id eſt ejus gratia.* Explicat quid ſit gratis juſtificari, quod nimirum ſit ex merâ DEI gratiâ, ſine noſtro merito juſtificari. *Per redemptionem factam in Ieſu Chriſto.* Proſequitur explicationem ſuam, & definit quid ſit gratia DEI juſtificari, nimirum eſt juſtificari per redemptionem factam in IESU CHRISTO, adeo ut redemptio facta in IESU CHRISTO ſit illa gratia quâ gratis, *i. e.* ejus gratia ſine noſtro merito juſtificamur: vocat autem hanc redemptionem gratiam Apoſtolus, quia, ut diximus, gratis data, gratis imputata, gratis accepta eſt. Notandum tamen ex Apoſtolo gratuitam noſtram juſtificationem redemptione niti, *i. e.* adeo ut quanquam noſtro reſpectu ſit gratuita ad laudem miſericordiæ & gratiæ DEI, tamen ad laudem ejuſdem Juſtitiæ ex redemptione ſit per ſatisfactionem plenam IESU CHRISTI.

25. *Quem propoſuit DEUS ut eſſet placamentum per fidem in ſanguine ipſius, ad declarandam juſtitiam ſuam per remiſſionem præcedentium peccatorum.* Quod utrumque probat Apoſtolus nimirum juſtificationem gratuitam eſſe, & DEUM juſtum eſſe nos gratis juſtificando, quæ ſumma Euangelii eſt: utrumque hoc inquam, probat Apoſtolus deſcriptione IESU CHRISTI: Prima pars deſcriptionis eſt ipſius propitiatio, ſuo authore DEO illuſtrata, (*quem propoſuit DEUS propitiationem*) hanc intelligo ἐνσάρκωσιν & Filii DEI in carne exhibitionem. Secunda pars eſt noſtri cum DEO reconciliatio per ipſius in carne ſacrificium;

cium; nam placamentum esse, est esse sacrificium ἱλαστηριον, & Deum nobis peccatoribus placans, quod amplificatur instrumentali causa quâ nostrum efficitur ad reconciliationem illud sacrificium, quæ est fides in sanguine ipsius. Tertia pars descriptionis, est finis utriusque præcedentis & ἐνδειξιν & sui in carne sacrificii, finis hic est ostensio justitiæ Dei (*ad ostendendam justitiam suam*) Justitiam Dei hic intelligo, ut supra 21. eam quâ in conspectu Dei nos justi sumus, quam hîc definit Apostolus sua forma, ut supra 22. efficiente, & subjecto. Forma est remissio peccatorum; quæ peccata describit Apostolus à priore ipsorum in mundo regno: nam hîc antecedere, est mundum in iis vixisse, & ea in mundo regnavisse ante cognitum Christum, ut sensus sit, (quæ antecesserunt) *i. e.* in quibus ambulavit mundus, & quæ in mundo regnaverunt ante Christum manifestatum in carne. Sic Apostolus exponit locis *Act.* 14. 16. & 17. 30. comparatis, in hujusmodi peccatis, quæ olim in mũdo, & adhuc in infidelibus mundi regnant, quorum reliquiæ, quanquam non regnantes, sed quibus resistitur per Spiritum Sanctum, supersunt tamen adhuc dum isthic vivitur, etiam in ipsis fidelibus, in hujusmodi, inquam, peccatorum remissione positam dicit Apostolus justitiam omnium in Iesum Christum credentium, *Judæorum* primùm, deinde *Gentium*; ponit itaque hîc Apostolus duo ista quasi fundamenta, primum quod ante Christum in carne exhibitum omnia peccata in *Gentibus* viguerint, quæ locis citatis vocat Apostolus vias *Gentium* (finit Deus *Gentes* ambulare in viis suis) Alterum fundamentum, quod horum omnium peccatorum quæ magna

&

& multa, certa remissio sit credentibus in sanguinem IESU CHRISTI, quæ remissio nostra est justitia coram DOMINO.

26. *Ex DEI tolerantiâ.* Prolepsis est & occupatio objectionis, quâ conantur infideles tum ex *Judæis*, tum ex *Gentibus*, utrumque illud Apostoli fundamentum convellere, atque concludere, quod nec ei fuerint in mundo peccata ante cognitum CHRISTUM, quæ dicit hic Apostolus: nec in ipsorum proinde remissione positam esse justitiam nostram qui in CHRISTUM credimus. Itaque sic argumentantur, si antecesserunt peccata quæ jam credentibus ad justitiam remittuntur, tum temporibus antecedentibus mundum adhuc in peccatis ambulantem, DEUS qui Justus Judex destruxisset: Posterius falsum, non destruxit, sed contrà, bona tribuit & implevit cibo ac lætitiâ corda eorum, ut Apostolus loquitur, *Act.* 14. 17. Ergo & prius falsum, nec mundus olim injustus (ut asseris) nec jam remissione peccatorum justificandus. Respondet Apostolus propositionem falsam, & quanquam mundum non destruxerit DEUS Justus Judex, tamen in mundo sine CHRISTO regnavisse peccatum, quod DEUS mundum etiam peccantem & vasa iræ, ut alibi loquitur, ad interitum coagmentata multa lenitate toleravit. *Ad declarandam justitiam suam præsenti tempore.* Proxima responsionis illustratio & illius Dei tolerantiæ quâ diu mundi peccata pertulit, à fine è præcedentibus repetito, toleravit DEUS *Gentium* peccata etiam cum peccatum regnaret in *Gentibus* non frustra, sed hoc fine ut in isto tempore manifestationis IESU CHRISTI demonstraret (hoc est, notam faceret mundo)

do) justitiam suam per fidem in suo Christo, *i. e.* illam Justitiam qua mundus alioqui in peccatis mortuus justificaretur in conspectu Dei: quia hanc Justitiam (hæc mens Apostoli est) erat hoc tempore exhibiturus Deus manifestato in carne Iesu Christo, ideo *Gentes* ante hoc tempus quanquam multum peccatores tamen toleravit Dominus, ut in eorum posteris illa sua Justitia manifestaretur. *Ut sit ipse justus & justificans eum qui est ex fide Iesu.* Quarta est & ultima pars descriptionis Iesu Christi inceptæ versu proximo superiori, à fine ulteriori qui est οὐσαγις & consistentia Justitiæ & misericordiæ Dei in justificandis nobis peccatoribus: nisi enim in Iesu Christo propositio in placamentum per fidem in sanguinem ipsius non esset Deus & Justus & justificans nos peccatores, tum nec ipsi nos nec ulla creatura nostro nomine posset satisfacere pro nostro peccato. Sed Iesus Christus à Patre propositus in placamentum ita plenè satisfecit divinæ Justitiæ pro omnibus omnium credentium peccatis, ut Deus in nobis (qui credimus in Iesum) ex mera sua gratia & misericordia justificandis sit etiam ipse Justissimus. Unum notandum, quod utroque hoc versu vocat Apostolus justitiam suam, non eam qua Deus in se Justus est, nec qua declaratur Justus in exequendo Judicium super improbis peccatoribus, sed qua nos gratis justificat justitia nimirum gratis data à Deo in Christo, qui solus satisfecit & est meritus Justitiam.

27. *Ubi igitur gloriatio? Exclusa est, per quam legem? Operum? Non, imo per legem fidei.* Συμπερασμα est & conclusio illata ex antecedente assumptionis præcipuæ illata jam conclusione. Conclusio fuit

(ut

(ut diximus in *verſ.* 20. ſupra) quod ex operibus Legis nulla caro juſtificetur, unde colligit Apoſtolus jam aliam concluſionem quod omnis gloriatio ſit per fidem excluſa, quam concluſionem hîc tractat Apoſtolus per διαλογισμον & diverſa, ſumma eſt, gloriatio omnis carnis in carne excluſa eſt, non per Legem Operum, ſed per Legem Fidei.

28. *Colligimus igitur, fide juſtificari hominem, abſque operibus Legis.* Concluſio primi Syllogiſmi (ut in *verſ.* 18. *Cap.* 1. annotatum eſt.) Ergo ex fide eſt juſtificatio.

29. *An Judæorum DEVS ſolùm? an non & Gentium? certè et Gentium.* Ἐξηγατια eſt & explicatio proximæ concluſionis ab adjuncta ſubjecti univerſalitate, quod enim dixit hominem juſtificari fide, hominem oſtendit ſe intelligere non minus *Græcum* & eum qui è *Gentibus* eſt ex fide Chriſti, quam *Judæum* & *Iſraelitam*; id quod probat duobus argumentis; Prius ſumptum eſt à cauſa efficiente principali Juſtitiæ communis *Gentibus* & *Judæis*, is Deus eſt unus & idem utrorumque. Sic igitur argumentatur Apoſtolus, quorumcunque Deus eſt Deus, unus nempe Ille verus *Iſraelitarum*, eorum etiam eſt, juſtitia Dei, ſeu illi omnes fide juſtificati ſunt abſque Legis operibus; At qui Deus & *Judæorum* eſt & *Gentium* (quod evincit hîc Apoſtolus διαλογισμῳ cum *Judæis* ſibi ſolis Deum vendicantibus) Ergo & *Judæorum* & *Gentium* eſt Juſtitia Dei illa abſque operibus & quæ ex fide eſt Ieſu Chriſti.

30. *Siquidem unus DEVS eſt qui juſtificabit circumciſionem ex fide & præputium per fidem.* Alterum

terum argumentum ab effecto Dei qui unus est & *Gentium & Judæorum*, quod effectum est justificare utrosque, & sic arguit Apostolus, Deus justificat & circumcisionem, *i. e. Judæos* seu *Israelitas*, & præputium seu *Gentes*. Ergo Justitia Dei est etiam *Gentium*, seu justificatur fide & *Judæus & Græcus*, addit Apostolus in hoc argumento, *Ex fide per fidem.* ἔκδειξιν & explicationem effecti Dei in justificandis *Judæis & Gentibus*, quorum utrorumque Justificatio hoc habet commune, quod fide fiat, ut maneat conclusio quod uterque & *Judæus* & qui è *Gentibus* justificetur fide. Discrimen aliquod notatur in loquendi modo, & quod dicit Apostolus, circumcisionem seu *Judæos* ex fide, *Gentes* autem per fidem justificari: quod discrimen sic accipio intelligendum ut innuat Apostolus *Judæis* Legem habentibus, Legem tamen ejusque præstationem non esse Justitiæ materiam, sed fidem seu Christum fide apprehensum esse Justitiæ materiam coram Deo, etiam Legem habentibus. Quod apertius loquitur Apostolus, *Gal.* 2. 16. *Nos etiam in Christum Iesum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus Legis*, hoc est, ut Christus non Lex nobis sit Justitiæ materiâ, hæc prima pars discriminis est; quod ad alteram, cum dicit præputium per fidem Justificari, notat formam per quam est Justitia nostra, & quâ etiam ipse Christus est fide apprehensus, ut sensus sit, Quemadmodum Christus non Legis præstatio, est Justitiæ materia *Judæis* Legem habentibus, sic ipsis *Gentibus* qui Legem non habuerunt accessus patet ad eandem Justitiam per eundem Dominum Iesum Christum apprehensum fide,

id quod multo ante & prævidit & prædixit *Noah* dum *Japheto* benediceret, *Gen. 9. Hoc discrimen.* Hîc inserit Apostolus ne se fallant *Judæi*, putantes quod Legem habuerunt & circumcisionem, ex Lege & circumcisione se justificatum iri, Sed ut evecti supra Legem & circumcisionem, prehendant communem Justitiam per fidem eandem cum *Gentibus*, quæ non poterant ex Lege vel circumcisione sperare salutem, quod Legem non habuerint. Notandum hîc obiter discrimen est triplicis loquendi formæ quâ in hoc negotio sæpè utitur Apostolus; dicit enim fide nos justificari, ex fide nos justificari & per fidem; quarum formarum hoc discrimen, quod prima instrumentum. Secunda materiam. Tertia formam justificationis seu justitiæ notet. Ideoque vocabulum fidei in prima propriè sumptum esse, in duobus reliquis μεϛονυμικως pro Iesu Christo: dicimus enim per Christum nos justificari innuentes formam, & in Christo nos justificari innuentes materiam. Sed non Christo memini absolutè & ut instrumento dici ab Apostolo, quod justificemur.

31. *Legem igitur inanem reddimus per fidem?* Prolepsis est & occupatio objectionis factæ à *Judæis*, conclusionem incommodo urgentibus, sicut antea, ut audimus assumptionem. Objectio hæc est. Si fide justificatur homo, Lex redditur inutilis & aboletur. Hoc absurdum. *Absit.* Respondet Apostolus propositioni, primùm adversando calumniam ut impiam. Absit à nobis aboleamus Legem, Deinde argumento majorum non tantum non reddimus inutilem Legem aut abolemus, sed usum ostendimus & stabilimus. Usus etenim fuit ad Christum adducere, ut loquitur Apostolus,

Gal.

Gal. 3. 24. *Lex Pædagogus noster fuit in Christum respiciens*, & in CHRISTO stabilita est. Primò, complemento in suo sanguine, in eo enim quod Legem impleverit CHRISTUS, ostendit Legem, Legisque cerimonias omnes ad tempus usque Reformationis utiles fuisse. Secundò, in nobis per regenerationem hic inchoatam, quâ etiam hic incipimus Legis obedientiam illam quam plenè præstabimus in futura vita; his etenim duobus modis usu & complemento, & isto duplici, perfecto in Iesu Christo, in nobis inchoato, tandem aliquando perficiendo stabilit Legem justitia fidei ejusque prædicatio: quapropter Apostolus aversatur, non ut in se, sed ut in veritatem DEI calumniam illam de Lege reddita inutili per fidei Justitiam. Et hactenus primum argumentum fuit τὰ κρινόμενα & Justitiæ fidei, ut dictum in *vers.* 18. *Cap.* 1.

Caput quartum.

Equitur hoc Capite alterum argumentum, quo probat Apostolus hominem fide justificari, ductum ab exemplo *Abrahami*, qui Pater fuit credentium, & cujus justificatio pro exemplari est in omnibus postea justificandis, & toti ipsius secundum Spiritum semini. Argumentum sic habet, *Abraham* non est justificatus ex operibus Legis coram DEO, sed fide & imputatione justitiæ fidei: ideo justitia ex fide est, non ex Legis operibus. Ratio sequelæ additur, scriptum est *Abrahamum* im-

putatione juſtitiæ per fidem juſtificatum propter nos, ait Apoſtolus, quibus futurum fuit imputaretur, hoc eſt, ut nos ſciremus nos ſimiliter juſtificandos imputatione juſtitiæ fidei. Ergo ſi *Abrahamus* fide juſtificatus eſt, non ex Legis operibus, ex fide eſt juſtitia non ex Lege. Antecedens argumenti diſputatur à primo *verſu* ad 16. quo habetur conſequens ad *verſum* 23. Unde ad finem eſt ratio ſequelæ, ſeu ſi libet ita colligere, ſit generalis propoſitio pleni Syllogiſmi in hunc modum: *Abrahæ* juſtificatio ſcripta eſt ut exemplar noſtræ deinceps juſtificationis, vel apertius, quo modo juſtificatus *Abraham*, eodem & nos ipſius ſecundum Spiritum poſteri. At *Abraham* non operibus ſed fide juſtificatus eſt, ergo & nos. Primo loco eſt aſſumptio ad *verſum* ut diximus 16. Secundo loco eſt concluſio inde ad *verſum* 23. Tertio loco propoſitio à 23. *verſu* ad finem, & hæ Capitis tres ſunt partes, primæ partis & aſſumptionis tractandæ tria membra, Primum enim habetur prior aſſumptionis pars, *Abrahamum* non juſtificatum operibus, 1. & 2. *verſu*, Deinde ſequitur altera aſſumptionis pars, quod *Abramus* fide juſtificatus ſit à *verſ.* 3. ad 9. Unde ad *verſum* 16. eſt ejuſdem ſecundæ partis amplificatio.

1. *QUid igitur dicemus, Abraham patrem noſtrum adeptum eſſe ſecundum carnem?* Prior pars eſt aſſumptionis, *Abraham* ſecundum carnem, *i. e.* ſuis operibus & Legis præſtatione nihil nactus eſt; quod ad juſtitiam coram DEO, id quod urget Apoſtolus interrogatione ut ipſorum *Iudæorum* evidentiâ veritatis convictorum teſtimonio, ſuffragio & conceſſione confirmetur, dicemus ne *Abraham* nactum juſtitiam

tiam secundum carnem? quasi dicat Apostolus, non dico, nec vos potestis dicere.

2. *Nam si Abraham ex operibus legis justificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum.* Illustratio est prioris partis assumptionis à diversis, quâ Apostolus περιπτικῶς occurrit communiter receptæ opinioni *Iudæorum*, *Jacobi* etiam authoritate ad hoc fortasse abutentium, quod *Abrahamus* operibus justificatus, Respondet Apostolus consentiens *Jacobo Abrahamum* operibus justificatum, & habere quod glorietur nimirum quod (ut *Iacobus* loquitur) *Isaacum* filium suum super altari obtulisset: hanc tamen *Abrahami* gloriationem non esse apud Deum, sed apud homines, hoc est, quod isto fidei effecto approbata sit ipsius justitia, imo omnibus quidem præluxerit hominibus *Abrahamus*, & clarissimè symbolum fuit dilectionis Dei, sed suam coram Deo justificationem longè alteri & præstantiori inniti justitiæ, quàm esset ista suæ obedientiæ & operum, ex quibus coram Deo nulla gloriatio, nulla justificatio ulli carni, ut Apostolus loquitur *Cap.* supra 3. 20. & *Gal.* 2. 16.

3. *Quid enim Scriptura dicit? credidit autem Abraham DEO, & imputatum est ei prò justitiâ.* Altera pars assumptionis est, & alterum membrum primæ partis *Capitis*, *Abrahamus* fide justificatus: quod sic probat Apostolus, cui fides ad justitiam imputatur, is fide justificatus est: at credidit *Abrahamus* Deo & id ei ad justitiam imputatum est. Ergo ipse fide justificatus est, Argumentum est à pari consequutione in relatis, Deus imputat seu dat justitiam ex fide *Abrahamo*: Ergo *Abrahamus* recepit justitiam seu justifica-

tur ex fide: Aſſumptio eſt *verſu* 3. confirmata authoritate Scripturæ & Divino teſtimonio, *Gen.* 15. 6. *Pſal.* 197. 31.

4. *Atqui ei qui operatur merces non imputatur, ex gratiâ, ſed ex debito.* Probatur propoſitio proximi Syllogiſmi: operanti merces eſt ex debito: Ergo cui imputatur fides ad Juſtitiam, is non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, *hoc eſt*, fide juſtificatur. Argumentum eſt à pari conſequutione in adverſis: adverſa enim ſunt operari ſeu operibus acquirere juſtitiam, & imputari ex fide ſeu gratis dari juſtitiam: Deinde adverſa ſunt ex debito juſtificari ſeu accipere mercedem & credere in eum qui juſtificat impium: Antecedens Enthymematis eſt *verſu* 4. amplificatum argumento diverſorum, Ei qui operatur, hoc eſt, cui ex operibus datur Juſtitia, non datur gratiâ, ſed ex debito.

5. *Ei vero qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, imputatur fides ſua pro juſtitiâ.* Conſequens Enthymematis etiam diverſis amplificatur. Notandum, attributum enuntiati & quod prædicatur priori loco poni, ſubjectum autem poſteriori: pro eo enim quod diceretur cui imputatur fides ad Juſtitiam, is non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, ἀναπαλιν videlicet facta conſequutione Apoſtolus inverſo enunciato effert, quaſi conſequutio directa eſſet in contradicentibus cum ex Apoſtoli mente & ſcopo conſequutio ſit ex adverſis ἀναπαλιν tantum diſpoſitione tranſpoſitis terminis, pro eo quod diceretur cui imputatur fides, *&c.* ut dictum eſt. Notandum hîc ſynonima eſſe imputari mercedem ex gratiâ, & credere in eum qui juſtificat impium, ſeu imputari

putari fidem ad justitiam, & ex operibus imputari mercedem operanti & ex debito: adversa autem sunt operari & imputari fidem ad justiciam, item imputari ex gratiâ & imputari ex debito.

6. *Sicut etiam David pronunciat beatum eum hominem, cui* DEUS *imputat justitiam absque operibus.* Alterum argumentum propositionis est ab effecto Justificationis coram Deo, quod est fœlicitas seu beatitudo: Quisquis beatus & quo modo consequitur beatitudinem, idem justus est coram Deo, & eodem modo consequitur Justitiam: at cui imputat Deus justitiam, is fide & absque operibus est beatus: Ergo cui imputat Deus justitiam, is coram Deo justus est fide absque operibus: assumptio *versu* 6. est confirmata *Davidis* testimonio, quod fusius explicatur è *Psal.* 32. versibus duobus insequentibus.

9. *Ista igitur beatitatis prædicatio in circumcisionem solum, an & in præputium cadit? dicimus enim imputatum fuisse Abrahæ fidem pro justitiâ.* Tertium membrum est primæ partis Capitis & amplificatio primæ assumptionis, à duplicis temporis adjuncto. *Abraham* fide justificatus est, seu imputata est ei fides ad justitiam; Primum in præputio, quæ deinde fidei justificatio mansit signo circumcisionis confirmata, hanc tractat Apostolus communicatione; Primùm enim proponitur quæstio principio *versus* 9. in fine autem ejusdem *versus* quæstionis fundamentum proponitur, nempe concluſa jam assumptio, quasi dicat Apostolus cum jam concluserimus *Abrahamo* fidem imputatam ad justitiam, seu *Abrahamum* fide justificatum & beatum factum, quæstio oritur quando iste fuerit imputati

putatio an postquam circumcisus est, an ante in præputio.

10. *Quo modo ergo imputata est cum esset in circumcisione, an quum esset in præputio?* Quia injecto quæstionis fundamento abrupit quæstionem, eandem repetit *non in circumcisione, sed in præputio.* Hypophora est & subjecta responsio, cujus duæ sunt partes: Prior constat diversis, non in circumcisione sed in præputio imputata est fides *Abrahamo* ad justitiam.

11. *Et signum accepit circumcisionis.* Secunda pars responsionis, circumcisio ut signum receptæ prius justitiæ sequebatur imputatam *Abrahamo* justitiam, *Sigillum justitiæ fidei*, obiter inserta circumcisionis definitio est. Ubi obiter notandum ex Apostolo signum seu sigillum esse genus sacramenti. *Ut esset pater omnium credentium in præputio*; Illustratio responsionis est à fine, primùm prioris partis, eoque duplici: Unus imputata *Abrahamo* est Justitia in præputio, ut esset pater credentium in præputio [*ut imputetur etiam ipsis justitia*]. Alter finis & ulterior imputatæ *Abrahamo* justitiæ in præputio.

12. *Et pater circumcisionis.* Finis posterioris partis responsionis, *Abraham* in præputio justificatus accepit postea circumcisionis signum, ut esset pater circumcisorum. Sic enim hîc accipitur nomen circumcisionis per Metonymiam adjuncti pro subjecto. *Iis viz. qui non solùm sunt ex circumcisione, sed qui etiam incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.* Epanorthosis est, & correctio ejus quod proximè dixit Apostolus, *Abrahamum* esse patrem circumcisorum, per diversa, non omnibus circumcisis

cisis pater *Abrahamus* est, sed aliquibus, quos hic describit Apostolus comparatione majorum, qui nimirùm non solùm circumcisi sunt circumcisione manufactâ, sed etiam qui corde circumcisi sunt, & incedunt vestigiis fidei *Abrahami*, illius nimirum quæ fuit in præputio.

13. *Non enim per Legem promissio cessit Abrahæ aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei.* Ratio Epanorthoseως, si quicunque ex circumcisione iidem essent semen *Abrahæ*, & *Abraham* ipsorum pater, tum per Legem & circumcisionem cessisset *Abrahamo* & ejus semini promissio, ut hæres esset mundi. Posterius falsum: Ergo. Assumptio *vers.* 23. est illustrata argumento diversorum, non per Legem, sed per fidei justitiam cessit promissio.

14. *Etenim si ii qui ex Lege sunt, hæredes sunt, inanis facta est fides, & vana redditur promissio.* Probat assumptionem & priorem partem diversorum, si ex Lege esset hæreditas inanis esset promissio, inanis fides in promissionem, quia non assequeremur promissionem. Posterius falsum: Ergo per Legem non est promissio.

15. *Nam Lex iram efficit.* Probatio propositionis ab effecto Legis, quod est iram Dei nobis efficere, cum itaque Lex efficiat iram, si per Legem speranda est promissio, inanis spes esset & fides promissionis: sunt enim ἀσυστατα & consistere nequeunt ira Dei & acquisitio hæreditatis promissæ. *Ubi enim non est Lex ibi nec transgressio.* Probat antecedens & Legem iram efficere, ab alio & priore Legis effecto, Lex efficit transgressionem: Ergo & iram. Probatio antecedentis

tis in Textu eſt, ubi non eſt Lex ibi nec tranſgreſſio: Ergo Lex efficit tranſgreſſionem. Notandum tamen utrumque hoc effectum hîc Legi adſcriptum, & tranſgreſſionem & iram Dei inſequentem Legis eſſe effectum per accidens, & propter ἀδυναμιαν carnis noſtræ. Si enim nos Legem præſtaremus, Lex nec iram efficeret nec tranſgreſſionem; Sed cum Lex poſita ſit, nec eam nos præſtare poſſumus, non poteſt Lex niſi iram operari & tranſgreſſionem.

16. *Propterea ex fide eſt hæreditas.* Secunda pars Capitis & concluſio principalis Syllogiſmi, Ergo nos aſſequimur hæreditatem Cœleſtis Regni, & proinde juſtificamur (nam hæreditas præſupponit juſtitiam) ex fide, non ex operibus Legis. *Ut ſit per gratiam.* Concluſionem illuſtrat & noſtram ex fide hæreditatem fine duplici: Prior eſt, ut hæreditas noſtra ſit gratuita, ſeu gratis data, id quod non foret ſi hæreditas eſſet ex Legis operibus: nam quod ex Legis operibus quis aſſequitur, ex debito accipit, ait ſupra Apoſtolus, & proinde non eſt gratuitum ſeu gratis datum; ſunt enim iſta ex diametro oppoſita opus & gratia, ſeu gratia & debitum, ut docet nos Apoſtolus infra 11. 6. hic obiter notandum, Dei ab initio conſilium fuiſſe gloriam ſuam quærere ex gratiâ ſeu gratuitâ hominum ſalute, & gratis data hæreditate, in quem finem ait hîc Apoſtolus hæreditatem homini obvenire fide, ut ſenſus verborum ſit, noſtra Juſtitia & vita per fidem eſt, ad complementum conſilii Dei ab æterno, quod fuit nos gratis ſeu per ipſius inſolidum gratiam juſtificandos & ſervandos in Christo Filio, non autem per primam illam & naturæ juſtitiam in Legis operibus: *Ut firma*

ſit

sit promissio. Alter finis & ulterior, nimirum cur per gratiam sit hæreditas: si per Legem esset & ipsius opera infirma esset, quanquam non à parte promittentis Dei, à nostrâ tamen, quibus facta promissio, imo per impotentiam & infirmitatem viribus destituta & ἀδυνατος ad impleri, ut docet nos infra Apostolus, 8.3. ut itaque promissio firma esset, & impleri posset, nec impediri per carnis nostræ ἀδυναμιαν, Dei consilium fuit, ut esset promissa hæreditas per gratiam toti semini. Βεβαιωσιν hanc & promissionis firmitudinem illustrat subjecto quod est totum semen *Abrahæ, i. e. non solùm ei quod ex Lege, verumetiam ei quod est ex fide Abrahami.* Subjectum explicat inductione ex membris, quæ hic duo proponuntur, Unum ex Lege, Alterum ex fide, & majorum comparatione amplificantur, sic, ut firma sit promissio semini *Abrahæ*, non solum ei quod ex Lege, verumetiam ei quod ex fide *Abrahami*, innuere vult Apostolus, quod nisi promissio ex gratiâ foret, neutri parti seminis firma esset: non ei quod ex fide, quia Legem non haberet ex quâ assequeretur promissionem, nec ei quod ex Lege propter Legis impotentiam. Semen ex Lege hic intelligo, fideles sub Lege, & semen ex fide eos qui ex *Gentibus* adducuntur ad fidem *Abrahæ*. Quod ideo observandum, ne quis putet ullum posse esse ex spirituali semine *Abrahæ*, qui non sit fidelis, totum enim *Abrahæ* semen ex fide est, sed totius pars una ex fide tantum nimirum *Gentes* fideles, Altera etiam ex Lege propter ipsis concredita Legis oracula, ut supra dixit Apostolus: *Qui est pater omnium nostrum.* Prolepsis est & anticipatio objectionis *Judæorum* Lege & *Abrahamo* pa-

ter

tre gloriantium: toti *Abrahæ* ſemini, (ſic *Iudæi* objicerent) cum quo Deus fœdus inniit dedit etiam Legem; Quomodo ergo tu in tuâ hâc ſeminis diſtributione præter ſemen, ex Lege aliud dicis eſſe *Abrahæ* ſemen cui facta ſit promiſſio. Huic objectioni hic reſpondet Apoſtolus, & aſſerit *Abrahamum* eſſe patrem omnium noſtrûm etiam ſine Lege credentium.

17. *Sicut ſcriptum eſt, Patrem multarum Gentium conſtitui te.* Confirmatio reſponſionis à divino teſtimonio ex *Geneſis* 17. 5. Ubi *Abrahæ*, non ex *Iudæis* modò & ſub Lege exiſtentibus, ſed ex aliis etiam imò omnibus Nationibus, ſemen promittitur: Unde ſequitur, quod ipſe multarum Gentium imò omnium ſit pater, prout dicitur *Gen.* 12. 3. *Benedictæ erunt in te omnes familiæ terræ*, vel ex *Tremellii* diviſione *Cap.* 11. *verſu* ultimo. *Coram eo cui credidit Deo*, Epexegeſis eſt & explicatio præcedentis ſuæ reſponſionis, ab adjuncto modo; *Abraham* pater eſt multarum Gentium, verùm non σαρκικως & carnali modo, ſed coram Deo cui credidit & in ſpiritu. Vult igitur *Iudæos* doceri Apoſtolus hâc ſuâ reſponſione, quod alia ſit *Abrahæ* poſteritas & generatio, quàm de quâ illi cognoverant; illi enim non aliam noverant *Abrahæ* progeniem, quàm quæ ſecundum carnem fuit: at Apoſtolus ait hîc eſſe aliam coram Deo & in ſpiritu, per fidem *Abrahæ*; quæ, prout *Iſaac* vi promiſſionis Dei *Abrahamo* nata eſt: quod apertius Apoſtolus loquitur, *Gal.* 4. 23, *&c.* Itaque coram Deo hic patrem eſſe, eſt eſſe patrem vi promiſſionis Dei & reſpectu Dei promittentis: Deus enim promiſit *Abrahæ* multas Gentes futuras illi ſemen, & facta eſt promiſſio de multis

tis Gentibus futuris *Abrahæ* in semen: Hoc respectu duplici multarum Gētium *Abrahamus* pater est factus, credendo & per fidem apprehendendo promissionem DEI, adeo ut semen hoc multarum gentium ab *Abrahomo*, Gentium sit, credendo, & eidem natum vi promittentis DEI, *qui vivificat mortuos, & vocat quæ non sunt tanquam sint.* Descriptio est DEI illius qui prōmisit *Abrahæ* & cui *Abraham* credidit, ab effectis ipsius, quibus ostenditur vis illa promissionis ejus, & quibus ipse distinguitur ab omnibus falsis diis, quibus *Gentes* crediderant, Effecta hic duo sunt, Prius vivificatio mortuorum in peccato, *Eph.* 2. 1. & per synecdochen partis, sic dicitur nostra regeneratio. Alterum effectum est, *Gentium* vocatio, quâ qui populus non fuit (ut *Hoseas* loquitur) vocatur populus DEI viventis; Itaque horum effectorum prius commune est, nam omnes & *Judæi* & *Gentes* in peccatis mortui, ut multis docet Apostolus, *Eph.* 2. Alterum proprium est *Gentium* Apostolo interprete infra 9. 24,25,26. in quo Apostolus ex Prophetâ comparat *Gentium* vocationem cum primâ rerum omnium creatione; sicut enim in istâ DEUS primum non entia vocavit ut essent, & fuerunt, ita *Gentes*, prius non populum, vocat DEUS, & vocando fiunt populus DEI viventis.

18. *Qui Abraham contra spem sub spe credidit fore ut ipse fieret pater multarum gentium.* Ut proximis verbis descripsit DEUM cui *Abraham* credidit, sic istis *Abrahæ* fidem, quâ DEO credidit describit Apostolus: primùm, ab adjunctâ difficultate, contra spem credidit. Secundò ab adjunctâ firmitudine, sub spe credidit. Tertiò à causa materiali, fore fieret pater multarum

multarum Gentium, cujus deſcriptionis ſingulas partes explicat verbis inſequentibus. *Secundum id quod ei dictum fuerat, ita erit ſemen tuum.* Orditur à poſtremâ & materiâ fidei, quam hic explicat efficiente cauſa, quæ DEI promiſſio eſt, ex *Gen.* 15. 5. *Ita erit ſemen tuum.*

19. *Ac minimè debilis fide.* Partes duas reliquas deſcriptionis proſequitur Apoſtolus, primùm, enumeratis difficultatibus, deinde explicando robur fidei ſuperantis ipſas. *Non conſideravit ſui ipſius corpus jam emortuum.* Difficultates duæ ſunt; Prior emortuum ſuum corpus, emortuum vocat Apoſtolus νενεκρωμενον effectum morti proximum & quod jam ad ſobolem gignendam ejus corpus ſimile fuerit cadaveri, quanquam animâ præditum; *Cum centum circiter natus eſſet annos.* Confirmatio prioris difficultatis ab adjuncto *Abrahæ* ſenio & ætate ad gignendum inepta, fuit centum annorum, non quidem antequam fieret promiſſio, ſed antequam adeptus promiſſionem illi factam ætatis anno 70. Unde dicit Apoſtolus quod promiſſio Legem anteierit annos 430. *Galat.* 3. 17. *Nec emortuum uterum Saræ.* Secunda difficultas *Saræ* uterus emortuus.

20. *Ad hanc promiſsionem DEI non diſceptavit inſidelitate, ſed corroboravit ſeſe.* Sequitur robur, quod explicat argumentis tribus, primum, à diverſis, quanquam tanta objecta impedimenta, *Abrahamus* tamen non diſceptavit adverſus promiſſionem, ſed roboravit ſe fide adverſus impedimenta & infidelitatem; In his diverſis latet tacita majorum comparatio, non modò non diffidit, ſed ne diſceptavit infidelitate: *Tri-*

buta

buta gloria DEO. Secundum argumentum robustè fidei ab effecto, adversus impedimenta credens glorificavit DEUM ut veracem: ubi obiter nos docet Apostolus quod DEI à nobis glorificatio accrescit & decrescit cum fide in DEUM, id quod adfert è *Num.* 20. 12. Ubi DEUS infidelitate *Mosis* superstruit quod ipsum non sanctificarit seu glorificarit coram populo *Israel.*

21. *Ac plenè persuasum habens.* Tertium roboris argumentum à robustæ fidei formali causa, quæ est πληροφορια seu plena persuasio, *Abraham* πληροφορηθεις plenè persuasus fuit: Ergo fide robustus fuit, *Eum quod promiserat posse etiam facere.* Πληροφοριαν *Abrahæ* explicat causa sua efficiente, quæ DEI omnipotentia est ad illud præstandum quodcunque promittit, estque istud αἴτιον αἰτιατόν suprema causa robustæ fidei *Abrahæ. Abraham* fide robustus ad credendum DEO, quia DEUS robustus ad præstandum *Abrahæ* quodcunque promiserat.

22. *Quapropter etiam hoc imputatum est ei pro justitiâ.* Transit ad tertiam partem Capitis repetita assumptione Syllogismi, quæ fusè disputata fuit in primâ Capitis parte, & hîc velut consectarium infertur ex robustâ *Abrahæ* fide proximè explicata, quia *Abraham* DEO credidit & fortiter, ideo fides *Abrahæ* ad justitiam imputata est.

23. *Non scriptum est autem propter eum solùm quod hoc imputatum fuerit ei.*

24. *Sed etiam propter nos quibus futurum est ut imputetur.* Tertia pars Capitis & propositio principalis Syllogismi; vel, si lubet, propositionis principalis probatio, amplificata comparatione majorum. Ratio

justificandi

juſtificandi *Abrahamum* ſcripta eſt, quod per fidem fit, non propter eum ſolùm, ſed etiam propter nos, hoc eſt, non modò hiſtorica eſt, ſed etiam exemplaris & didaſcalica, ad nos docendos quod quo modo juſtificatus eſt *Abraham*, eodem juſtificamur & nos, quæ principalis Syllogiſmi propoſitio eſt; Argumentum à fine eſt (propter nos) *iis nimirum qui credunt.* Reſtrictio eſt generalis particulæ [*nos*] dum propter nos dico (diceret Apoſtolus) non intelligo, vel nos omnes homines, vel nos omnes *Judæos*, ſed credentes duntaxat, ſive ex *Judæis*, ſive ex *Gentibus* aliis quibuſvis, quare hâc reſtrictione Apoſtolus & deſcribit eos propter quos ſcripta eſt *Abrahæ* juſtificatio ex adjunctâ ſuâ fide, & repetit principalis Syllogiſmi concluſionem, quod juſtificatio noſtra, ſive *Gentium* ſive *Judæorum*, ſit *In eum qui ſuſcicavit Ieſum Dominum noſtrum à mortuis.* Fidem juſtificantem explicat Apoſtolus ſuo ſubjecto, & objecti percipiendi modo: Objectum Deus eſt, quem oſtendit Apoſtolus deſcriptione ab effecto, ſuſcitavit Ieſum Chriſtum Dominum à mortuis; modus autem percipiendi eſt, primùm, noſſe quod ſit, & quod meus ſit, Deinde ei adhærere, quod utrumq; notatur ab Apoſtolo hac familiari Apoſtoli loquendi forma, *meum*; ſic enim differunt iſtæ loquendi formæ, credo Deum eſſe, credo Deo, & credo in Deum quod primum & ſecundum ſunt fidei hiſtoricæ, & tria hæc ſignificent. 1. Quod Deus ſit, 2. Quod talis ſit qualis in Verbo deſcribitur (hoc eſt enim credere Deum eſſe) Et tertio quod verum ſit omne Verbum Dei, nam iſtud eſt Deo credere; at in Deum credere eſt fidei juſtificantis, & præter tria dicta

ſignificat

significat insuper ilta duo: Primum, Deum hunc qui in Verbo describitur, & talem, hoc est secundum omnia sua in Verbo attributa meum esse, seu mihi esse Deum ad bonum & salutem. Secundò, quod in hoc meo Deo ita requiescam, ut ipsi adhæream toto corde; quare in Deum credere est, credere primùm, quod sit Deus, Secundò, quod talis qualis in Verbo describitur. Tertiò, quod omne suum Verbum verum sit. Quartò, quod meus sit iste Deus & ego ipsius. Et postremò, quod ego in ipso quiescam seu toto corde ei adhæream, quæ vera est Dei percipiendi Ratio.

25. *Traditum in mortem propter lapsus nostros, & suscitatum ad nostri justificationem.* Descriptio est Iesu Domini nostri à mortuis suscitati, ab adjunctis duobus, quorum prius est ipsius ad mortem traditio, qua συνεκδοχικως significatur tota ejus perpessio. Posterius ipsius à morte resuscitatio, quâ συνεκδοχικως similiter significatur tota Christi glorificatio, prout in Euangelio est & Symbolo expressa. Hoc utrumque Christi adjunctum seorsim suo fine explicatum est, mors quidem propter lapsus nostros, *i. e.* mortuus est Christus, ut moriendo plenè satisfaceret pro omnibus peccatis nostris qui credimus. Resurrectio autem ad nostri fuit justificationem, hoc est, Christus à morte excitatus est, ut λυτρον & precium redemptionis morte suâ comparatum nobis possit applicare; si enim ipse sub morte mansisset, non fuisset morte suâ λυτρον nobis efficax ad justitiam & vitam, sed ipse pro nobis mortuus, postea vivens applicat suæ mortis pretium nobis ad justitiam & vitam, & hâc descriptione Christi continetur tertium principalis conclusi-

onis & nostræ per fidem justificationis argumentum, ad quod transit Apostolus proximâ descriptione Dei ab effecto *vers.* 24. proximè præcedente, hoc argumentum Apodeicticum est, & à causa sumptum nostræ justificationis & vitæ, primâ per se, & proximâ, quæ est mors & resurrectio Iesu Christi, cujus argumenti Syllogismus ex omnibus reciprocis sic habet. Quicunq; morte & resurrectione Iesu Christi justificantur & hæreditatem acquirunt, illi justificantur & vivunt, non operibus, sed fide in eum qui mortuus est & resurrexit, sive ut Apostolus loquitur in eum qui Christum à mortuis suscitavit. Atquì omnes nos vitæ participes & justitiæ justificamur per mortem & resurrectionem Iesu Christi. Hæc assumptio hîc Apostoli est, *Traditus in mortem, &c.* hoc est, per mortem & resurrectionem Christi abluti à peccatis justificamur, Unde sequitur conclusio, quod nos justificemur & vivamus fide.

Caput quintum.

Justificati igitur ex fide, pacem habemus erga DEUM. Capitis quinti tres sunt partes: Prima commendatio justificationis ex fide ad *versum* 12. Altera conclusio præcedentis disputationis, & quod homo justificetur, non quisque suis operibus, sed omnes communi fide in unum multos justificantem, qui est Christus Iesus & secundus *Adam*, hæc habetur

versu

versu 12. & deinceps ad 20. *Versu* autem 20. & 21. tertia pars Capitis est & exordium doctrinæ ἀναστοιχειώσεως. Ut ad primam revertamur, justificationis ex fide commendatio ab effectis sumpta est, & hoc quartum potest dici ejus argumentum hoc modo.

Quam sequitur pax cum Deo, reditus in gratiam & gloriatio sub spe gloriæ Dei, ea vera est hominis justificatio coram Deo.

At Justificationem non Legis sed fidei sequitur ista pax, reconciliatio, & gloriatio: Ergo ex fide justificatio illa est quâ coram Deo justificemur.

Propositio manifesta omittitur, Assumptio est 1. & 2. versibus, continens illam justificationis fidei commendationem ex tribus effectis, quorum quod ordine secundum est, primùm ponitur κατ' ὑστέρησιν, & quod ordine primum, secundo loco est, nam nostri in gratiam reductio, sive cum Deo reconciliatio prior est pace nostrâ erga Deum; pax enim erga Deum, ut hîc eam accipio, effectus est reconciliationis nostræ universus & beata illa conditio reconciliatorum, & qui ex Deo nati sunt: sive igitur conscientiæ pacem, sive apud Deum filiorum παῤῥησίαν, sive illam de quâ *Esa.* 11. & 65. cum creaturis reconciliationem, omnem hanc & hominis in his fœlicitatem isthîc intelligo pacis nomine erga Deum, quæ ideo dicitur pax erga Deum, quia tota est ex nostrâ cum Deo pace; ideo enim pacata est conscientia, & pacatæ nobis creaturæ, ideo nobis in vitâ pax est, quia nobis est cum Deo pax: sic enim Christus nomen pacis accipit; *Ioan.* 16. 33. Eam omni à mûdo & in mundo perturbationi opponens. *Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Hanc nostram

erga Deum pacem explicat Apoſtolus efficente cauſa, quæ eſt Dominus noſter Iesus Christus, ipſe efficit nobis iſtam pacem, & per eum eâ fruimur, ſicut ipſe loco citato, In me pacem habebitis.

2. *Per quem etiam fide habuimus hunc aditum in gratiam hanc, per quam ſtamus.* Alterum effectum juſtificationis ex fide, & ordine prius pace noſtrâ cum Deo, ut dictum eſt, hoc eſt noſtri cum Deo in gratiam reductio ſeu reconciliatio; eſt enim reconciliatio noſtra, noſtri cum Deo reductio in gratiam eam, ſeu favorem gratuitum, unde excidimus in Deum peccando, & qui gratuitus favor ſeu gratia fundamentum eſt pacis noſtræ novæ ex Dei miſericordiâ, hoc eſt, beatæ conditionis, quam in nos confert Deus noſter miſericors, jam reconciliatos & receptos in gratiam, id quod hîc, idem Apoſtolus nos docet in omnibus ſuarum Epiſtolarum exordiis, omnia bona quæ nobis à Deo precatur comprehendens aliquando gratia, miſericordia & pace, aliquando gratiâ & pace iſtâ ex miſericordiâ, hæc reconciliatio noſtra & in gratiam reductio cum Deo noſtro hîc explicatur cauſa efficiente principali, Ieſu Chriſto Domino noſtro, per quem habemus hunc aceeſſum in gratiam; & efficiente iſtrumentali (fide videlicet) Denique effecto quod eſt ſtare ſeu perſeverare in ea: Unde obiter diſcendum, quod perſeverantia Sanctorum ſit reconciliationis per Christum proprius & inſeparabilis effectus, adeo ut ſemel reconciliati & recepti in gratiam per Dominum noſtrum Iesum Christum, nunquam deinde vel in totum, vel finaliter excidant illâ gratiâ, id quod nos docet ipſe Dominus, *Ioan.* 13. 1. *Cum dilexiſſet ſuos illos*

illos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos. Et gloriamur sub spe gloriæ Dei. Tertium effectum justificationis ex fide, vel si lubet, & forte meliùs, secundus effectus reconciliationis ex ipsa simul & perseverantiæ conscientiâ ortus, quæ Sanctorum est gloriatio, hîc illustrata causa sua proxima quæ est spes gloriæ DEI, hoc est gloriæ illius repositæ Sanctis, & absconditæ cum Deo in Iesu Christo, cujus gloriationis praxin vide infra. §. 33, 34, 35. cum suo fundamento & causa, 38. Hîc digna est observatu, beatitudinis nostræ & pacis cum Deo causarum analysis, prima est justificatio per fidem Iesu Christi: Secunda est Justificatorum per CHRISTUM reconciliatio. Hinc perseverantia & spes gloriæ Dei, ex his pax & gloria in eâ.

3. *Nec id solum, sed etiam gloriamur de afflictionibus.* Gloriationem spei amplificat comparatione majorum, non solùm sub spe gloriæ Dei gloriamur, sed etiam in afflictionibus: hoc est, afflictiones Sanctorum & propter spem perpessiones à mundo & in mundo non imminuunt ipsis gloriationem spei, sed sunt velut causæ instrumentales ejus adaugendæ, vel, ut alii accipiunt, materia intentiùs gloriandi; sed prius malo, quia è verbis deinceps sequentibus, & *Heb.* 12. 11. perpessionibus tribuitur efficientia gaudii. 4. *Scientes quod afflictio tolerantiam efficiat,*

Tolerantia verò experientiam, experientia autem spem. Rationem reddit ἀποδόσεως & cur gloriemur etiam de afflictionibus, Argumentum prosyllogismo proponitur, afflictio efficit spem: Ergo, non solum sub spe, sed etiam de afflictionibus gloriandum. Antecedens probatur, experientia divinæ liberationis

ſpem efficit; at afflictio efficit experientiam liberationis divinæ, quod probatur à cauſa ſine qua non, ſeu per accidens, tolerantia malorum efficit experientiam divinæ liberationis: quo modo enim quis experiretur liberationem divinam, qui non pertulit mala? at afflictio ſeu oppreſſio à mundo & in mundo efficit tolerantiam, quod confirmat Apoſtolus noſtrâ ipſorum ſcientiâ & teſtimonio: Unde concluſum antecedens ſequitur, quod afflictio à mundo operetur ſpem.

5. *Porrò ſpes non pudefacit.* Καὶ ὑπερφασιν προλαμβ confirmat, & quod ſpes Sanctorum gloriari efficiat, argumentum eſt à diſparato, ſpes non pudefacit, vel ſi lubet, & fortè rectius, à contrario gloriationis Chriſtianæ immediato, nam gloriari & pudefieri Apoſtolus hîc proponit ut ἀντικειμενα ἐναντία, Ita ut ex altero negato alterum affirmatum ſequatur: ſic itaque arguit, ſpes Chriſtiana non pudefacit nos: Ergo Chriſtiani ſub ſpe gloriamur, *Quod charitas Dei effuſa ſit in cordibus noſtris.* Ratio antecedentis eſt, quod ſpes noſtra non pudefaciat, ab adjunctâ abundantiâ certitudinis, & ſenſus amoris DEI ſub Euangelio, ſignificata verbo ἐκκεχυται, charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris, ideo ſpes non pudefacit, eodem modo Propheta in *Pſal.* 11. 6. & Apoſtolus infra 8. 31. *Si Deus nobiſcum, quis contra nos?* Charitatem Dei hîc intelligo amorem Dei, quo nos diligit & amplectitur, qui ipſa illa gratia eſt, in quam reducimur in reconciliatione noſtri per Dominum noſtrum IESUM CHRISTUM: quare eadem cauſa hîc aſſignatur, cur non hîc pudefiat Chriſtianus, quæ ſupra aſſignata eſt ipſius ſub ſpe gloriationi, niſi quod illa gratia, quæ hîc charitas dicitur, amplificata

plificata sit ab adjunctâ abundantiâ, verbo, effusionis, ut dictum, notata, quam effusionem charitatis Dei accipio esse illam ipsam πληροφορίαν quam vidimus in *Abrahamo* supra 4. 21. Unde videtur cum Apostolo asserendum, quod fides justificans non sit duntaxat mentis notitia, sed etiam sensus in cordibus per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, effusus: Hanc charitatem Dei explicat causa effusionis efficiente, quæ Spiritus Sanctus est, qui idem deinde explicatur efficiente causa suæ in nobis inhabitationis, quod Dei donum est in Christo Iesu; Hoc ergo dat nobis hinc Apostolus discendum, quod in quam gratiam & charitatem Dei reducimur per Iesum Christum, per eandem nobis datus Spiritus ejusdem in nobis operetur & notitiam & sensum, quam vocat hîc Apostolus effusionem in cordibus nostris.

6. *Christus enim, cum adhuc nullis viribus essemus, suo tempore pro impiis mortuus est.* Confirmatio est effusæ & superabundantis charitatis Dei, ab effecto suo, in dando ad mortem pro nobis Dominum nostrum Iesum Christum, in quo nos diligit & reconciliati sumus, quam mortem hîc variè amplificat Apostolus, Primùm à voluntariâ exhibitione, quâ Iesus Christus se dedit ad mortem, quam docet nos Dominus, *Ioan.* 10. 18. & quam hîc innuit Apostolus, dum ait Christus mortuus est, hoc est, datus à Patre ad mortem, & volens ipse se ad mortem dedit. Secundò, ab adjuncto temporis, eoque duplice, primò nostri respectu, cum nullis adhuc viribus essemus, Deinde sui ipsius respectu, cum veniret suum tempus. Tempus, ut ait Apostolus, *Gal.* 4. 4. plenum & à

Patre

Patre præfinitum, ex quo temporis adjuncto vult Apoſtolus diſcamus ἀδυναμίαν noſtram ſine CHRISTO, & quod in negotio ſalutis nullæ nobis vires, donec per CHRISTI mortem dentur novæ: non quidem ad ſalutem comparandam, ſed iis quibus ſalus in CHRISTO jam comparata eſt, ad incedendum in viâ ſalutis, & indies magis, prout vires illæ accreverunt. Tertiò, amplificata eſt iſta mors à fine, *pro impiis* (ait Apoſtolus) hoc eſt, ut ab impietate nos & morte debita impietati liberaret: vel dici poteſt, & fortè meliùs, quod iſta tertia mortis CHRISTI amplificatio ſumpta ſit ab adjuncto, & impietate noſtrâ pro quibus mortuus eſt, ut ſenſus verborum ſit, fuimus, dum pro nobis mortuus eſt CHRISTUS, nil niſi impii: quare confirmationis Syllogiſmus eſt: pro quibus, cum ipſi nil niſi impii, mortuus eſt CHRISTUS, eos Deus ſuperabundanter diligit, ſeu in eos charitatem effundit: at nos ii ſumus pro quibus CHRISTUS mortuus eſt, dum eſſemus impii: quare effuſa in nos eſt Dei charitas, & nos ſuperabundanter amat: aſſumptio eſt hoc verſu & verbis proximè citatis.

7. *Enimverò vix pro juſto quiſquam moriatur.* Vice propoſitionis hæc ipſius eſt probatio, à minori, vix quis morietur pro juſto: Ergo abundè amat qui pro impio moritur: *Nam pro bono viro forſitan aliquis mori ſuſtineat.* Epanorthoſis eſt proximi minoris, & ratio cur Apoſtolus addiderit in propoſitionis confirmatione particulam (*vix*) quia nimirum fieri poteſt, quanquam rarò eveniat, ut pro viro juſto & utili quis mori ſuſtineat.

8. *Commendat autem ſuam charitatem erga nos*

DEVS,

DEUS, quod cum adhùc essemus peccatores, pro nobis CHRISTUS mortuus est. Conclusio Syllogismi est, cum repetitâ assumptione: nam commendare nobis charitatem Dei in hoc loco, est eam in nos effusam ostendere: quare verbis hisce duo ista dicuntur: Prius, quod Deus suam in nos charitatem effudit & supra omnem omnium creaturarum dilectionem commendavit, quæ Syllogismi præcedentis conclusio est, alterum quod hoc fecit Deus, & amorem suum immensum manifestavit, in hoc quod cum adhuc essemus peccatores, CHRISTUS pro nobis peccatoribus mortuus est, quæ Syllogismi est assumptio.

9. *Justificati igitur ejus sanguine, servabimur nunc multò magis per eum ab irâ.* Alterum argumentum est quo probat quod spes non pudefaciat, à minori sumptum, qui prius injusti justificantur per CHRISTI sanguinem, illi jam justificati multò magis servabuntur per eum sanguinem à venturâ irâ: at nos prius injusti, nunc justificati sumus per Christi sanguinem; quare multò magis per eundem servabimur ab irâ venturâ; hîc Apostolus ponit ista synonima, non frustrari seu pudefieri spe, & servari ab irâ venturâ, ista enim ab irâ nostri conservatio res sperata est, quam qui nanciscuntur non spe pudefiunt.

10. *Nam si cum inimici essemus, reconciliati sumus DEO, per mortem Filii ejus: multò magis reconciliati, servabimur per vitam ipsius.* Tertium argumentum etiam à minori, qui prius inimici reconciliantur per mortem Filii, ii multò magis servabuntur per ipsius vitam: Atqui nos, prius inimici, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii, multò magis ergo jam

reconciliati

reconciliati ſervabimur per vitam & reſurrectionem ejus. Hîc per mortem reconciliari, ut minus, comparatur cum ſalute per vitam, ut ſupra juſtificari injuſtos in minori comparatum eſt cum ſalute jam prius Juſtificatorum.

11. *Neque id ſolum, verum etiam gloriamur in DEO per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum:* Proximæ concluſionis illuſtratio à majori, quæ eſt gloriatio de Deo, tanquam noſtro ex fœdere, & in nobis tanquam ipſius populo; interea dum aſſequamur ſalutem per vitam Filii, quæ gloriatio hîc efficiente cauſa explicatur, quæ eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: nam ut vita ejus efficit nobis ſalutem, ſic per ipſum eſt nobis gloriatio de ſalute, dum ipſam aſſequamur. *Per quem nunc reconciliationem aſſequuti ſumus.* Effectum hoc Chriſti, in efficiendo nobis gloriationem, illuſtrat ſimili effecto præcedente ejuſdem Domini Ieſu Chriſti, quod eſt nobis efficere reconciliationem.

12. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors.* Concluſio eſt ἰε κεφαλαιε & præcipuæ quæſtionis, quæ à *verſ.* 18. 1. *Cap.* huc uſque diſputata eſt, nimirum per unum hominem Ieſum Chriſtum (qui idem Deus eſt θεανθρωπος) eumque fide apprehenſum, ſit illa hominis juſtitia, quâ coram Deo juſtificatur: hæc hîc variè amplificatur, & geminâ comparatione Chriſti cum *Adamo*, unde dicitur Chriſtus ſecundus *Adam*, vel ut Apoſtolus loquitur, 1*Cor.* 15.47. Secundus homo: Prior comparatio ſimilium eſt, quæ duobus modis proponitur. 1. Partibus explicata. 2. Contracta; ἀφλαστος explicatæ ſimilitudinis his verbis habetur, per unum hominem,

hominem, *i. e,* primum hominem ſeu *Adamum*, introiit in mundum peccatum & mors: ἀποδοσις ſubauditur, quæ ſic habet, ita per unum hominem, nimirum ſecundum Hominem ſeu Iesum Christum mundo venit nova juſtitia & vita per Juſtitiam, *Et ita in omnes homines mors tranſiit, in quo omnes peccarunt.* Illuſtratio παῤῥησιας eſt ad adjunctâ univerſalite peccati, & mortis propter peccatum; mors pervaſit omnes homines, quod omnes peccaverunt, nam ſive de ſingulis hominibus *Adami* poſteris ſigillatim hoc acceperis, ſive de omnibus in *Adamo* junctim, utroque modo verum eſt univerſale, quod omnes facti obnoxii morti, eo quod obnoxii peccato omnes; Omnes enim in *Adamo* peccarunt & mortui ſunt, & omnes poſt *Adamum* peccant & moriuntur, ſi Christum excipias, ſecundum *Adamum*, qui unus in ſe ſine peccato pro noſtris peccatis mortuus eſt.

13. *Nam uſque ad Legem peccatum erat in mundo.* Prolepſis eſt & occupatio objectionis *Judæorum*, per carnis ratiocinium peccato patrocinantium, vel ſi lubet ἀνθρωπου ψυχικου & hominis animalis primam mundi ætatem peccato liberantis ex Legis defectu, ſic, Ubi non eſt Lex ibi nec peccatum eſt: At in mundo ad *Moſem* uſque non fuit Lex, nam Lex per *Moſem* lata eſt, Ergo in mundo ab *Adamo* ad *Moſen* non fuit peccatum, nec verum quod doces, omnes peccaviſſe: Ad hanc objectionem reſpondet Apoſtolus, quod ante *Moſen* in mundo fuit & Lex & peccatum, Primum itaque hîc probat Legem fuiſſe, deinde peccatum: Legem autem fuiſſe probat eo, quod fuit peccatum, atque ita Apoſtolus Objicientium argumentum invertit

tit adversus ipsos sic, Ubi peccatum est, Lex ibi est: at ante *Mosem* & Legem ab ipso latam fuit in mundo peccatum: Ergo & Lex fuit ante latam à *Mose* Legem. Assumptio est primo loco. *Peccatum verò non esse putatur, quum nulla est Lex.* Probatio est Propositionis & quod Lex sit ubi peccatum est, Argumentum sumptum est à pari consequutione in relatis, nam si ubi Lex non est, non putatur ibi esse peccatum, sequitur quod ubi peccatum est, ibi etiam sit Lex, quia nimirum peccatum Legis violatio est.

14. *Regnavit autem mors ab Adamo usque ad Mosen.* Probat assumptionem proximi Syllogismi, & quod in mundo peccatum fuit ante *Mosen*, argumentum est ab effecto & stipendio peccati, quod est mors, mors fuit ab *Adamo* usque ad *Mosen*, ergo & peccatum: nam ubi Lex non est ibi nec peccatum. Ita ubi peccatum non est ibi nec mors: Quare si ab *Adamo* ad *Mosen* omnes sub morte, etiam ab *Adamo* ad *Mosen* omnes sub peccato fuerunt; & notandum hîc quod Apostolus non dicat mortem fuisse ab *Adamo* ad *Mosen*, sed regnavisse, quo innuit mortis efficaciam in mundo observatam, quod omnes nimirum morerentur, peccati autem in hominibus non item, donec per *Mosen* Lex denuò lata est, sed Lege latâ cessavisse mortis regnum, & incepisse regnum peccati, quod nimirum hominibus observata peccati vis, & quod justum cum Deo quod morerentur, id quod nos docet Apostolus infra 7. 9. absque Lege peccatum mortuum, *i. e.* non visum est regnare, & ego vivus eram, mihi visus eram vitâ dignus, adeò ut à mortis tyrannide & regno esset quod morerer: At mandati adventu, hoc

est

est, dum lata esset Lex, peccatum revixit, observatum est mihi peccati regnum, & ego mortuus sum, meo ipsius judicio, mihi visus morte dignus; adeo ut tyrannis & regnum non esset mortis, sed peccati jam post Legem per *Mosem* latam: Unde & alibi dicit Apostolus quod Lex ipsum occiderit, donec mortificatum Legi CHRISTUS resuscitaret, victurum DEO sub regno gratiæ seu regno DEI & Cœlorum: atque ita Apostolus mundi durationem partitur in tria regna, regnum mortis, ab *Adamo* ad *Mosen*, regnum peccati, à Lege ad CHRISTUM, ut loquitur Apostolus infra 6. 12. & regnum gratiæ, à CHRISTO, in æternum, quod regnum DEI dicitur & potestas Christi ejus, *Apoc.* 12. 10. *In eos etiam qui non peccaverunt ad similitudinem transgressionis Adami.* Illustrat proximi Syllogismi assumptionem, & quod mors ab *Adamo* ad *Mosen* regnasset, comparatione majorum, non solùm in actualiter peccantes, quo modo peccavit *Adam*, regnavit mors, sed in eos etiam qui similiter per ætatem peccare non poterant, quales infantes Legis nescii: quo docere nos vult Apostolus, quòd Lex, cujus trangressio peccatum est, ulterius extenditur quam ad actiones, & quod naturæ ipsius corruptio sit ejus transgressio, alioqui injustè infantes morerentur, qui actualiter peccare nequeunt. *Qui est typus illius qui erat futurus, i. e. Adamus* fuit typus Christi, modo nimirum eo quo dictum est, quod ut peccatum & mors per *Adamum*, ita justitia sit & vita æterna per *Iesum Christum*, estque hæc similitudo contracta & alter modus propositæ similitudinis.

15. *At non ut offensa, ita etiam est quod Deus gratificatur.* Altera est comparatio quâ Apostolus principalem

principalem concluſionem illuſtrat, hæc diſſimilium eſt, & duplex, Prior eſt lapſus cum gratiâ; non ut lapſus, ita etiam eſt quod gratificatur Deus. Lapſum intelligit primum illud & actuale *Adami* peccatum, gratiam autem, ſeu quod gratificatur Deus, exponit verbis proximè inſequentibus ipſe Apoſtolus, eſſe donationem ſeu donum Dei, ut Chriſtus loquitur, *Ioan.* 4. quo Ieſus Chriſtus unus ille homo per gratiam Dei nobis datus eſt, & propter nos ad mortem [*Nam ſi illius unius lapſu multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, &*] pro (*id eſt*) ut oſtenſum ſupra proximis verbis, quibus oſtenſum eſt quod verba inſequentia exponant hanc Dei gratiam; Itaque (*&*) hîc accipio pro (*i. e.*) *donum per gratiam, quod eſt unius illius hominis Ieſu Chriſti, in multos redundavit.* Confirmatio eſt proximæ diſſimilitudinis, ab impari comparatione lapſus & gratiæ, ſeu Ieſu Chriſti per gratiam dati, multò efficacior eſt gratia ad multos juſtos conſtituendum, quàm lapſus ad involvendum peccato, igitur non ut lapſus ita eſt & gratia.

16. *Neque ut illud quod introiit per unum qui peccavit, ita eſt beneficium.* Altera diſſimilitudo quæ eſt de effectibus lapſus & gratiæ, qui ſunt duplices, primi vel à primis orti, primi ſunt reatus & remiſſio peccati, reatum vocat Apoſtolus id quod introiit per unum, qui peccavit, remiſſionem autem beneficium, ſeu ut poſtea loquitur, quod gratificatur Deus per eum unum qui pro peccato ſatisfecit; unde notandum, quod ex mente Apoſtoli & unus ille homo Ieſus Chriſtus gratuitum Dei donum eſt, & id quod gratificatur Deus, ita etiam remiſſio peccati & quicquid in nos Deus

confert

confert in Christo, πρὸς ἡμᾶς, & nostri respectu, est gratuitum donum quanquam respectu Christi sit meritum. *Nam reatus quidem ex unâ offensâ est ad condemnationem, quod gratificatur Deus est ex multis offensis ad justificationem.* Confirmatio est secundæ dissimilitudinis, quæ duplex prout effectus; ut dictum; Prior, reatus est ex uno lapsu seu peccato, at remissio multorum est imò omnium peccatorum, in iis qui credunt, non igitur ut reatus seu quod introiit per unum qui peccavit, ita est remissio seu beneficium, quod Deus in Christo gratificatur: utraque pars comparationis amplificatur fine. Reatus finis est condemnatio: beneficii autem ex multis peccatis seu remissionis peccatorum est nostra justificatio, ideo enim remittuntur peccata ut fiamus justi.

17. *Etenim si per unam offensam mors regnavit per unum, multò magis ii qui redundantem illam gratiam & donum justitiæ accipiunt, in vitâ regnabunt per unum Iesum Christum.* Posterior confirmatio secundæ dissimilitudinis à secundariis effectis lapsus, & gratiæ, quæ sunt mors & vita æterna, seu regnum cum Christo in vitâ æternâ. Argumentum ut prius à comparatione minorum est, si per unum lapsum mors regnavit per unum vel per unius hominis lapsum, multò magis per unum Iesum Christum in vitâ regnabunt, qui superabundantiam gratiæ recipiunt: at prius manifestum, posterius igitur: quare non ut illud quod introiit per unum qui peccavit, ita est & beneficium.

18. *Nempe igitur, sicut per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem: ita*

per

per unam juſtitiam beneficium redundavit in omnes homines ad juſtificationem vitæ. Ἀνακεφαλαίωσις eſt, quâ quaſi ϖεγλωπλικως inſerta diſſimilitudine revertitur ad ſimilem comparationem Chriſti cum *Adamo*, eamq; duplicem, & utramque partibus plenè explicatam; in quarum priore comparat ſimiliter factum *Adami* ἀνομον ſeu ϖαραπλωμα & peccatum ejus primum actuale cum Chriſti dicaiomate & plenâ Legis ſatisfactione, ſic enim hic intelligo δικαιωμα, factum Chriſti juſtum, quo non ſolùm reſpondit Legi, ſed etiam pro nobis Legem tranſgreſſis (quicunque in eum credimus) plenè ſatisfecit: Hoc δικαιωμα Chriſti cum *Adami* peccato & primo paraptomate comparat ſimiliter in effectis, & ſimilibus, ut per lapſum venit in omnes homines reatus, ita per dicaioma Chriſti in omnes redundavit beneficium remiſſionis peccatorum: Hæc ſimilitudo effectorum eſt, ut ad condemnationem fuit reatus ille, ſic iſtud δικαιωματος Chriſti beneficium fuit εις δικαιωσιν & juſtificationem eorum qui in Chriſto ſunt.

19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* Poſterior ſimilis comparatio Chriſti cum *Adamo*, cujus comparatur inobedientia cum obedientiâ Ieſu Chriſti in effectis ſuis, per *Adami* inobedientiam multi conſtituti ſunt peccatores, ſic per Chriſti obedientiam juſti conſtituentur multi ita hic locus reſolvi poteſt; vel, ſi lubet, dici poteſt quod à *verſ.* 12. huc uſque habetur quintum argumentum juſtitiæ fidei à ſimili cum *Adamo* comparatione *verſibus* 12, 13, 14. quæ ſimilitudo compacta ſit ex variis minorum comparationibus, in quibus oſtenditur

ditur major vis gratiæ, ad remissionem peccatorum, quàm primi lapsus ad reatum, *vers.* 15. & remissionis iterum ad justificationem, quàm reatus illius ad condemnationem, *vers.* 16. Justificationis denique ad regnum vitæ, quàm sit condemnationis ex reatu illius lapsus ad mortis regnum, *vers.* 17. Ex quibus variis minorum comparationibus similitudo denuò duabus partibus concluditur, *vers.* 18, 19.

20. *Lex autem præterea introiit, ut augeretur offensa.* Dici potest quod hæc sit illustratio proximæ ἀποδόσεως à majori in hunc modum, lapsus ille & inobedientia unius nimirum *Adami* aucta est adventu Legis, tamen superabundavit gratia per unius obedientiam, ut justi multi constituerentur, malo tamen hinc ordiri ἀνασκευην & refutationem objectionis adversus veritatem jam ab Apostolo confirmatam huc usque à *vers.* 18. 1. *Cap.* quemadmodum igitur κατασκευη fuit & confirmatio justitiæ per fidem, ita deinceps ἀνασκευη est & refutatio objectionum contra veritatem jam confirmatam: Objectiones pro Lege disputantium contra fidem variæ. Prima est de usu Legis, & ex proximâ conclusione oritur, si per unius obedientiam est multorum justitia, Lex quæ prior Euangelio frustra lata est: Atqui Posterius falsum, Ergo non per unius obedientiam est Justitia nec hæreditas ex fide in promissionem, ut supra dictum est. Respondet Apostolus hisce verbis propositioni objectionis: & Responsionis sunt duæ partes, Una est quod Lex *Mosaica* (de eâ enim hîc disputatur) non fuerit prior promissione & justitiâ hâc per unius obedientiam, sed quod παρεισηλθε præterea introiit & post promissionem Dei de Justitiâ per fi-

dem. Sic Apoſtolus exponit, *Gal.* 3. 17. Legem docens promiſſione poſteriorem 430. annis. Secunda pars Reſponſionis quod uſus Legis, præterea introeuntis fuerit, ut augeretur lapſus ille, hoc eſt, accreſceret peccatum, quod per unius inobedientiam in mundum introiit, Unde ſequitur quod nec Juſtitia per Legem, nec Lex tamen fruſtra & ſine uſu ſit lata, cum lata ſit, & poſt Euangelii promiſſionem, non ad tollendum, ſed ad augendum peccatum; quem Legis uſum intelliges eſſe per accidens & noſtri reſpectu, qui carnales ſumus; & ita ſub peccato ut Legem modò præſtare nequeamus, ſed occaſione Legis augeatur peccatum & prima illa unius tranſgreſſio, adeo ut mundus, qui lapſu primi hominis ſub peccatum venit, magis adhuc peccet & augeat peccatum adventu Legis. Quomodo Legis adventu augetur peccatum? 3. modis. 1. Cognitione, nam quod peccatum ante Legis adventum latuit quaſi mortuum, & noſtræ ignorantiæ reſpectu nullum fuit, Legis adventu innoteſcit, eſſe cernitur & vivens in nobis ut nos moriamur. 2. Augetur peccatum adventu Legis noſtro Legis contemptu, nam qui in Legem ſciens peccat, is peccat gravius, in eo quod cum peccato junctus ſit contemptus Legis cognitæ, unde Dominus ait, quòd ſervus, qui novit voluntatem Domini, & tamen tranſgreditur is ut magis peccans, contemptu videlicet cognitæ voluntatis, ſit cædendus à Domino multis plagis. 3. Augetur peccatum adventu Legis, quod corrupta noſtra natura, lege inhibita, præceps magis & pronior feratur in peccatum, quemadmodum dicitur, nitimur in vetitum. *Sed ubi auctum eſt peccatum, ibi ſuperabundavit gratia.* Epanorthoſis

thosis ad solatium credentium, quod quanquam Legis adventu augeatur peccatum, non sit tamen quod illi despondeant animos, quia peccatum etiam Legis adventu auctum, non sit prævaliturum gratiæ, quæ superabundat quo magis augetur & abundat peccatum.

21. *Ut quemadmodum regnaverat peccatum ad mortem, ita etiam gratia regnaret per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.* Illustrat hanc gratiæ superabundantiam suo fine, qui est regnum gratiæ, quod variè hîc amplificat Apostolus, 1. In simili regno peccati, suo fine, qui mors est, illustrato. 2. Adjuncto modo, per Justitiam, Justitiam autem intellige fidei, & quâ nos gratis justificamur, commendat enim Deus, ut supra dixit Apostolus, suam erga nos charitatem & gratiæ regnum, in eo quod pro injustis passus sit Christus ad eos justificandos. 3. Fine illustratur hoc gratiæ regnum, quæ est vita æterna: cujus. 4. Ut ipsius regni gratiæ notatur Iesus Christus efficiens causa. Iterum nota, quod, supra monui, de tribus in mundo regnis, nam præter illud mortis regnum, de quo supra, hîc mentionem facit Apostolus de regno peccati & regno gratiæ.

Caput

Caput ſextum.

Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat? Prolepſis & occupatio orta ex Epanorthoſi proximâ, ſi gratia ſuperabundat ubi augetur peccatum, permanendum nobis in peccato eſt, ut inde magis abundet gratia; At aſſeris, *Paule*, ſuperabundare gratiam ubi peccatum augetur, igitur nobis in Christum credentibus erit in peccato manendum, ut inde auctior fiat gratia: Hanc concluſionem adverſarii ut apertè abſurdam non audent inferre, ideoque pro concluſione quæſtionem concluſionis ſubſtituunt innuentes utrumque, quod concluſio ſequatur ex Apoſtoli doctrina, & quod ex fidei Juſtitiâ habenæ laxentur ad omne flagitium. 2. *Abſit.* Reſpondet quæſtioni Apoſtolus & duobus modis. 1. Concluſionem objicientium averſatur, ut impiam, abſit in peccato maneamus qui in Christo credimus, & abſit ego id aut dicam, aut doceam, aut ex meâ doctrinâ id poſſit colligi. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?* Altera Apoſtoli reſponſio eſt ad quæſtionem quâ probat credenti in Christum non eſſe in peccato permanendum, Primum argumentum à privantibus eſt, *Qui mortui ſunt peccato, illi non viverent peccato: at nos peccato mortui ſumus: ergo non viveremus in peccato.* Aſſumptio & concluſio eſt verbis citatis: in quibus nota, quod vivere in peccato & permanere in peccato ſint ſynonima, & quod mori peccato ſit utriq; contrarium;

contrarium; Deinde nota, quod hoc peccatum, de quo hîc quæstio, est reliqua corruptio naturæ nostræ post agnitum jam Christum & novam vitam inchoatam: nam qui renati sunt, quamdiù hîc vivunt, tantùm ex parte sunt renati, & ita ut in illis superstint ad mortem usque reliquiæ corruptionis primævæ, quas Apostolus, *Gal.* 5. 17. appellet carnem spiritui oppositam: de hâc carne reliqua hîc quæstio est, an in illâ permanendum, seu in illâ vivendum, hoc est, an homini Christiano indulgendum sit operibus carnis, *i. e.* peccatis quæ fluxus sunt reliquæ corruptionis, ut eorum in Christo remissione illustrior fiat gratia Dei: Apostolus ait minimè quia carni sumus mortui per Iesum Christum, ut non ambulemus in operibus ejus.

3. *An ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus esse baptizatos?* Probat assumptionem proximè præcedentem, & nos peccato mortuos: quicunq; baptizati in mortem Christi, illi sunt peccato mortui; at quotquot in Christum baptizati, ii baptizati in mortem ejus, Ergo quotquot in Christum baptizati, & in eum credunt, ii omnes sunt peccato mortui; Assumptio in Textu est, pro cujus confirmatione Apostolus ipsorum *Romanorum* urget conscientiam, *An ignoratis:* Quasi dicat, non potest fieri quin istud sciatis: Baptizari hîc in Iesum Christum, est baptismo ablui in signum, in publicam professionem & protestationem coram mundo, quod nos Christi & ipsius participes gratiæ per fidem; Deinde baptizari in mortem ejus, est baptismo seu baptismi receptione profiteri, quod nos cum eo mortui sumus, participatione mortis ejus, hoc est,

quod per Spiritum Dei morte Chriſti comparatum nobis, noſter vetus homo ſeu naturæ corruptio cum Ieſu Chriſto crucifixa ſit: unde videre eſt, quicunque in Chriſti mortem baptizati, ii etiam mortui peccato, ſiquidem ipſorum vetus homo cum Chriſto crucifixus eſt.

4. *Sepulti igitur ſumus unà cum eo per baptiſmum in mortem.* Concluſio eſt proximi Syllogiſmi, quæ aſſumptio fuit Syllogiſmi principalis, & quod peccato mortui ſumus, quæ mors illuſtrata eſt efficiente cauſa principali, Ieſu Chriſto, & morte ejus ſepulti ſumus cum eo in mortem, id eſt, vi & efficaciâ mortis ejus ſepulti, quia, ut dictum eſt, morte ejus comparatur nobis Spiritus Sanctus, qui nos cum Chriſto peccato mortificat, deinde efficiente inſtrumentali, per baptiſmum. Baptiſmus enim ut totum miniſterium verbi & Sacramentorum, non duntaxat ſignum eſt, ſed per operationem Spiritus Sancti inſtrumentum eſt Credentibus, efficiendæ in ipſis mortificationis. Notandum tamen, quod dicat Apoſtolus non mortui ſumus cum eo, ſed ſepulti, quo vult monere, nos ita peccato mortuos ut indies magis mori debeamus, eſt enim ſepultura mortis inchoatæ progreſſus continuus, *Ut ſicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in novâ vitâ ambulemus.* Tertia eſt illuſtratio noſtræ cum Chriſto ſepulturæ à fine ſumpta, qui finis eſt ambulare in novâ vita, *i. e.* ut Apoſtolus loquitur, *Eph.* 1. Ita incedere ut vocatione dignum eſt quâ vocati ſumus, ſive vivere dignè Euangelio, qui finis ſepulturæ noſtræ ſpiritualis hic ſimili illuſtratus eſt, quemadmodum Chriſtus ex mortuis ſuſcitatus eſt in gloriam

Patris.

Ita nos sepulti peccato & in vitæ novitatem resuscitati, incedere debemus novâ vitâ: nostram primam resurrectionem seu resurrectionem in novam vitam, hîc confert Apostolus resurrectioni Christi, non ob nudam similitudinem, sed quod Christi resurrectio nostræ in novam vitam resurrectionis sit causa efficiens, eo quod Christus resurgens & in Cœlum ascendens Spiritum demiserat quo renovamur, quod promittit se facturum, *Ioan.* 16. Deinde hîc nota, quod nostra spiritualis mortificatio, seu quâ sumus mortificati peccato, referatur ad incessum in novâ vitâ, unde sequitur, quod præter mortificationem peccati eamque præcedentem, instar sepulturæ, sit alia pars nostræ regenerationis, nimirum resuscitatio in novam vitam, seu vivificatio. Tertiò, hic observa, quod nostra nova vita non sit otiosa, ait enim Apostolus nobis in novâ vitâ incedendum esse; & hunc incessum (observa quartò) gloriam esse Christiani hominis in istâ vitâ: nam Apostolus ut novam nostram vitam comparat resurrectioni Christi, sic hoc nostrum in novâ vitâ incedere, comparat gloriæ Patris, in quam ascendit Christus.

5. *Nam si cum eo plantati coaluimus conformatione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis conformatione coalescemus.* Probat propositionem principalis Syllogismi, & quod quicunque mortui peccato illi non permanerent in peccato: Syllogismus Apostoli ex omnibus connexis est, in hunc modum, si cum Christo coaluimus conformatione resurrectionis ejus, vel, quod idem est, si cum Christo resurreximus, non erit nobis permanendum in peccato; at si cum eo coaluimus conformatione mortis, seu quod idem est, si cum eo

mortui

mortui & sepulti sumus, quod jam probatum est, etiam conformatione resurrectionis coalescimus. Ergo si cum Christo plantati conformatione mortis, vel quod idem est, si cum Christo mortui sumus peccato, non erit nobis in peccato manendum, argumentum est ab adjunctâ inseparabilitate vivificationis nostræ per Christum (quæ contraria est adeo perseverantiæ in peccato ut sint ἀσυζυγα, & ex altero affirmato negetur alterum) ac mortificationis per eundem.

6. *Illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut enervetur corpus peccati, ne posthàc serviamm peccato.* Probat assumptionem proximi Syllogismi seu connexionem vivificationis nostræ cum mortificatione per Christum, quam *versu* proximo audivimus, à fine mortificationis seu nostræ cum Christo crucifixionis, eoque duplici: Prior est, ut aboleatur corpus peccati, Secundus autem & ulterior, ne amplius peccato serviamus: Vetus ille noster homo (ait Apostolus) cum Christo crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, ne posthàc nos serviamus peccato: Veterem hominem vocat Apostolus naturam nostram quatenus nos veteres sumus & gestamus imaginem prioris *Adami*, hoc est quatenus corrupti sumus, adeo ut noster vetus homo sit natura corrupta, seu naturæ corruptio, quæ vetus homo dicitur respectu novæ creaturæ seu sanctificationis naturæ nostræ per Christum, alterum *Adamum*, succedentis, quæ novus noster dicitur & interior homo, pro eodem etiam accipio corpus peccati, ut sensus verborum Apostoli sit, quod naturæ nostræ corruptio cum Christo crucifixa sit & aboleatur. Crucifixus autem cum Christo

dicitur

dicitur homo noster vetus, seu corpus peccati duobus modis, Primùm in ipso Christo crucifixo, deinde in nobis: In ipso quidem, quod (ut nostra reliqua peccata) ipsi imputabatur & ab ipso cum chirographo illo, quod erat nobis contrarium cruci ejus affigebatur, ne nobis obesset ad vitam reatus ejus; In nobis autem dum suo Spiritu cruce suâ nobis comparato occidit corruptionem, ut resuscitati vivamus Deo, de quo crucifigendi modo appellat Apostolus nostram scientiam, ut de rebus Christiano homini non ignorandis.

7. *Etenim qui mortuus est, liber est à peccato.* Propositio principalis Syllogismi, qui itaque est mortuus peccato, est verè à peccato liberatus, ut non illi in peccato sit permanendum, aut sub peccati dominatu, ut postea Apostolus loquitur, vel si lubet hæc verba de Christo accipere, ut ἀποθανων, sit ille mortuus seu primogenitus mortuorum, tertium erit hoc propositionis argumentum ab effecto mortis Christi, quæ est plena à peccato liberatio, cum sui, tanquam vadis, tum nostri, qui in ipso, & pro quibus ipse vadem seipsum præstitit, ut sensus sit, qui mortuus nimirum Christus, qui pro peccato passus est passione suâ & morte δεδικαιωται, summo jure liberatus est ab omni peccato & reatu & peccati potestate, *vers.* 8. Unde verbis insequentibus propositionem infert Apostolus, *Sic cum Christo mortui sumus, credimus fore vivamus cum ipso.* Ubi observabis Apostolum loqui non de novâ duntaxat Christianorum vitâ hîc, sed promissionem vitæ in Christo extendere, per majorum comparationem, etiam ad illam in futuro seculo sempiternam.

9. *Qui*

9. *Qui ſciamus Chriſtum excitatum ex mortuis, non ampliùs mori, mortem inquam ei non ampliùs dominari.* Confirmat quod proximè dixit, nos cum CHRISTO mortuos vivere cum eodem, non hîc duntaxat novitate vitæ, ſed in æternum. Argumentum ſic habet, qui vivunt non morituri, ita ut mors non ampliùs iis dominetur, illi vivunt non hîc tantum novitate vitæ, ſed in æternum: at nos cum CHRISTO mortui, reſuſcitati ſumus, non ampliùs morituri, Ergo vivimus non hîc tantùm, ſed vivemus in æternum: Aſſumptionis probatio eſt verbis citatis, Chriſtus ſuſcitatus eſt ex mortuis, non amplius moriturus, non ampliùs ei dominabitur mors, hoc illuſtrat Apoſtolus noſtro teſtimonio ſeu adjunctâ ſcientiâ, Ergo nec nos qui cum ipſo ſuſcitati moriemur ampliùs.

10. *Nam quòd mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem vivit, vivit DEO.* Probat proximum antecedens à diſſimilitudine mortis & vitæ *Ieſu Chriſti*, quæ diſſimilitudo in duobus eſt poſita, objecto & duratione: mortuus eſt peccato, & mortuus eſt ſemel, at vivit DEO, & proinde ſemper, Ergo ſuſcitatus eſt non ampliùs moriturus, ſeu ſubjiciendus dominationi mortis: quod dicit hîc Apoſtolus *Chriſtum* peccato mori, non ita accipiendum ut cum dicimus nos peccato mori. Cum dicimur nos peccato mori, præſupponimur ſemel vixiſſe peccato: at *Chriſtus* qui nunquam peccato vixit, dicitur tamen mori peccato, quando morte & perpeſſione ſuâ exit, & liberatur vadimonio peccati, quod nimirum jam λυτρον & precium pro peccato debitum, ſit morte & perpeſſione plenè ſolutum, ut enim nos donec per *Chriſtum* liberamur,

liberamur, vivimus peccato & sub peccati dominatu sumus. Ita Dominus *Iesus Christus* donec suâ morte persolvit debitum propter nos, fuit sub onere peccati, pro nobis fidejussor: quare quanquam non novit peccatum, tamen καταχρησικως & quodam modo dici potuit vixisse peccato, donec liberatus illo onere peccati, quod pro nobis solvit, & mori peccato dum persolvit precium & peccatum abolevit sibi & suis.

11. *Itaque etiam vos colligite, vos ipsos tum mortuos esse peccato, tum verò vivere Deo per Christum Iesum Dominum nostrum.* Probatâ jam propositione, repetit assumptionem, nos peccato mortuos, cum conclusione, nos Deo vivere, non ampliùs peccato; quam utramque permittit collectioni nostræ ex præcedentibus, & illustrat efficiente causa, quæ est Dominus noster *Iesus Christus*, per quem & peccato morimur & vivimus Deo non ampliùs morituri.

12. *Ne regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore.* Consectarium est, & illata ex præcedente responsione ad objectionem ulterior conclusio, quâ Apostolus Christianis Legem ponit, eamque bimembrem, Pars prior est, ne peccatum regnet in vestro corpore, innuere vult Apostolus hoc corpus nostrum, quamdiu hîc sumus, corpus esse peccati & mortis, nec, quamdiu hîc sumus, corpori nostro abfuturum peccatum, monet tamen ne regnet. *Ut obediatis peccato in cupiditatibus corporis.* Epexegesis est quâ suam ipsius legem exponit, & quid sit peccatum in corpore nostro regnare, nimirum quod nostra obedientia peccato præstita in exequendis corporis cupiditatibus arguat peccati regnum in nostro corpore, quod ipsum docet

cet nos Dominus, *Ioan.* 8. 34. *Quisquis operam dat peccato servus est peccati*, & Apostolus infra *vers.* 16.

13. *Neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato, sed sistite vos DEO, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo.* Altera pars Legis est ab Apostolo latæ, quæ diversis illustratur, & efficiente causa, quæ est vita ex morte; novâ nimirum illa ex morte in peccato.

14. *Peccatum enim nobis non dominabitur.* Ratio Legis latæ & cur non regnet in illis peccatum, sublatâ causâ tolleretur effectus; at dominatus peccati, quæ causa regni ipsius in mundo, vobis tollitur, quare ne regnet peccatum in vobis: *Non enim estis sub Lege, sed sub gratiâ.* Ratio assumptionis à sublato Legis dominio, quæ causa est dominatus peccati: quibuscunque dominatur peccatum, ii sunt sub Legis dominio, vel sic quicunque non sunt sub Lege iis non dominabitur peccatum (nam lex, ait Apostolus, 1*Cor.* 15. 56. est vis peccati, ubi enim Lex non est, ibi nec peccatum, & Lege veniente auctum est peccatum & adventu mandati reviviscit peccatum infra 7. 9. & per Legem peccati agnitio supra 3. 20.) *At vos non estis sub Lege, ergo nec vobis dominetur peccatum.* Assumptio illustratur diverso, non sub Lege estis, sed sub gratiâ, hoc est, translati estis in regnum gratiæ per Iesum Christum, qui Legem adimplevit.

15. *Quid igitur? peccabimus, quod non simus sub Lege, sed sub gratiâ.* Prolepsis objectionis ex proximâ assumptione ortæ. *Absit.* Cui respondet Apostolus deinceps ad finem *Cap.* & duobus modis 1. Aversando eum gratiæ abusum & liberationis à Legis dominatu:

minatu: non enim quia à Lege liberavit nos Dominus, ideo nos transgrederemur Legem, sed quia nos donavit gratiâ, ideo daremus operam ipsi vivere, qui gratiam dedit: quare ex Legis dominatu sublato & donatâ gratiâ occasionem arripere transgrediendi detestabilis est abusus gratiæ, & qui non cadit in gratiæ filios. Ideoque aversatur Apostolus.

16. *An nescitis, quod cui sistitis vos ipsos servos ad obedientiam ejus servi estis cui obeditis.* Altera pars responsionis est, & quâ probat non ideo peccandum esse, quòd simus sub gratiâ & non sub Lege, Argumenta tria sunt. 1. Est ab adjunctâ servili conditione peccantium, quicunque peccant sunt servi peccati, at vos qui sub gratiâ & non sub Lege, non estis servi peccati, Ergo qui non sub Lege estis, sed sub gratiâ, non peccaretis. Propositio est primo loco illustrata distributione & distributionis partibus utrisque suo fine, cui sistitis vos ad obedientiam ejus servi estis, vel peccati ad mortem, vel obedientiæ ad Justitiam: pro cujus confirmatione urget eos suo ipsorum testimonio, an hoc nescitis?

17. *Gratia autem sit Deo, quod fuistis quidem servi peccati, sed obediistis ei formæ doctrinæ, in quam estis traditi.*

18. *Et liberati à peccato mancipati estis justitiæ.* Assumptio Syllogismi variè amplificata. Primùm, à priore ipsorum conditione sub peccato, eratis servi peccati: Deinde ab adjunctâ mutatione conditionis per Euangelium, Obediistis ei formæ doctrinæ in quam estis traditi, quæ duo hîc diversorum argumento proponuntur. Tertiò, amplificat assumptionem ab adjuncta

juncta gratiarum actione pro beata illa mutatione ipsorum, & postremo contrario illustratur assumptio, Liberati peccato mancipati estis justitiæ.

19. *Hominum more loquor, propter infirmitatem carnis vestræ.* Epanorthosis & correctio proximi sui sermonis, quo dixit qui sub gratiâ eos mancipatos justitiæ, cum contrà Deo servire libertas sit, & hanc sermonis κατα χρησιν imputat tanquam causæ infirmitati ipsorum, qui cœlestia cœlestibus efferentem non intelligerent, ideoque cogunt ipsum, pro iis docendis, servitutis istas & libertatis similitudines ex hominum commertiis sumptas adhibere, *Nempe, sicut stitistis membra vestra serva impuritati & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc sistite membra vestra serva justitiæ ad sanctimoniam.* Conclusio Syllogismi & quod qui sub gratiâ non peccarent, similitudine illustratâ prioris facti cujus & πρόληψις & ἀπόδοσις suo fine illustrata est.

20. *Cum enim servi eratis peccati liberi eratis justitiâ.* Secundum argumentum Responsionis à pari consequutione in contrariis, cum eratis servi peccati, eratis liberi justitiâ. Ergo cum nunc per gratiam facti sitis servi justitiæ, liberi estote & abstinete peccato.

21. *Quem igitur fructum habebatis tunc ex iis de quibus jam erubescitis: nam finis illorum mors est.* Tertium argumentum quo probat Apostolus filiis gratiæ non peccandum, ex effectis sumptum, seu fructibus peccati, qui sunt dedecus seu rubor faciei & mors; & sic arguit: ex quibus dum fiunt nullus fructus est, & postea sequitur dedecus & mors, ea non facienda sunt, at (O vos qui sub gratiâ) dum peccaretis nullus fuit

vobis

vobis ex peccatis fructus (hîc appellat Apostolus ipsorum conscientiam, quem fructum habebatis tunc) & jam sequitur dedecus seu erubescentia, de quibus nunc erubescitis, & qui in eos persistunt eos manet mors; (finis, ait Apostolus, illorum mors est) Ergo iis qui sub gratiâ non peccandum.

22. *Nunc verò liberati à peccato mancipati autem Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam, finem autem vitam æternam.* Illustrat proximam assumptionem diverso, dum peccaretis nullus fructus: at nunc Deo servientes fructum habetis: Peccata sequebatur erubescentia, at Dei cultum jam sanctimonia: Finis peccatorum mors, at sanctimoniæ vita æterna: Ex his inferret Apostolus non modò non peccandum, sed sanctè vivendum filiis gratiæ: potestque dici hoc argumentum ex contrariarum causarum contrariis effectis. Causæ contrariæ sunt, vivere peccato, & vivere Deo, illius effecta sunt, ignominia & mors: hujus sanctimonia seu gloria, (est enim sanctimonia inchoata gloria) & vita æterna. Vivere ad sanctimoniam, hoc est, incrementum & perfectionem sanctificationis nostræ; nam quo magis quis sanctè agit, eo magis accrescit & delectabitur sanctitate, siquidem sanctè agendo fovetur Spiritus Sanctus, & finis æterna vita. Ex his arguit Apostolus, Quæcunque sequitur multus fructus cum sanctimonia & vita æterna, ea facienda sunt: at ex nostra Deo præstita obedientia multus fructus est cũ sanctimonia & vita æterna: Ergo sanctè vivendum & Deo obediendum est iis qui sub gratiâ sunt.

23. *Nam stipendia peccati mors: donum autem Dei est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Duos fines mortem, quam dixit finem peccati, & vitam æternam,

æternam, quam dixit obedientiæ finem, illuſtrat Apoſtolus diſſimilitudine, oſtendens quòd quanquam utraq; æterna vita & mors finis ſit, tamen diſſimiliter finem eſſe, mortem quidem ut ſtipendium & juſtam peccati ἀνταπόδοσιν ſeu recompenſationem: at vitam æternam finem eſſe noſtræ obedientiæ, non ut meritum, aut ἀνταπόδοσιν ſed donum gratuitum in Iesu Christo Domino noſtro.

Caput ſeptimum.

AN ignoratis fratres, peritos enim Legeis alloquor, Legem tantiſper dominari homini quoad ipſe vixerit. Poſtquam ſatisfecit Apoſtolus objectioni Libertinorum libertate Chriſtianâ, ut carni datâ occaſione, abuti volentium, redit ad aſſumptionem ſupra *6. 14. At vos non eſtis ſub Lege*, & eam confirmat primâ parte hujus Capitis ad *verſ. 7.* Confirmationis autem Syllogiſmus ſic habet. *Quicunque mortui ſunt Legi, ii non ampliùs ſunt ſub Lege aut Legis dominio:* at nos quicunque cum Christo mortui & reſuſcitati, Legi ſumus mortui. Ergo nos qui ſub Chriſto mortui & reſuſcitati non ampliùs ſumus ſub legis dominio; Hujus Syllogiſmi propoſitio probatur verbis citatis & primo Cap. verſu, Lex dominatur homini tantiſper dum vivit, Ergo qui mortui ſunt Legi, non ſunt ſub Lege & ejus dominio: quam propoſitionis probationem, quia ex Lege petita eſt, accomodat Apoſtolus *Judæis* potiſſimum, Legis peritis,

peritis, quorum de ipsius firmitudine appellat conscientiam *an ignoratis*, sed amanter & fratres appellando.

2. *Nam viro subjecta mulier viventi viro devincta est per Legem: quòd si mortuus fuerit vir, liberata est à Lege viri.* Probat antecedens ex Lege, & Lex quam profert conjugii est, argumentatur itaq; à Lege carnalis conjugii ad conjugium spirituale, & argumentum à simili desumptum est, vir mulieri viro subjectæ dominatur tantisper dum ipse vivit: Ergo & Lex nobis tantum dominatur sub Lege viventibus: & si enim hactenus mutentur termini similitudinis in ἐπιδοσει pro morte Legis nostra mors ponatur, manet tamen similitudo ex Lege, quod conjugium dirimatur alterutrius, conjugum morte.

3. *Proinde vivente viro mœcha vocabitur, si fiat alterius viri: sin autem mortuus fuerit vir, libera est à Lege illà, ut non sit mœcha si fiat alterius viri.* Confirmat προλαβειν & viro vivente tantùm, subjectam mulierem: ex effecto Legis matrimonii, quod diverso illustratur, mœcha est & vocatur si viro vivente sit alterius, sed non, si vir prius mortuus fuerit, mœcha est, aut vocatur, Ergo viro subjecta est viventi tantùm.

4. *Itaque fratres mei, vos quoque mortificati estis Legi* (assumptio principalis Syllogismi) *in corpore Christi.* In corpore Christi nos mortuos Legi dicit Apostolus, tum quia cum Christo Legi morimur, tum quia Christus mortuus est corpore duntaxat: Et tertiò, quòd cum Christi corpore crucifixo nos quodammodo crucifixi sumus, eo quod ejus crucifixum corpus omnium fuit λυτρον, Ita ut nos omnes in illo

uno moriente à Lege & peccato ſumus liberati & mortui [*ut eſſetis alterius*] Illuſtratio eſt aſſumptionis proximæ à fine duplici. Prior eſt ut ſimus alterius à Lege, viri *ejus videlicet qui ex mortuis excitatus eſt.* Epexegeſis prioris finis [*ut fructum feramus Deo*] poſterior finis.

5. *Cum enim eſſemus in carne, affectiones peccatorum per Legem exiſtentes vigebant in membris noſtris, ad fructum ferendum morti.* Illuſtratio eſt poſterioris fructus, vel finis, à ſimilium comparatione, cujus comparationis iſta προτασις eſt, cum ſub Lege eſſemus fructum ferebamus morti: quæ προτασις illuſtratur ſuis cauſis, Una, carne ſeu corruptâ naturâ, altera affectibus ſeu motibus peccatorum in membris noſtris per carnem exaſperatam vigentibus.

6. *Nunc autem liberi ſumus à Lege, eo mortuo in quo detinebamur, ut ſerviamus in novitate ſpiritus, ac non in vetuſtate literæ.* Concluſio principalis Syllogiſmi eſt, non ſumus ſub Lege, & apodoſis proximæ ſimilitudinis, illuſtrata cauſâ, quæ mortificatio eſt peccati, quo detinebamur ſub Legis dominio, & adjuncto modo per diverſa propoſito, in novitate ſpiritus, ac non in vetuſtate literæ.

7. *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt.* Hactenus tres objectiones fuerunt de Legis uſu & primum membrum ἀναστευης huc uſque à *verſ.* 20. *Cap.* 5. Sequitur alterum ἀναστευης membrum περὶ τοῦ νόμου εἶναι Legis & quo diſputatur an Lex Dei ipſa ſit eſſentialiter mala & peccatum, aut potius peccatum illud peccans & origo ipſa omnis peccati & mortis: eſtque hæc ſecunda pars *Cap.* & ſecunda principalis de Lege objectio

quæ

quæ similiter non infertur sed pro conclusione quæstio ponitur conclusionis; estne Lex peccatum; quasi tamen ipsa conclusio (Lex peccatum est.) ex proximâ Apostoli doctrinâ sequeretur. *Absit.* Responsio sequitur ad secundam hanc objectionem; quæ trium partium est. 1. Respondet per aversionem tantæ blasphemiæ & consequentiam negans, absit quod ex meâ doctrinâ sequeretur tam blasphema assertio, quod Lex Dei mala aut peccatum esset: Ita enim accipio exponendam hanc particulam *absit*, quasi dicat absit dicamus. Respicit enim id quod antecedit; quid igitur dicemus? dicemusne ex tua doctrinâ Legem esse peccatum? *Absit*, ait Apostolus. *Imò peccatum non cognovi nisi per Legem.* Altera pars Responsionis ad objectionem est simplex negatio, Lex non est peccatum, quam his verbis probat Apostolus ex effecto Legis, quod est peccatum notificare, sub cognitione peccati hîc duo comprehendo. 1. Ejus ab aliis rebus distinctionem. 2. Ipsius in se malitiam & pravitatem, adeo ut nosse peccatum sit & scire quid sit peccatum, & quid non sit, vel in rebus distinguere quæ peccata sint quæ non: Deinde est scire quod peccatum in se malum sit; Sic igitur arguit Apostolus id quo peccatum innotescit & nobis noscitur; ipsum illud peccatum non est, nam per regulam æqui & iniqui innotescit cum ipsa peccatum nunquam sit: at per Legem peccatum innotescit, quod hîc auget Apostolus comparatione majorum, non modo novi peccatum per Legem sed, quod majus est, non nisi per Legem novi, Ergo Lex ipsa peccatum non est: *Nam etiam cupiditatem non nossem, nisi Lex dixisset, Non concupisces.* Assumptionem Syllogismi & proximæ comparationis ἀπόδοσιν (quod peccatum non noscitur

nisi per Legem) probat Apostolus ab exemplo seu specie, quod est transgressio decimi Præcepti seu concupiscentia: Ex omnibus omnium scriptis & dictis qui de peccato vel scripserunt vel docuerunt, in quibus de concupiscentiâ quod peccatum sit nihil dictum scriptumve est, hoc ut experientia notum accipit Apostolus, & hinc sic arguit, Nisi Lex Dei dixisset (Lex repetita & per *Mosem* tradita) non concupisces, non nossem concupiscentiam esse peccatum ex aliorum dictis, Ergo peccatum non modò ex Lege noscitur, sed non nisi per Legem. Nosci peccatum hîc est explicari & perfectè doceri ut intelligatur: cujus duæ partes, ut supra dictum, nimirum, quod sit & quod malum sit, quas utrasque partes naturales Philosophi & homines ψυχικοι attigerint ἐν μέρει, sed nemo omnium plene explicuit, quod docet Apostolus hoc exemplo concupiscentiæ ex Lege producto, quam sine Lege nemo sapientum hujus seculi, seu Philosophorum vel peccatum esse vel malum novit: nam motuum interiorum & pravarum cupiditatum, quas *Jacobus* conceptiones peccati vocat, notitiam aliquam Philosophi habuerunt; at impuri fontis & concupiscentis concupiscentiæ, hoc est naturæ labis & carnis adversus spiritum concupiscentis, nec notitiam habuerunt, vel tradiderunt Philosophi, sed Lex Dei primùm aperit hominibus hunc impurum fontem, ideoque cupiditatis nomine hîc intelligo non duntaxat impuros motus & interiora peccata, de quibus parum videt homo ψυχικὸς, sed etiam naturæ corruptionem motibus illis priorem eorumque fontem, de quâ homo per naturam ne somniavit unquam.

8. *Sed peccatum occasione sumpta genuit in me omnem*

omnem cupiditatem per illud mandatum. Conclusionis est illustratio à diverso, Lex non est peccatum, sed ipsum peccatum peccatum est occasione Legis; Ut intelligantur diversa hîc, sciendum est, quod sensus conclusionis hujus (Lex non est peccatum) sit hic, Lex non est causa peccati, seu Lex non efficit seu gignit peccatum, id quod hic patet ex altero diverso, in quo Apostolus pro eo quod diceretur, peccatum est cupiditas, ait peccatum efficit cupiditatem; Deinde sciendum est, quod peccatum hîc ex posteriori diverso est & originale peccatum, & peccatum illud peccans tam actuale primi hominis, quam naturale & insitum ex eo in singulis posteris: Utrumque enim causa est subsequentium peccatorum. Tertiò sciendum, quod cupiditatis nomine significetur συνεκδοχικως omne peccatum ortum ex originali, ut sensus diversorum sit, Lex Dei non efficit vel causa est ullius peccati, sed peccatum primum seu originale causa est & efficit in hominibus omne ortum: seu peccatum omne fluit ex originali, idque occasione Legis: quomodo autem Legis occasione peccatum originis efficiat subsequentia peccata antedictum est in *vers.* 20. *Cap.* 5. & deinceps apertius explicat Apostolus.

9. *Nam absque Lege peccatum quidem erat mortuum. Ego verò vivus eram sine Legè, mandati autem illius adventu peccatum itidem revixit, at ego mortuus sum.*

10. *Et repertum est illud mandatum, quod institutum est ad vitam, mihi cedere ad mortem.* Hic ad *vers.* 11. probat Apostolus posterius diversum & peccatum seu omnem cupiditatem gigni in nobis à peccato

per occaſionem Legis Dei, nam præcedentium diverſorum Prius factum negavit, nimirum quod Lex peccatum efficeret, Poſterius autem affirmabat modum facti, nimirum quod peccatum originale efficeret in nobis omne peccatum per occaſionem Legis, hunc modum affirmatum & per Legis occaſionem à peccato peccatum effici probat Apoſtolus argumento ſumpto à ſimili modo poſterioris effecti: Peccatum originale per illud mandatum, ſeu occaſionem Legis, efficit mihi mortem vel occidit me: Ergo peccatum originale per Legis occaſionem efficit in me omne peccatum; Sequela nititur huic axiomati, duorum per ſe effectorum ſimiliter productorum, quo modo unum producitur eodem producatur & alterum; At omne ſubſequens peccatum effectum eſt per ſe originalis peccati, & mors eſt per ſe effectum utriuſque, quæ duo poſteriora à primo pendent ſimiliter: Hinc igitur hic ſic arguit Apoſtolus, quo modo peccatum peccans efficit mortem eodem modo efficit etiam in nobis omnem cupiditatem ſeu peccatum ſubſequens, at per occaſionem Legis peccatum originale nobis mortem efficit, Ergo & per eandem Legis occaſionem efficit peccatum ſubſequens & inde ortum: Aſſumptio hujus Syllogiſmi, ſeu Enthymematis antecedens probatur ab Apoſtolo *verſ.* his duobus & inſequenti undecimo, & argumentum propoſitionis ſumptum eſt à diſſimili conditionis noſtræ comparatione ante Legem & Lege jam exhibitâ ac intellectâ à nobis: quod ſic habet; ante mandati adventum, *i. e.* priuſquam Lex exhibita aut mihi cognita, ego vivebam & peccatum fuit mortuum. Legis autem adventu revixit peccatum & ego mortuus. Ergo occaſione Legis in me

mortem

mortem efficit. Antecedens habetur *vers.* 9. Consequens, 11. quod *vers.* 10. diverso fine Legis illustratur, quæ vita est: Lex data ad vitam, Legis tamen ad vitam datæ occasione mihi mors effecta est.

12. *Itaque Lex ipsa quidem sancta, & mandatum illud sanctum ac justum & bonum.* Tertia pars Responsionis inchoatæ *vers.* 7. quâ occurrit Apostolus objectioni de Lege quod peccatum sit, cui tertio hic respondet per contrariam affirmationem, quâ Legi asserit in Præceptis sanctitatem, in praxi Præceptorum justitiam, & pro fine bonum seu fœlicitatem, istaque tria sequi ex doctrinâ suâ, id quod proximâ disputatione ostendit, quâ probavit non ex Lege esse peccatum, sed omne peccatum ex peccato esse per occasionem Legis, quæ peccatum non sit, adeo ut integra Apostoli responsio ad objectionem sit hæc, Absit ex meâ doctrinâ sequatur quòd Lex peccatum sit, quam ego doceo & affirmo non peccatum esse, sed in Præceptis praxi & fine à peccato puram.

13. *Ergo quod bonum est mihi factum est mors?* Instantia est & prosequutio secundæ objectionis de Lege quod essentia & τῷ ἀγαθὸν εἶναι mala sit, vel si lubet, hujus objectionis hæc est secunda pars, nam ut malum duplex est, *i. e.* malum culpæ (quod peccatum est) & malum pœnæ (quæ mors est) ita objectio de Lege quòd mala sit, est duarum partium, Una est, quod Lex peccatum est, cui hactenus respondit Apostolus. Altera est, quod Lex mors sit, cui deinceps Apostolus occurrit: Legem esse mortem hîc intelligo Legem esse per se causam mortis ut supra ostendimus. Quæ objectio de Lege quod esset peccatum hunc haberet sensum, quod

Lex

Lex eſſet per ſe cauſa peccati, his igitur verbis Apoſtolo objicitur quod ex ſuâ doctrinâ ſequatur quod Lex Dei (Legem intelligo repetitam & per *Moſen* latam) ſit per ſe mortis cauſa, quemadmodum ſupra objiciebatur quod Lex eſſet per ſe cauſa peccati: Hoc tamen objectionum diſcrimen eſt, quod hæc objectio concluſio ſit ſeu concluſionis more proponatur (Ergo quod bonum eſt, *i. e.* Lex mihi factum eſt mors, *i. e.* mortis cauſa & per ſe) cum ſuperior objectio more quæſtionis propoſita fuerit (dicemuſne quod Lex peccatum ſit) ita adverſarii quaſi firmiores facti, etiam facti ſunt audaciores ex eo quod proximè conceſſit Apoſtolus, occaſione Legis nobis mortem effici, quaſi modus efficiendi ipſa eſſet cauſa efficiens. *Abſit.* Reſpondet Apoſtolus per diverſa, non Lex, ſed peccatum mihi factum eſt mors, quorum diverſorum pars prior & negatio non ſimplex eſt ſed Rethorico παθει, & averſatione tantæ blaſphemiæ amplificata: cujus ſenſus eſt Abſit, quod vel Lex fiat homini mors, vel id ex meâ doctrinâ colligi poſſit, Legem Dei per ſe eſſe cauſam mortis. *Imo peccatum mihi factum eſt mors.* Altera pars diverſorum ubi peccatum intelligo ut ſupra illud originale & peccatum peccans, ſic ipſe Apoſtolus interpretatur hoc ipſo verſu, ut peccatum fieret ſumme peccans; peccatum enim hoc peccans & originale efficit omnem cupiditatem, hoc eſt, fons eſt & cauſa per ſe ſubſequentium peccatorum, quæ, ut *Jacobus* loquitur, conſummata gignunt, & per ſe ſunt cauſa mortis. Senſus ergo poſterioris partis diverſorum eſt, quod originis peccatum, producendo ſubſequentia peccata, ſit homini per ſe cauſa mortis: & hoc id eſſe, ait Apoſtolus, quod

colligi

colligi possit ex suâ doctrinâ, & eo quod proximè dixit, peccatum, occasione per illud mandatum sumptâ, ipsum seduxisse & occidisse, ut non Legem, sed Legis occasione peccatum sibi mortem factum docuerit. *Ut appareret peccatum mihi per id quod bonum est efficere mortem.* Illustrat posterius diversum & cur docuerit peccatum occasione Legis sibi factum mortem, à fine duplici, quorum posterior ex priori sequitur. Prior finis est ut innotesceret & sciretur quod tanta vis mali insit peccato, ut per mandatum, quod bonum est, efficeret homini mortem quæ mala est, *Ut peccatum fieret summè peccans per illud mandatum.* Posterior finis est, qui est ex priori, sic infertur, quod ex bono malum efficere innotescit, & scitur, id esse summè peccans, seu summè malum innotescit; at peccatum innotescit ex bono malum efficere, seu per mandatum mortem homini: Ergo idem innotescit per illud mandatum esse summè peccans, seu summè malum; vult igitur hîc dicere Apostolus quod ex suâ doctrinâ innotescat malitia non Legis, quæ nulla est, sed peccati, quæ summa est, eamque summam peccati malitiam per suam doctrinam sic innotescere, quod sua doctrina ostendat nobis peccatum ex bono malum efficere, hoc est, Legis occasione & omne peccatum & denique mortem.

14. *Scimus enim Legem esse spiritualem, at ego carnalis sum, venditus ut subjicerer peccato.* Probat proximam Responsionem & utramque diversorum partem, Primùm quod Lex non sit mors seu mortis causa per se, Deinde quod originale peccatum mors sit seu causa mortis: Prioris argumentum à naturâ Legis petitum est, quod spirituale est non est mors vel mortis

causa

cauſa per ſe, At Lex ſpiritualis eſt, Ergo non eſt mors vel mortis cauſa per ſe. Alterius argumentum ſumptum eſt à naturâ noſtrâ quales nos ſumus jam poſt lapſum. Qui carnales ſunt ſeu venditi ſub peccato, illis peccatum illud mors eſt vel mortis cauſa per ſe; At nos jam inde à lapſu carnales ſumus & venditi (ſic Apoſtolus exponit) ut ſubjiciamur peccato, Ergo peccatum eſt nobis mors: vel, ſi lubet, utriuſq; partis diverſorum probationes conjungere, dici poteſt quod argumentum ſumatur à diſſimili comparatione Legis & noſtri; ſic, ſi Lex ſpiritualis eſt, nos autem carnales, non Lex ſed caro in nobis eſt quæ nobis facta eſt mors ſeu mortis cauſa; At prius verum eſt, id enim probat iſthîc Apoſtolus communi experientia, ſcimus, *i. e.* edocti ſumus experientiâ Legem ſpiritualem eſſe, nos autem carnales, quod poſterius in ſuâ ſolius perſonâ Apoſtolus exprimit συνεκδοχικως ad evitandam in aliis carnis irritationem, unde concluderet non Legem nobis mortem eſſe, ſed carnem quæ in nobis eſt occaſione Legis, ut ſupra dixit, ſeu Legem nobis cedere ad mortem (ut ſupra loquutus eſt *verſ.* 10.) tantum per accidens & propter carnis ἀδυναμιαν, ut poſtea loquitur 8. 3. Legem eſſe ſpiritualem, hoc eſt, Legem eſſe Verbum & inſtrumentum Spiritus Sancti, qui idem vitæ Spiritus eſt & vivificans, unde ſequitur Legem nobis ad vitam datam eſſe ut ſupra, ſeu per ſe eſſe vitæ cauſam, ſi nimirum quis ipſam præſtare poſſit, ut *Gal.* 3. 13. & *Levit.* 15. 5. Nos autem carnales eſſe ſignificat nos carni ſubditos eſſe & ſervos peccato & corruptioni, ſic enim Apoſtolus ipſe hîc exponit dum carnalem definit eum qui venditus ſit ut ſubjiciatur peccato.

15. *Quod*

15. *Quod enim perpetro non agnoſco, non enim quod volo, hoc ago, ſed, quod odi, hoc facio.*

16. *Quod ſi facio quod nolo, conſentio Legi, quod bona ſit.* Experientia hujus & proximæ Aſſumptionis Apoſtolus confirmat utramque partem ſeorſim, & duabus vicibus, Primum priorem quidem, & quod ſciamus Legem eſſe ſpiritualem *verſibus* 15. & 16. Poſteriorem autem & quod ſciamus nos eſſe carnales ſeu venditos ſub peccato, 17. & deinceps ad 22. ubi duobus *verſibus* allata altera confirmatione, *viz.* 22. 23. Poſtea *verſ.* 24. concluſa infertur reſponſio, Ergo peccatum mihi factum eſt mors: Prioris autem probationis, & quæ his duobus *verſ.* habetur, argumentum ſumptum eſt ab effecto hominis renati & ſpiritualis quatenus renatus & ſpiritualis eſt, cujus ut ſupra Apoſtolus iſthic ſe exhibet exemplum; Ego renatus & quatenus renatus ſum, conſentio Legi De 1 quod bona ſit, Ergo Legem ſcio quod ſpiritualis ſit, Antecedens probat Apoſtolus ab adjunctâ contrarietate voluntatis ſuæ renatæ & eorum quæ facit ipſe Legi contraria; Si quod ego facio Legi contarium, illud nolo, conſentio Legi quod bona ſit. Hæc propoſitio eſt *verſ.* 16. At prius verum eſt, quod probat *verſ.* 15. à diſparatis, non agnoſco quod perpetro Legi contrarium, non volo quod perpetro Legi contrarium, Prius approbatio judicii eſt, poſterius voluntatis, utrumque diverſo illuſtratum eſt, ſed odi quod facio Legi contrarium, quare quod facio Legi contrarium id ego nolo.

17. *Nunc itaque non amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat.* Probat alteram Aſſumptionis partem & experientiæ, quod nimirum nos carnales

nales ſumus & ſubjecti peccato, à diverſis cauſis tranſgreſſionum, in quas incidunt homines renati, quod perpetro Legi contrarium, non ego, ſed peccatum quod in me id perpetrat, Antecedens eſt *verſ.* 17. Ergo ego carnalis & peccato obnoxius; ſeu, quod idem eſt, comperio volenti mihi facere bonum hanc Legem impoſitam eſſe, quod mihi malum adjaceat. Quod Conſequens habetur *verſ.* 21.

18. *Novi enim non habitare in me (id eſt carne meâ) bonum.* Prolepſis eſt & obiter inſerta objectionis occupatio, an igitur etiam in te renato habitat peccatum? Reſpondet Apoſtolus comparatione majorum, non modò in me peccatum habitat; ſed, quod amplius eſt, non habitat in me bonum, parentheſi tamen inſerta eſt hæc Epanorthoſis, cum in me dico habitare peccatum, non me intelligo quatenus renatus ſum, ſed quatenus adhuc caro ſum, ut in me ſit idem quod in meâ carne, id quod confirmat Apoſtolus ſuâ experientiâ, hoc ego novi; Docet igitur hîc nos Apoſtolus hominem renatum eſſe hominem geminum, nimirùm ſpiritum, quo Legi conſentiat, & carnem quâ perpetrat quod Legi contrarium eſt, & hunc utrumque homini Chriſtiano ſenſibilem & ſibi notum experientiâ. *Nam velle adeſt mihi, ſed ut quod bonum eſt efficiam non aſſequor.* Secundum argumentum eſt inhabitantis peccati, ab adjunctâ ἀδυναμία hominis renati ad faciendum quod bonum eſt, quæ hic diverſo illuſtratur, quanquam volo quod bonum eſt, tamen quod bonum eſt non poſſum efficere, Ergo in me, *i. e.* in carne meâ non habitat bonum.

19. *Non*

19. *Non enim facio bonum, quod volo: ſed malum quod nolo, hoc ago.*

20. *Quod ſi id facio ego, quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, ſed peccatum, quod in me habitat id perpetrat.*

21. *Invenio igitur volenti mihi facere bonum hanc Legem impoſitam eſſe, quòd mihi malum adjaceat.* Remotâ objectione redit ad iuſtitutum probatque illud Antecedens, *verſ.* 17. quod non ipſe, ſed peccatum in ipſo perpetraret id quod Legi contrarium eſt. Argumentum eſt à diſparatis, ſi id facio ego quod nolo, non ego id facio, ſed peccatum in me, At quod malum facio id nolo facere, Ergo quod malum facio non ego ſed peccatum in me id facit: Concluſio præceſſit, *verſ.* 17. Aſſumptio eſt hoc *verſ.* 19. illuſtratæ diverſo, non bonum facio quod volo, ſed malum, quod nolo id facio, Propoſitio ſequitur *verſ.* 20. Unde probato ſic Antecedente infertur Conſequens *verſ.* 21. ut dictum ſupra in 17.

22. *Delector enim Lege DEI, quod ad interiorem hominem.* Alterâ jam vice & ſecundò confirmat utramque partem experientiæ illius & Aſſumptionis, quam ſupra audivimus, *verſ.* 14. ut in *verſum* 15. ante monuimus & prioris partis illius experientiæ, ſeu quod Lex ſpiritualis ſit, Argumentum hîc petitum eſt ab adjunctâ delectatione ſpiritus ſeu interioris hominis. Quo ſpiritus ſeu interior homo delectatur id ſpirituale eſt hoc eſt a ſpiritu & ad vitam datum, at ego quod ad Spiritum & interiorem hominem, hoc eſt, quatenus ſpirirualis & renatus ſum, delector Lege Dei, Ergo Lex Dei ſpiritualis eſt: Sola Syllogiſmi hîc Aſſumptio habetur.

23. *Sed*

23. *Sed video aliam Legem in membris meis, rebellantem Legi mentis meæ, & captivum reddentem me Legi peccati, quæ eſt in membris meis.* Alterius partis confirmatio eſt: hujus argumentum petitum eſt à cauſâ efficiente ſervitutis noſtræ ſub peccato, quæ eſt lex membrorum, ſeu naturæ corruptio; Lex membrorum ſeu naturæ corruptio captivum me reddit Legi peccati. Ego, Ergo carnalis ſum, & venditus, ut ſubjiciar peccato, Antecedens in Textu eſt: Ubi notandum, quod per Legem peccati intelligatur dominium illud peccati & poteſtas, quâ veluti Lege nos cogimur ad ſerviendum peccato, de quo dominio & poteſtate Apoſtolus ſupra loquutus, 6. 12. & 14. ubi, quanquam neget Apoſtolus, quod renatus & gratiæ filius ſub illo ſit dominio, ſciendum tamen quod ut peccati reliquiæ in nobis ſunt, ita ſuperſint reliquiæ illius poteſtatis quamdiu hic vivitur, quibus hîc Apoſtolus ſe queritur à Lege membrorum, hoc eſt vi corruptionis naturæ reliqua, tanquam quâdam lege, in captivitatem redactum; utramque hanc Legem & vim peccati, eum captivum reddentis, tum cui captivus redditur, Apoſtolus explicat ſubjecto ſuo, in membris eſt utraque, & effecto, quæ pugna eſt Legis peccati adverſus Legem mentis, per quam intelligo Spiritum ſeu vim Spiritus renovantis in novâ creaturâ: Sic enim ipſe Apoſtolus exponit, *Gal.* 5. 17. Legem membrorum carnem appellans, & Legem mentis vocans Spiritum, quam utramq; Apoſtolus ibi, quemadmodum & hîc, docet alteri contrariam & repugnantem; unde dat nobis diſcendum, quod quemadmodum in Chriſtiano ſunt duo homines quamdiu hîc vivit ut ſupra notavimus, *verſ.* 18. nimirum

mirum caro & spiritus seu mens, vel vetus homo & novus, seu nova creatura vel homo interior, ita utriusque quamdiù homo hîc vivit perpetuò pugna est: nam Lex membrorum bellum gerit adversus Legem mentis, ut isthic loquitur, & concupiscit caro adversus spiritum, ut *Gal.* 5. 17. & adeo acris hæc pugna, ut, quemadmodum utrobique testatur Apostolus, bonum, quod volumus, nequeamus facere, sed malum, quod nolumus id faciamus.

24. *Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Hactenus probata est assumptio quæ fuit *vers.* 14. & dissimilis comparatio Legis & nostri, unde hîc infert conclusionem illius Syllogismi, quæ responsio est ad objectionem, de quâ diximus, *vers.* 13. Ergo peccatum factum est mihi mors, vel quod idem est, corpus meum, corpus peccati est donec inde eripiar, corpus hîc accipio oppositum menti & significare exteriorem hominem (quemadmodum mens interiorem significat) in quo Apostolus supra testatus est, quòd non inhabitet bonum. Hanc Conclusionem hîc Apostolus non infert nudam, sed Rethoricâ exclamatione, & addubitatione exornatam. Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore mortis? quasi dicat, corpus istud mortis est, & mors me reddit miserum, à quâ quis eripiet me?

25. *Gratias ago DEO per Iesum Christum Dominum nostrum.* Hypaphora est & subjecta responsio ad addubitationem: Deus per Iesum Christum Dominum nostrum me eripuit, quam per Christum liberationem indicat ex consequenti & effecto sentientis cæptam liberationem: quod effectum liberationis

nostræ

noſtræ in nobis noſtra eſt gratiarum actio, nam fieri nequit, quin gratias agat qui ſenſerit ſe liberatum à peccato per CHRISTUM fide apprehenſum (quod ante demonſtratum) & à morte per juſtitiam CHRISTI (quod jamiam probandum eſt) iſta enim Hypophora utriuſque diſputationis κατασκευαστικης epitome eſt & compendium. *Nempe igitur ipſe ego mente quidem ſervio Legi DEI, carne verò Legi peccati.* Hæc communis concluſio eſt doctrinæ ἀναστευαστικης & quâ Apoſtolus objectionibus de Lege reſpondit à Capitis quinti *verſ.* 20. huc uſque de inchoata Legis obedientia in homine renato, cujus exemplum Apoſtolus ſeſe hîc exhibet: nam quod ait hîc Apoſtolus ipſe ego, non de eo in particulari ſumendum, ſed ſenſus eſt, ego aut quivis, quemadmodum ego, DEI Spiritu renatus: cujus obedientiam proponit in ſuo hoc exemplo per diverſa, ſervio quidem Legi DEI, ſed etiam ſervio Legi peccati, hoc eſt, ita præſto Legi obedientiam, ut etiam Legem, quamdiù hîc vivo, tranſgrediar, ut obedientia Legi præſtita tantum inchoata ſit, & ex parte inchoata tantùm, & ex parte eſt iſta Legis obedientia in me, & omnibus qui, ut ego, renati: utramque partem diverſorum ſua cauſa illuſtrat, obedientiam quidem mente, tranſgreſſionem autem carne, nam caro ſeu reliqua naturæ corruptio, quemadmodum ſupra diſputavit Apoſtolus, 7. 7. & deinceps, cauſa eſt omnis cupiditatis & peccati, hoc eſt tranſgreſſionis in renato homine: unde ſequitur quod mens ſeu ſpiritus & nova creatura ſit ſimiliter cauſa inchoatæ obedientiæ; ego renatus Legi DEI ſervio quod ad mentem attinet, ſeu quatenus renatus ſum, & mens ſeu nova creatura qui ſpiritus eſt

carni

carni oppositus & effectum Spiritus regenerationis est causa illius meæ obedientiæ, quæ tamen imperfecta est: nam itidem ego renatus etiam transgredior & servio Legi peccati, cujus transgressionis causa est caro seu adhuc reliqua naturæ corruptio: hoc consectarium infert Apostolus, quasi totius de Lege disputationis epitomen ex proximâ conclusione, quæ fuit *vers.* 24. corpus meum etiam renati, propter Legem membrorum, corpus mortis est; Ergo quanquam mente Legi Dei servio, carne tamen adhuc reliquâ servio Legi peccati, seu peccato peccanti, quod Legi Dei contrarium est: Hæc una Apostoli conclusio & prius consectarium respondet, ex consequenti saltem, omnibus iis de Lege objectionibus, quæ præcesserunt: Nam 1. ex hâc conclusione innotescit quod Legi à Deo tæ inservire debeamus, & quod mente serviamus Legi quicunque renati sumus & novæ creaturæ. Unde responsio in promptu est ad objectionem primam, quod Lex non sit inutilis, seu frustra à Deo tradita, sicut 1. objectum est, sed quod duplici usui inserviat & utilis sit; primùm propter non renatum, cui ostendit peccatum, & ostendendo auget, ut supra 5. 20. Legi enim inserviret cui non servit, sed contra, quò magis cognita est Lex, eo magis peccat & cognitæ reluctatur. Secundò, utilis est Lex Dei renato, cui lucem præfert mente servienti ad omnem obedientiam in sanctimoniam. Deinde ex hâc conclusione innotescit, quòd Lex Dei & lex peccati sint duo contraria: nam mente, ait Apostolus, servio Legi Dei, sed carne servio Legi peccati. Unde sequitur responsio ad objectiones duas reliquas de Lege, Primùm, quòd Lex Dei non sit lex peccati, seu pec-

catum peccans, ut objectum ſecundò fuit 7. 7. Deinde quòd Lex Dei non ſit mors (nam ea peccatum ſequitur) quæ tertia fuit objectio 7. 13. ſed quòd peccatum illud peccans ſeu inſita corruptio, quæ Legi Dei contraria eſt, ſit cauſa omnis peccati & mortis ex peccato, ſicut ſupra reſponſum eſt.

Caput octavum.

Nulla igitur nunc eſt condemnatio iis qui ſunt in CHRISTO IESU. Hactenus de juſtitiâ diſputatum à *Cap.* 1. 18. Jam ſequitur de vitâ & ſalute diſputatio, ut ſupra monuimus in illum *verſum* 18. primi *Capitis.* Hæc diſputatio ſimiliter duarum partium eſt, nam & κατασκευην continet hoc *Cap.* 8. & ἀνασκευην. Inde ad *Cap.* 12. In κατασκευη & affirmativâ diſputationis parte principalis concluſio eſt, quòd vita æterna ſit, & certa ſalus iis omnibus, & iis duntaxat, qui juſti ſunt per fidem Iesu Christi ſecundùm Euangelium, vel quæ eadem eſt, & huic æquipollet, nulla condemnatio iis qui ſunt in Christo Iesu, nam vita ſeu ſalus & condemnatio ita ſunt ἀντιδιαιρημενα oppoſita, ut ex alterutro affirmato ſequatur alterum negatum, & contra. Ideo hoc loco Apoſtolus quanquam diſputet affirmativè de vitâ & ſalute, concluſionem tamen ſuam proponit ſub negatione contrarii, *Nulla igitur eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Condemnationem autem iſthìc intelligo ſententiam

titm DEI Judicis adversus hominem de peccato & morte, sive eâ feratur in hâc vitâ ab ipsa hominis conscientiâ, sive à CHRISTO Domino in ipsius adventu, utriusque enim meminit Apostolus, 1 *Joh.* 3. 20. *Si nos condemnet cor nostrum, DEUS est potentior corde nostro,* Innuere vult Apostolus quòd adversus peccatorem sit hæc gemina condemnatio, una sui cordis seu conscientiæ, & alia DEI potentioris, & quæ magis formidanda, quàm cordis condemnatio, adversus utramque hanc condemnationem, tam cruciatus conscientiæ in istâ vitâ, quàm metum rejectionis in adventu Domini Apostolus istâ conclusione solatur fideles, quod nulla sit condemnatio, vel hîc conscientiæ, vel à Domino in ipsius adventu adversus eos qui sunt in IESU CHRISTO. *Qui non secundum carnem incedunt, sed secundum Spiritum.* Ἐπαναφορὰ est proximæ conclusionis & descriptio eorum qui sunt in IESU CHRISTO ex effecto diversis causis amplificato, quod est *incedere non secundum carnem, sed secundum Spiritum*: Quam descriptionem & suæ assertionis ἐπαναφορὰν subdit Apostolus propter Hypocritas, & fidem habentes, ut *Jacobus* Apostolus loquitur *Cap.* 2. 17. mortuam, qui CHRISTI se jactitant & redemptionis in eo esse participes, cùm adhuc in peccato sint, & proinde non sunt in IESU CHRISTO, propter hos ne se & alios fallant dicit Apostolus hîc, quòd non sunt in CHRISTO qui non ambulant in Spiritu, & eos duntaxat fideles esse, qui incedendo secundum Spiritum testantur se verè CHRISTO insitos, quo modo videtur hunc locum accepisse Syrus paraphrastes (vide versionem) hanc conclusionem infert Apostolus ex supe-

riore disputatione κατασκευαστικῇ de justitiâ fidei, hunc in modum [illegible]cunque sunt in Christo Iesu (id testificantes ambulando secundum Spiritum, quod verè sunt in Iesu Christo) illis nulla est condemnatio: Propositio quæ ab Apostolo omissa est, nempe, quicunque justi sunt nulla est illis condemnatio, axioma est indubitatum & extra conversiam *Judæis* & *Gentibus*, qua (si lubet) præposita integer erit Syllogismus, sic, quicunque justi sunt illis nulla est condemnatio (hoc extra conversiam est omnibus) at quicunque sunt in Christo per fidem apprehenso, illi sunt justi (hoc probatum) Ergo quicunque in Christo id testificantes ambulando secundum Spiritum, illis nulla est condemnatio, quod hîc infert. Hic Syllogismus Euangelicus est & respondet ex opposito illi legali: quicunque injusti sunt, eorum justa est condemnatio: atqui quicunque Legem transgrediuntur, sunt injusti & peccatores, Ergo quicunque Legem transgrediuntur eorum justa est condemnatio: Hæc theoria est & generalis doctrina, tum Legis tum Euangelii: sed quia particularis explicatio est & non generalis theoria quæ efficax est sive per Legem ad directionem, sive per Euangelium ad consolationem & salutem: ideo Apostolus in hâc de salute & vitâ disputatione discendit à communi theoriâ ad particularem applicationem: cujus duo Syllogismi sunt tum in Lege tum in Euangelio. In Lege enim prior applicat peccatum, posterior mortem: In Euangelio autem prior justitiam, posterior vitam. Prior Legis Syllogismus sic habet, Quicunque Legem tránsgreditur, is peccator est & injustus (hæc assumptio fuit communis Syllogismi) at ego Legem transgressus

gressus sum (hanc assumptionem subministrat conscientia) Ergo ego injustus & peccator sum: alter Legis Syllogismus est, quisquis injustus est & peccator, illius justa est condemnatio, nam stipendium peccati mors (hæc propositio fuit in communi Syllogismo) at ego injustus & peccator (hanc assumptionem suggerit conscientia) Ergo mea damnatio justa est: Syllogismi Euangelici his respondent ex opposito duo, quorum prior: Quicunque in CHRISTO per fidem Euangelii apprehenso illi justi sunt (hæc assumptio communis Syllogismi fuit & antecedens Enthymematis superioris ab Apostolo demonstratum à *Cap.* 1. 18. ad *Cap.* 3. 20.) At ego sum in IESU CHRISTO (hanc assumptionem addit testimonium Spiritus inhabitantis & opus regenerationis ubi sentitur) Ergo ego justus sum & à peccato liberatus; Posterior Euangelii Syllogismus sic habet: Quicunque in CHRISTO sunt per fidem Euangelii apprehenso, illis nulla est condemnatio (hæc conclusio communis Syllogismi & consequens Enthymematis supra) at ego sum in CHRISTO IESU (quod examinandum ex testimonio & opere inhabitantis Spiritus, ut nupèr dictum) ergo mihi nulla condemnatio; Hujus Syllogismi in hâc suâ vitæ & salutis κανόνα omnes & singulas partes tractat Apostolus in isto *Cap.* Primo igitur loco est propositio quæ est conclusio illa Apostoli. Nulla condemnatio est iis qui sunt in IESU CHRISTO, qui non secundum carnem incedunt, sed secundum Spiritum, hæc conclusio *vers.* 1. proposita confirmatur inde ad *vers.* 9. unde ad *vers.* 13. disputatur assumptio, & conclusio inde ad finem Capitis.

2. *Nam Lex Spiritus vitæ, qui est in IESU*

CHRISTO, liberavit me à Lege peccati & mortis. Quemadmodum propoſitionis duæ partes fuerunt, ita & duarum partium eſt ipſius probatio, Primùm enim probat Apoſtolus nullam eſſe condemnationem iis qui ſunt in CHRISTO IESU, *verſ.* 2, 3. & principio 4. Deinde quòd iſta à condemnatione immunitas ſit eorum qui non hypocriticè ſed verè ſunt in CHRISTO, hoc eſt, eorum qui ambulant non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum, in fine *verſ.* 4. & deinceps ad 9. Argumentum prioris partis, quo probatur certitudo ſalutis eorum qui ſunt verè in CHRISTO IESU, ab effecto Euangelii eſt, & ſpiritualis miniſterii ipſius, hoc eſt, Euangelii efficacis redditi per internam operationem Spiritus Sancti: nam ſic hîc interpretor Legem Spiritus vitæ, ut ex oppoſito reſpondet literæ mortis, ſeu condemnationis miniſterio, 2*Cor.* 3. 6, 7. Quemadmodum enim condemnatio ſeu mors, quod effectum occidentis literæ eſt; & liberatio ſeu certitudo ſalutis, quod effectum Legis Spiritus ſeu Euangelii eſt, ſunt inter ſe contraria: Syllogiſmus igitur ſic habet ex oppoſitis, quicunque per Legem Spiritus vitæ liberati ſunt à Lege peccati & mortis illis nulla eſt condemnatio, at me (ait Apoſtolus) & quicunque mecum ſunt in IESU CHRISTO, liberavit Lex Spiritus vitæ à Lege peccati & mortis, Ergo nulla eſt condemnatio vel mihi vel iis quicunque in IESU CHRISTO. Aſſumptio in Textu eſt: quæ ut intelligatur, præter ea quæ diximus de Lege Spiritus, ſcienda hæc tria ſunt. Primùm, quòd Spiritus hîc ſit Spiritus Sanctus, qui his verbis ab Apoſtolo deſcribitur effecto ſuo & ſubjecto, nam Spiritus vitæ vocatur, quia præterquam quòd vita ſit, etiam

etiam vitam in nobis operatur maximè illam DEI & spiritualem seu internam: ab effecto igitur vocatur Spiritus vitæ; Deinde additur in CHRISTO IESU tum quia Filii Spiritus est, tum quia in CHRISTO DEI Filio nobis datus est, *Galat.* 4. 6. Denique quòd in CHRISTO non extra CHRISTUM sit hoc effectum liberationis, alia etenim dona Spiritus DEI cernuntur & in mundo & extra CHRISTUM, sed hoc donum liberationis, & quo quis certus sit salutis suæ, non nisi Electorum est, nec usquam cernitur nisi in CHRISTO mystico & membris corporis ipsius: Est itaque hæc secunda pars descriptionis Spiritus à subjecto: Secundò sciendum, quòd cùm dicitur Lex Spiritus me liberavit, non effectivè accipiendum est, nam Christus suâ morte effecit nobis liberationem, sed Lex Spiritus seu spirituale Euangelii ministerium liberare nos dicitur duobus modis, Primùm, quòd enunciet externa prædicatione liberationem illam à Christo factam: Deinde, quòd eandem in nobis obsignet operatione internâ, adeo, ut liberare hîc sit certum me facere liberationis, externi ministerii præconio & internâ Spiritus operatione, quæ tropo subjecti pro adjuncto liberatio dicitur. Tertiùm & quòd postremò hîc sciendum est, est Lex illa peccati & mortis, quo nomine utramque Legem intelligo & illam membrorum, quæ captivum me reddit Legi peccati supra 7. 23. & Legem per *Mosem* latam, quæ & ipsa per accidens seu carnis ἀδυναμίαν ut deinceps dicitur, est litera occidens & mortis ministerium, 2*Cor.* 3. 6, 7. & supra 7. 10.

3. *Nam quæ Legis erat impotentia quum viribus esset destituta per carnem,* DEUS *suo ipsius Filio*

lio in formâ consimili carni, peccato obnoxiæ, idque pro peccato condemnavit peccatum in carne.

4. *Ut jus illud Legis compleatur in nobis.* Probatio est proximæ assumptionis, à subjecto, & fine Euangelii; & subjecto quidem duabus partibus proposito, quarum prior est missio Filii in carne seu Christi incarnatio, quæ explicatur similitudine, nam Christi caro & humanitas, quanquam non fuit obnoxia peccato, in formâ tamen consimilis fuit carni peccato obnoxiæ; adeo, ut Christus homo, seu Christus in carne suâ homo fuit per omnia nobis similis excepto peccato, non veram carnem negat Apostolus in quam Filius missus est, sed ait similem fuisse peccatrici carni; caro Christi igitur fuit vera caro, sed in illâ carne non fuit peccatum. Altera pars hîc subjecti Euangelii, peccati est in carne condemnatio; carnem intelligo carnem Christi, quæ quanquam peccato non fuit obnoxia, obnoxia tamen facta est condemnationi peccati nomine & vice peccatricis carnis, quemadmodum enim DEUS offendebatur, in carne violatâ Lege DEI; ita oportuit in carne satisfactio fieri, quam cùm peccatrix caro præstare nequiret, DEUS (ait Apostolus) misit Filium in veram carnem similem peccatrici, ut in non peccatrici damnaretur peccatum, & satisfactio fieret pro peccato carnis peccatricis: cujus condemnationis nomine intelligo supplicium pro peccato, quod Christus subiit, & peccati per ipsum abolitionem: hæc peccati condemnatio, seu supplicium quo aboletur, sua causa διατι explicatur, peccatum condemnatum est, *i. e.* in carne Christi punitum est pro peccato, & eo quod nos DEO peccaverimus, adeo ut condemnationis peccati in

carne

carne Filii Dei causa διὰ fuerit peccatum nostrum: utraque hæc & Filii incarnatio communi efficiente explicatur, Deus enim (ait Apostolus) & Filium misit in carnem, & in carne Filii condemnavit peccatum. Hactenus subjectum Euangelii fuit, finis autem Euangelii his verbis initio 4. *vers.* proponitur. *Ut jus illud Legis compleatur in nobis.* per condemnationem peccati in carne Filii Dei. Jus Legis hîc intelligo justitiam illam, quam Lex requirit, quâ præstita præstatur legi suum jus, & à quâ qui vel minimum aberraverit, Legem violat & Legi subtrahit suum jus; istud autem jus Legis in nobis impletur per condemnationem peccati in Christi carne, quia illa condemnatio nobis imputatur, quasi in nostrâ carne peccatum condemnatum fuisset, adeo ut quicquid Juris Legi derogatum est nostro peccato & transgressione, id denuo Legi sit restitutum, Ita per condemnationem peccati in Christo, & eam nostro nomine, intelligo abolitionem illam peccati, quam Apostolus vocat dissolutionem operum Diaboli, 1 *Joan.* 3. 8. eamque per satisfactionem Iesu Christi, ita ut Lex, jam abolito peccato nostro, non habeat quod queratur de nobis quicunque reperimur in Christo Iesu; sensus itaque verborum est, Lex Spiritus seu spirituale Euangelii ministerium prædicat & obsignat Deum, misso in carnem Filio, plenè puniviſse & puniendo aboleviſse ita omnia peccata nostri credentium, ut Jus Legis in nobis compleatur, seu ut nos Lege per eum præstitâ & nostro nomine, Legis approbatione justificemur, ut supra 3. 21. Probatio igitur assumptionis sic habet: quo prædicatur, quòd Filius à Patre missus in carnem, in carnem peccatum condemnaverit,

hoc

hoc eſt, peccatum aboleverit perſoluto precio ſuâ morte, ut jus Legis in nobis impleatur pro quibus mortuus eſt, id me liberet, & omnes qui mecum in Christo ſunt, à lege peccati & mortis, ſeu à Legis condemnatione, propter peccatum: At Euangelio ſeu Lege Spiritus prædicatur Christus incarnatus & mortuus in carne ad peccati condemnationem, & ut in nobis impleretur jus Legis: Ergo Euangelium, ſeu Lex Spiritus, qui eſt in Chriſto Ieſu, me liberat à Lege peccati & mortis: Aſſumptio ſola eſt in Textu, *verſ.* 3. & principio *verſ.* 4. illuſtrata argumento privantium, & ἀδυναμια Legis in principio *verſ.* 3. quæ rurſus Legis ἀδυναμια & impotentia (ut videatur Legis eſſe per accidens) ſua cauſa per ſe explicatur, quæ cauſa eſt caro noſtra ſeu naturæ corruptio, propter quam nos ἀδυνατοι ad præſtandum Legem. *Qui non ſecundum carnem incedimus, ſed ſecundum Spiritum.* Tranſit ad alteram partem confirmationis, repetendo deſcriptionem illam eorum qui in Chriſto, quæ eadem eſt & eorum in quibus completur jus illud Legis: Probat itaque deinceps ad *verſ.* 9. quod hæc immunitas à condemnatione de quâ loquitur, ſit eorum propria, qui ambulant non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum. Argumentum probationis à privantibus ſumptum eſt, mors eſt eorum qui ſecundum carnem ambulant, vita autem & pax eorum eſt qui ſecundum Spiritum, Ergo nulla eſt condemnatio, ſeu immunitas à condemnatione nobis eſt, qui incedimus, non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum: hujus Enthymematis conſequens eſt verbis citatis in fine *verſ.* 4. Antecedens deinceps probatur.

5. *Nam*

5. *Nam qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui verò secundum Spiritum, quæ Spiritus sunt.*

6. *Nam intelligentia carnis mors est, intelligentia Spiritus verò vita & pax.* Argumentum est à propriis effectis carnis & Spiritus, quæ sunt sapientia carnis & sapientia Spiritus, quòd sapit caro est mors, quòd autem sapit Spiritus vita & pax, at, qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui verò secundum Spiritum, quæ Spiritus, Ergo qui secundum carnem sunt, eorum mors, pax autem & vita & nulla condemnatio eorum est qui secundum Spiritum. Conclusio quæ eadem est Antecedens Enthymematis rejicitur in *vers.* 8. Partes reliquæ Syllogismi in Textu, sed καθ' ὑσεροτιν, assumptio est priore loco & *ver.* 5. Propositio autem posteriore & *vers.* 6. quam propositionem accipio tropicam & metonymicã esse partim effecti pro causã efficiente, partim adjuncti pro subjecto, sapientia carnis mors est, *i. e.* mortis efficiens causa, sapientia Spiritus vita & pax, *i. e.* efficiens certitudinem vitæ & pacis: nam sapientia Spiritus est τεκμηριον & signum obsignans vitam & pacem per Christum, adeoque vitæ ejus pars est, & principium: in utraque & propositione & assumptione notandum, quòd secundum carnem, seu esse in carne, & secundum Spiritum esse seu esse in Spiritu, causa sit incedendi secundum carnem & Spiritum, sed quia causæ hæ reciprocæ sunt cum suis effectis, pro eodem hìc utitur Apostolus utrâque loquendi formâ, secundum carnem incedere & secundum carnem esse, sic & secundum Spiritum incedere & secundum Spiritum esse.

7. *Propterea*

7. *Propterea quòd intelligentia carnis inimicitia eſt adverſus* DEUM. Probat priorem partem propoſitionis & quòd ſapit caro id eſſe mortem. Argumentum probationis ſumitur ab effecto ſapientiæ carnalis, quod eſt inimicitia adverſus DEUM, quæ rurſus cauſa mortis eſt, ſic, inimicitia adverſus DEUM eſt mors ſeu mortis cauſa, at quod ſapit caro eſt inimicitia adverſus DEUM, *i. e.* cauſa & fons illius inimicitiæ, Ergo quod ſapit caro eſt mors. *Legi enim* DEI *non ſubjicitur, nam ne poteſt quidem.* Probat Aſſumptionem, & quòd ſapit caro id eſſe inimicitiam adverſus DEUM, a diſparato ſapientiæ carnalis, quod eſt ſubjici Legi DEI: quod non ſubjicitur Legi DEI, id inimicitia eſt adverſus DEUM: at carnis ſapientia, ſeu ſapientia hominis ut jam in carne & corruptus eſt, non ſubjicitur Legi DEI (hanc aſſumptionem amplificat Apoſtolus per minorum comparationem, non modò non ſubjicitur, ſed ne poteſt quidem ſubjici Legi Divinæ hominis ſapientia, unde ſequitur concluſa aſſumptio) Ergo carnis ſapientia eſt inimicitia adverſus DEUM.

8. *Ergo qui in carne ſunt,* DEO *placere non poſſunt.* Ultima concluſio ſecundæ partis confirmationis, & quòd à condemnatione immunitas non ſit eorum qui ambulant ſecundum carnem, mutatis nonnihil terminis; nam eſſe in carne ponitur pro ſecundum carnem incedere, cauſa nimirùm pro effecto, ut ante monuimus, & DEI itidem diſplicentia pro condemnatione hominum carnalium, cauſa etiam pro effecto ſuo: nam quicunque non placent DEO, eorum certa eſt condemnatio in irâ & diſplicentiâ DEI, ſic hunc locum reſolvo: vel etiam dici poteſt quod his verbis contineatur

ſecundum

secundum argumentum secundæ hujus confirmationis, & quâ probatur quod immunitas à condemnatione non sit eorum qui ambulant secundum carnem; Argumentum sumptum est a disparato illius immunitatis, Quicunque non placent Deo, seu quicunque sunt sub irâ Dei & (ut vocat Apostolus) iræ Filii, eorum non est hæc immunitas à condemnatione: at quicunque in carne sunt, non modo non placent Deo, sed ne quidem possunt placere ei. Sic *vers.* hoc 8. proponitur hæc assumptio amplificata minoribus, unde conclusio sequitur, quòd qui in carne sunt vel secundum carnem ambulant damnandi sint, nec eorum sit hæc immunitas quæ hîc prædicatur.

9. *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu.* Hactenus propositio fuit & prima pars *Cap.* Pars altera sequitur & assumptio Syllogismi primi ac principalis, cujus (ut propositionis fuerunt) sunt duæ partes, Prima est, *At vos estis in Christo Iesu.* Altera autem, *At vos non estis in carne,* seu non secundum carnem inceditis, sed secundum Spiritum, quæ utraque pars tractatur in secundâ hâc parte *Cap.* sed κατ' ὕστερον. Posterior priore loco à *vers.* 9, ad *vers.* 14. & prior posteriore à *vers.* 14. Inde ad *vers.* 31. Ergo hoc *vers.* 9. continetur posterior pars assumptionis, hæc nimirùm *Vos qui Romæ estis, vocati sancti, sive è Judæis, sive è Gentibus:* Vos, inquam, non estis in carne, *i. e.* quisquis vestrum unctionem habet, ut *Ioan.* loquitur, & scit de seipso quòd non sit in carne, sed in Spiritu. [*Siquidem Spiritus DEI habitat in vobis*] Confirmatio proximæ assumptionis est, & probatio, quòd ipsi non sint in carne, Argumenta probationis

onis duo ſunt. Prius à cauſâ efficiente certitudinis ipſorum eſt, quòd ipſi tranſlati ſunt è carne in Spiritum. Cauſa eſt inhabitatio Spiritus, ipſis cognita & ſpirituali ſenſu apprehenſa, cuius probationis Syllogiſmus ſic habet, In quibus habitat Spiritus Dei, illi non ſunt in carne, ſed in Spiritu: at in vobis habitat Spiritus Dei: Ergo vos non eſtis in carne, ſed in Spiritu. *Quod ſi quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus.* Aſſumptionem, quæ ſola in Textu eſt, probat pari conſequutione, ἀναπαλιν, in contradicentibus, ſic, Si quis non habet Spiritum Christi inhabitantem, is non eſt Christi: Ergo vos qui Christi eſtis, habetis Chriſti Spiritum inhabitantem.

10. *Porrò ſi Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum propter peccatum, Spiritus autem vita eſt propter juſtitiam.* Alterum argumentum aſſumptionis, ab effecto Spiritus inhabitantis, quæ noſtra renovatio eſt, & cujus duæ hæ partes hîc ab Apoſtolo proponuntur, Prior eſt mortificatio corporis ſeu veteris hominis: Altera eſt Spiritus ſeu novæ creaturæ vivificatio: corpus autem ſeu vetus homo mortificari dicitur, cum nos corpori, veteri homini ſeu carni morimur, ut contra vivificari dicitur Spiritus ſeu nova creatura, cum nos magis indies Spiritui vivimus, adeo ut mortuum eſſe corpus hoc loco nihil aliud ſit, quàm quod Apoſtolus ſupra 6. 2. nos mortuos peccato, & ſpiritum eſſe vitam, idem ſit quòd nos Spiritu vivere ſeu vivere vitam Dei: utraque hæc pars & corporis mortificatio & ſpiritus vita, ſua cauſa διατι explicatur: Spiritus Sanctus enim operatur utramque: at ſi quæres, cur corpus mortificetur ſeu cur corpus fiat mortuum, Reſpondet

Apoſtolus

Apostolus propter peccatum, hoc est, ut nos desinamus peccare, quod non fieret vivente corpore, seu vigente in nobis corruptâ naturâ. Vel si lubet exponi potest hoc quod dicit Apostolus propter peccatum, sic ut nos dicamur mori corpori propter peccatum, *i. e.* propter conscientiam seu sensum peccati & metum judicii ex peccato, neutrum quorum possumus evitare, nisi corpori moriamur & corruptæ naturæ; Itidem si quæres διατι & causam propter quam Spiritus Sanctus nos spiritu vivificet? Respondet Apostolus propter justitiam, *i. e.* quia Christi justitiâ & plenâ satisfactione nos Deo reconciliati sumus, ideo nos sanctificat seu Spiritu vivificat Spiritus Sanctus, ut abstinentes peccato Deo vivamus cui sumus reconciliati: Argumentum itaque probationis sic habet; quibus corpus mortuum est ut non amplius serviant carni in cupiditatibus ipsius, & quibus Spiritus vita est, ut Deo serviant reconciliati per Christi justitiam, ii non sunt in carne, sed in Spiritu, At vobis corpus mortuum est propter peccatum, & spiritualis vita est propter justitiam, vos igitur non estis in carne, sed in Spiritu.

11. *Sed si Spiritus ejus, qui suscitavit Iesum ex mortuis, habitat in vobis, is qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia vestra corpora per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis.* Epanorthosis & correctio ejus quod dixit de morte corporis, quod ne sancti trahant ad interitum sui corporis & terreni hujus tabernaculi, ut Apostolus vocat, 2*Cor.* 5. 1. maximè cùm & ipsum per naturæ corruptionem mortale sit & casurum, Apostolus his verbis ipsos solatur præconio resurrectionis ipsius illius corporis, quod

quod per peccatum mortale est & casurum, quam nostri corporis resurrectionem hîc amplificat Apostolus subjecto & causa efficiente, subjectum ii sunt in quibus habitat spiritus ejus, qui suscitavit Iesum à mortuis iidem nimirùm quorum est salutis certitudo & immunitas illa à condemnatione, de quâ hoc Cap. disputat Apostolus, quanquam enim corporum resurrectio sit omnium communis, tamen soli hi, in quibus habitat vitæ spiritus, resurrecturi sunt ad vitam & gloriam. Ideoque hos solos solatur Apostolus nuncio futuræ resurrectionis, quibus duntaxat futura est beneficio, ut præteream quod horum propria sit prima resurrectio, ejusque indies incrementum, in quibus habitat hic spiritus vitæ: & hactenus subjectum; efficiens causa notatur duplex, Primâ ordine est Deus Pater, & ordine tertiâ est Spiritus Sanctus: uterque definitur suo effecto, Deus Pater excitavit Christum Filium à mortuis, & per Spiritum Sanctum mortui in Christo cum Christo excitantur, tum in hac vitâ & magis indies ad novam vitam, tum in Domini adventu, ad vitam æternam, quam utramq; nostram per Spiritum Sanctum resurrectionem hîc respicit Apostolus, cujus utriusque & Author primus ordine Deus Pater est, Filius autem causa est ordine secundâ, & tertiâ ordine est Spiritus Sanctus, nam ut Pater prima persona est in trinitate, Filius secunda, & Spiritus Sanctus tertia, ita opera ad extra quæ trium personarum communia sunt & creaturas respiciunt, à Patre fiunt in Filio per Spiritum Sanctum, Pater in Filio per Spiritum Sanctum mortuos resuscitat (ait hîc Apostolus) quòd idem judicium est de consimilibus Dei actionibus, Deus Pater, pri-

mus

ma persona primus ordine est efficiens, & ab ipso fiunt omnia, Filius Dei secunda persona secundus est efficiens, & in ipso fiunt omnia: Denique Spiritus Sanctus ut tertia persona est, ita est ordine tertius efficiens, & per ipsum fiunt omnia, qui etiam hic describitur suâ in Sanctis inhabitatione.

12. *Nempe igitur, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Consectarium est & adhortatio ad novam vitam, seu dehortatio potiùs ab incedendo secundum carnem, cujus duo hic adferuntur Argumenta, Prius sumptum est ab adjuncto viventium secundum carnem, quod disparatum est eorum omnium qui per Spiritum inhabitantem sunt renovati: hoc adjunctum est debitum seu obligatio, quâ qui secundum carnem sunt, carni obligantur ut dominanti ipsis ad vivendum secundum carnem. Sic habet probationis Syllogismus: Quicunque secundum carnem vivunt, debitores sunt carni ut vivant secundum carnem: at nos, fratres, non sumus debitores carni ut secundum carnem vivamus. Ergo ne vivamus secundum carnem; Sola Assumptio in Textu habetur, illata ex secundâ probatione Assumptionis præcedente, sic, corpus quidem, *i. e.* (caro & corruptio nostra) mortuum est, igitur non sumus debitores carni, ut secundum carnem vivamus, nam mors dissolvit obligationem, quo modo etiam ratiocinatus est de Lege supra 7. 1.

13. *Nam, si secundum carnem vixeritis, futurum est moriamini.* Secundum argumentum dehortationis à stipendio peccati sumptum, seu effecto vitæ actæ secundum carnem, quod effectum est mors secun-

dum carnem viventium, ſic, ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini, Ergo ne vivite ſecundum carnem, Antecedens eſt in principio *verſ.* 13. *Sed ſi Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.* Quod probatur pari conſequutione in contrariis, quæ per diverſa proponuntur, ſi Spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis: Ergo ſi ſecundum carnem vixeritis, moriemini.

14. *Quotquot enim Spiritu DEI aguntur, ii ſunt Filii DEI.* Hactenus pars una Aſſumptionis principalis diſputata eſt, ſequitur κατ' ὑστεραση pars prior (at vos eſtis in IESU CHRISTO, ſeu unuſquiſque veſtrum certus eſt ſe eſſe in CHRISTO) hæc ipſa quidem hîc omiſſa eſt, ſed probatur disjunctim, in duobus membris: Primum enim quod filii DEI ſint diſputatur, Deinde quod DEI hæredes & cohæredes IESU CHRISTI, ex quibus duobus ſequitur illud tertium hîc omiſſum, quod ipſi in CHRISTO ſint, cùm nemo niſi in CHRISTO ſit, vel filius ſit vel hæres DEI: Primum itaque è duobus membris probat ex inſeparabili adjuncto filiorum DEI, quòd eſt duci vel agi Spiritu DEI, Syllogiſmus probationis ſic habet, Quotquot Spiritu DEI ducuntur, ii ſunt filii DEI, & proinde ſunt in IESU CHRISTO: at vos Spiritu DEI ducimini, Ergo DEI filii, & proinde in IESU CHRISTO. Sola propoſitio expreſſa eſt *verſ.* 14. cujus propoſitionis una cum deſideratæ aſſumptionis probatione confirmatio ſequitur duobus *verſibus* ſequentibus 15. & 16. & duobus argumentis confirmatur utraque propoſitio ſimul cum omiſſâ aſſumptione.

15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis ad metum, ſed ſpiritum adoptionis, per quem clamamus Abba,*

Abba, i. e. *pater*. Prius argumentum sumptum est à naturâ spiritus quo ducuntur, spiritus adoptionis est; est autem adoptio filiatio seu receptio eorum in dignitatem filiorum, qui filii non fuerant, quare spiritus adoptionis est qui obsignat adoptionem, *i. e.* dignitatem filiorum DEI, datam in CHRISTO DEI unico filio iis qui naturâ erant filii iræ, hoc argumentum probandæ propositioni sic accomodandum est: quotquot aguntur spiritu adoptionis, ii sunt filii DEI (quod manifestum ex iis quæ jam diximus de adoptione) at DEI Spiritus adoptionis est, quare quotquot aguntur Spiritu DEI, ii DEI filii sunt, Assumptio est *vers.* 15. illustrata diverso, DEI Spiritus Electis datus per Euangelium, non servitutis sed adoptionis Spiritus: quorum diversorum pars utraque explicatur suo effecto, servitus quidem metu, adoptio autem interno clamore in cordibus fidelium, quo ipsos docet DEUM invocare Abba & Patrem. Ita his verbis probata est propositio; assumptionis autem omissæ probatio latet in verbo, *Accepistis*, Sic, quicunque acceperunt DEI Spiritum seu adoptionis, ii DEI Spiritu seu adoptionis ducuntur. At vos (ait Apostolus fidelibus *Romanis*) accepistis spiritum adoptionis & DEI: Vos ergo ducimini DEI Spiritu, quæ præcedentis Syllogismi assumptio fuit.

16. *Qui ipse spiritus testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios DEI.* Alterum argumentum quo confirmatur utraque & propositio expressa *vers.* 14. & assumptio (ut in eum *vers.* diximus) desiderata: hoc argumentum à duplici testimonio sumptum est, uno divino & Spiritus Sancti inhabitantis (qui Spiritus scilicet

Sanctus & adoptionis ille teſtatur ait Apoſtolus) altero humano & noſtri ipſorum ſpiritus jam renovati à Spiritu Sancto (teſtatur inquit una cum ſpiritu noſtro) uterque igitur hîc ſpiritus & Spiritus Sanctus & noſter à Spiritu Sancto renovatus, tanquam duo teſtes, intus clamant & atteſtantur DEUM Abba Patrem noſtrum eſſe, & nos in CHRISTO unigenito Filio eſſe filios DEI, quem utrumque clamorem ſeu teſtimonium & Spiritus Sancti & ſpiritus noſtri per ipſum renovati fide accipio comprehenſum, clamat enim Spiritus Sanctus & nobis atteſtatur nos eſſe Dei filios, operando in nobis fidem & nos obſignando IESU CHRISTO, ſpiritus autem noſter ab ipſo renovatus clamat, Itidem & nobis atteſtatur eſſe nos Dei filios, fide apprehendendo IESUM CHRISTUM & gratiam quæ per Spiritum Sanctum in ipſo revelatur, à quo duplici interno Spiritus teſtimonio oritur externus clamor & ſancta invocatio, quâ Electi invocant Deum Patrem ad juſtitiam & ſalutem. Sic enim videtur Apoſtolus ipſe ſe exponere infra 10. 13, 14. Quiſquis enim invocaverit (ſic ſcribit Apoſtolus) nomen DOMINI, ſervabitur, & deinceps quo modo invocabunt eum in quem non crediderunt, videmus igitur quod ex fide ſeu interno clamore exſtet invocatio, externus clamor, & uterque ad ſalutem.

17. *Quod ſi filii etiam hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem CHRISTI.* Hactenus confirmatio quod filii ſumus, Sequitur probatio alterius membri, & quod cum CHRISTO hæredes Dei ſumus, Argumentum à cauſâ eſt & adoptione (jam probatâ) Quicunque ſunt filii Dei, ii etiam hæredes ſunt & cohæredes cum IESU CHRISTO: at vos filii DEI eſtis

(quod

(quod jam probatum est) Ergo & Dei hæredes estis & cohæredes cum Iesu Christo: unde infert Apostolus (ut antedictum) quod nos in Christo Iesu sumus, quæ pars prior est assumptionis, ut observatum in *vers.* 14. *Si modò simul cum eo patiamur.* Epanorthosis est, & adjuncta conditio hæreditatis cum Christo adipiscendæ, quæ est cum Christo crucis participatio, & nostri cum eo sub cruce sancta confirmatio, *Ut simul cum eo glorificemur*, Adjunctæ conditionis, à fine, illustratio.

18. *Nam statuo, minimè esse paria, quæ præsenti tempore perpetimur, futuræ gloriæ in nobis retegendæ.* Digreditur Apostolus occasione proximæ conditionis, & animat eos qui in Christo, seu Christi cohæredes sunt ad patiendum cum Christo, Argumenta hortationis duo sunt, Unum ab impari comparatione perpessionum nostrarum & insequentis gloriæ: Alterum ab eventu seu fine perpessionum est, quod nimirùm adjumento sunt nobis ad bonum: horum argumentorum priori immoratur Apostolus à *vers.* hoc 18. ad *vers.* 28. Alteri autem à *vers.* 28. ad *vers.* 31. Et prius argumentum prolepticum est, his itaque verbis prolepsis est & occupatio objectionis ortæ ex conditione hæreditatis, de quâ *vers.* proximo. Ergone (sic objici potest) comparanda nobis est nostris perpessionibus illa hæreditas, cujus contrarium confirmasti totâ primâ κατασκευῇ, quod nimirùm ex fide sit hæreditas & per gratiam, supra 4. 16. non autem ex nostris vel operibus vel perpessionibus, sic enim gratia non esset gratia infra 11. 6. Huic objectioni ita his verbis nervosè respondet Apostolus ut paucis ostendat nec nostris perpessionibus comparari hæreditatem, & tamen propter

eam quævis patienda nobis & lubentiſſimè, adeo ut unâ eâdemque operâ & meritum perpeſſionum deſtruat, & ipſos animet ad patiendum, Primùm igitur his verbis deſtruit meritum contradicendo objectioni; non ſtatuo hæreditatem illam perpeſſionibus noſtris comparandam, cujus hîc ratio (uti jam dictum eſt) ab impari comparatione perpeſſionum noſtrarum & hæreditatis illius ſeu gratiæ retegendæ ſic ſe habet. Omnes hujus vitæ perpeſſiones non ſunt pares hæreditati aut eâ dignæ, Ergo hæreditas perpeſſionibus non comparatur. Vis conſequentiæ nititur huic axiomati ἀνάλογον & per ſe plano, quod nullum meritum ſtipendii ſit, niſi opus aut perpeſſio fuerit par ſtipendio eaq; dignum, id quod innuit ſupra Apoſtolus, 4. 4. operanti merces imputatur ex debito, quaſi dicat niſi debitum fuerit ſtipendium, & opus par ac dignum mercede, merces non datur operi; quod idem judicium eſt de perpeſſionibus, perpeſſiones igitur noſtræ & opera nil merentur, nil iis comparatur niſi ἄξια fuerint (ut hîc Apoſtolus loquitur) & mercede digna: Hæc generalis propoſitio eſt, & ex Apoſtolo manifeſta, cui hîc ſic ſubſumit, quod perpeſſiones hujus vitæ non ſint pares hæreditati, aut retegendæ gloriæ: Unde docet nos concludere, quod ipſe ſupra, hæreditatem eſſe ex gratiâ & non ex debito vel noſtris perpeſſionibus comparatam, ſic itaque everſo perpeſſionum merito, animat tamen Apoſtolus ad patiendum pro hæreditate, & eodem argumento, in hunc modum, ſtatuo, *i. e.* omnibus perpenſis rationibus concludo, quod omnes in præſenti vitâ perpeſſiones impares ſint inferiores & indignæ gloriâ illâ in nobis retegendâ ſeu glorioſâ noſtrâ hæreditate

ditate, cujus jus nobis factum est in Christo Iesu, Ergo ut Iesus Christus fidei noster dux & perfector, pro sibi proposito gaudio, pertulit crucem contemptâ ignominiâ, *Heb.* 12. 2. Sic nobis cum eo quævis patienda sunt, & libentissimè, ut simul etiam cum ipso glorificemur, & hæredes Dei nos fiamus in ipso.

19. *Etenim mundus hîc conditus, quasi exerto capite observans, expectat revelationem filiorum Dei.* Utriusque Enthymematis proximi antecedens probat, -ostenditque excellentiam gloriæ retegendæ omni comparatione majorem esse nostris perpessionibus: idque tribus argumentis seu triplici testimonio, Primum est commune rerum creatarum & mundi conditi hoc *vers.* & deinceps ad 23. Alterum hominum est, primitias spiritus habentium, *vers.* 23. & deinceps ad *vers.* 26. Tertium Spiritus Sancti est, *versibus* 26. & 27. adeo ut omnes hi tres, ἡ κτισις seu mundus conditus, homo renatus, & Spiritus Sanctus, per quem renatus est, adferantur hîc ut testes excellentis gloriæ filiorum Dei, quæ retegenda est, ejusque omni comparatione exsuperantis omnes nostras perpessiones hîc cum Christo, sub spe ejus futuræ in vitâ illâ beatâ: quorum singulorum testimonia seorsim ostenduntur ex effectis testantium: & primò quidem mundi conditi seu rerum creatarum commune testimonium ostenditur ex effecto ipsarum, eoque illustrato adjuncto efficiendi modo, expectat mundus conditus retegendam illam gloriam, hoc effectum est; & exerto capite seu intentâ expectatione expectat, hic modus efficiendi est. Sic igitur arguit Apostolus, intentâ expectatione expectat mundus conditus retegendam illam gloriam filiorum Dei, Ergo

testimonio

teſtimonio mundi conditi, eſt gloria filiorum Dei ſuperexcellens retegenda.

20. *Nam vanitati mundus hîc conditus ſubjectus eſt.* Probat antecedens & quod res creatæ capite exerto ſeu intentâ expectatione expectant retegendam gloriam filiorum Dei: cujus probationis argumenta duo ſunt, Prius quidem ſumptum eſt ab adjunctâ conditione præſenti rerum creatarum, Alterum ab adjuncto dolore & luctu ſeu ſuſpiriis rerum creatarum ſub conditione præſenti. Quod ad prius, adjunctam & preſentem rerum creatarum conditionem attinet, ex eâ ſic oſtendit Apoſtolus antecedens, mundus conditus ſeu res creatæ ſubjectæ ſunt vanitati ſub ſpe liberationis in gloriam filiorum Dei, Ergo intentâ expectatione expectat mundus conditus retegendam illam gloriam. Antecedens eſt *verſibus* 20. & 21. quibus oſtenditur conditio præſens rerum creatarum, in duobus poſita, Primum eſt, quòd res creatæ ſint vanitati ſubjectæ, alterum eſt quòd ſub ſpe liberationis ſubjectæ ſint: Quod ad primum, vanitatis nomine hîc duo intelligo, Primum hominem ipſum cui res creatæ ſubjectæ ſunt & famulantur, qui *Pſal.* 62. 10. vanitas vocatur & vanitate vanior, Deinde omnem rerum propter hominem creatarum miſeriam, quam rurſus comprehendo tribus partibus. Prima eſt miſera ſervitus ſub homine peccatore, cujus ſervitutis miſeria in duobus cernitur, Primum in moleſtiâ & fatigatione, cujus miſeretur Deus, & cui conſulit 4. Præcepto, *Exod.* 20. 10. Deinde abuſu in alium finem, quàm in quem res conditæ ſunt, aut in quem inſervirent homini, *Hoſ.* 2. 8. Secunda pars eſt rerum creatarum inquinatio ex contagione peccati

cati hominis, quâ laborat creatura, & sub quâ gemit dum renovatione per ignem eluetur in adventu Domini, 2*Pet.* 3. 10. Tertia miseriæ pars sunt variæ rerum mutationes & multiplicia Dei judicia, quibuscum homine peccatore subsunt res creatæ homini servientes, *Gen.* 3. 17. & 4. 11, 12. Omnia hæc quatuor, hominem peccato factum vanum, miseram rerum creatarum servitutem sub homine vano, & contagione vanitatis ejus earundem rerum inquinationem, Denique Dei judicium cui cùm homine subsunt, hæc omnia, inquam, comprehendo nomine vanitatis hujus, cui mundus subjectus est, *Non suâ sponte, sed propter eum qui subjecit eum.* Prior hæc pars conditionis conditi mundi & ejus sub vanitate subiectio: ista illustratur ab Apostolo efficiente causâ, quam proponit per diversa, non suâ sponte subjectus est vanitati mundus conditus; Hæc prior pars diversorum est & causa negata, *Sed propter eum qui ipsum subjecit.* Altera pars diversorum & affirmata causa; Negata causa igitur hujus subjectionis est ipsa natura rerum creatarum, quæ conditæ sunt à vanitate liberæ, & quæ suâ naturâ nec paruissent homini jam lapso, nec cum eo fuissent miseræ: affirmata autem causa, est ordinatio Dei longanimis, qui propter Electos evocandos vult mundum inservire etiam peccatoribus, *Mat.* 5. 45. vel dici potest, quòd ista illustratio sumpta sit à diversis finibus, non suâ sponte, non propter se, sed propter eum qui subjecit eum vanitati, *i. e.* ad usum hominis, qui suo peccato mundum secum præcipitavit sub vanitatem, ut sensus sit, sicut mundus principio creatus est ad usum hominis, & ut ipsi inserviret, Sic jam subjectus vanitati,

tati, *i. e.* factus vanus & corruptioni obnoxius per hominis peccatum, ſub corruptione conſervatur tamen: propter eundem hominem reparandum, cum quo & ipſe mundus reparabitur, ſecundum quod ſcriptum eſt, *Vetera abiere, ecce nova facta ſunt omnia*, 2 *Cor.* 5. 17. & alibi, 2 *Pet.* 3. 13. *Expectamus novos Cœlos & novam terram*: Dicit igitur Apoſtolus quòd mundus, propter homines Electos conſervatus, ſub corruptione gemat, ſubjiciatur vanitati, ſitiens libertatem Electorum, ut in eam cum electis ſimùl vindicetur.

21. *Sub ſpe quod & ipſe vindicabitur.* Altera pars conditionis mundi conditi & prioris ſubjectionis Epanorthoſis, ſubjectus mundus vanitati eſt, ſed *ſub ſpe quod & ipſe vindicabitur.* Spes enim rebus conditis ἀνθρωποπαθῶς tribuitur, & more hominum ſervandorum, quorum propria eſt liberationis ſpes, & rerum creatarum per Metaphoram, quarum eſt participatio liberationis cum Electis hominibus in CHRISTO IESU *ex ſervitute corruptionis.* Explicat ſperatam hanc liberationem creaturarum à ſubjectis terminis liberationis illius, à quo & ad quem: Terminus à quo ſervitus & corruptio eſt, *i. e.* ſervitus miſera propter corruptionem & corruptionis judicium, cujus utriuſq; res creatæ cum homine ſunt participes, dum homini ſerviunt in peccato ſuo [*in libertatem gloriæ filiorum DEI*] Terminus ad quem, libertas eſt, quæ explicatur ſubjecto ſuo primo (filiorum DEI) Deinde adjuncto gloriæ, eſt glorioſa libertas à corruptione & judicio corruptionis per CHRISTI Juſtitiam quæ *Gloria* dicitur quod glorioſa ſit libertas, *Phil.* 3.

20.

20, 21. Ut filiorum Dei primò est, ita secundò & participatione cum ipsis in Christo rerum creatarum est, 2*Pet.* 3.13. Unde hîc ponitur pro termino ad quem liberationis etiam creaturarum.

22. *Scimus enim totum mundum conditum, unà suspirare, & unà parturire ad hoc usque tempus.* Alterum argumentum, quo probat Antecedens & res creatas expectare patefactionem filiorum Dei, à dolore & luctu rerum creatarum insequente jam dictam conditionem ipsarum, cujus doloris immensitas similitudinibus suspirantis ὠδῖνος & parturientis illustratur, temporis denique adjuncto & ejus continuâ duratione, suspirant res creatæ & ut parturiens fœmina sunt, quæ voto expetit partum: *Ad usque tempus patefactionis filiorum DEI.* Ergo exerto capite expectant ipsam.

23. *Neque verò illæ solùm, sed & ipsi qui primitias spiritus habemus nosipsi, inquam, apud nosipsos suspiramus.* Hactenùs commune testimonium fuit & rerum creatarum de retegendâ gloriâ filiorum Dei, Sequitur confirmatio secundi testimonii, quòd hominis renati est, vel (ut loquitur hîc Apostolus) hominis habentis primitias spiritus, sic enim describit Apostolus Metaphoricè regenerationem nostram in istâ vitâ, quod sit nimirùm Spiritus Sancti primiati, hoc est principium & velut primi fructus, cujus perfectio seu plena messis sequutura sit deinceps in alterâ vitâ, iis omnibus qui in istâ primitias accipiunt. Hoc alterum testimonium retegendæ gloriæ etiam effectis confirmatur renatorum, quæ hîc proponuntur comparatione majorum, non solùm creaturæ ceteræ, sed etiam nos ipsi renati expectamus & suspiramus sub spe retegendæ gloriæ,

gloriæ, Ergo & nos ipſi teſtes quòd retegenda ſit: quæ eadem ratiocinatio eſt Apoſtoli, 2*Corin.* 5. 1, 2. *Adoptionem expectantes*, i. e. *Redemptionem corporis.* Gloriam hanc retegendam hominum primitias ſpiritus habentium deſcribit Apoſtolus cauſâ formali, quæ adoptio eſt, & ſubjecta materia, redemptio eſt corporis noſtri: Adoptionem enim hîc intelligo plenam de nobis revelationem, quòd DEI filii ſumus, quanquam enim jam ſumus adoptati & filii DEI, nondùm tamen ait Apoſtolus 1*Ioan.* 3. 2. patefactum eſt quid futuri ſumus: tantiſper igitur tecta manet gloria noſtra, donec retegatur adoptio noſtra: & gloria retegenda adoptionis & patefactio in Redemptione corporis noſtri, & corporis ſynecdochicè (ait Apoſtolus) pro totius hominis redemptione; corporis tamen redemptionem dicit potius quàm animæ: quia abſolutâ jam redemptione animæ poſtquam ſancti quod ad animam jam abierunt habitatum ad Dominum, nondùm tamen plenè patefacta eſt iſta noſtra adoptio & gloria: At ubi primùm abſoluta erit corporis redemptio, corpore à mortuis reſuſcitato, tum primùm plenè erit patefacta & adoptio & gloria eorum omnium qui filii DEI ſunt, & qui jam habent primitias Spiritus DEI. Ita enim Apoſtolus, 1*Ioan.* 3. 2. *Scimus fore ut cum ipſe patefactus fuerit, ſimiles ei futuri ſumus, quoniam ipſum videbimus ſicuti eſt.*

24. *Nam ſpe ſervati ſumus.* Probat proximum effectum, & quod primitias Spiritus habentes expectent gloriam retegendam. Argumentum ſumptum eſt ab inſtrumentali cauſâ ſalutis ſeu retegendæ gloriæ; ſic, ſpe ſervati ſumus, ſeu ſpes eſt inſtrumentalis cauſa adipiſcendæ

piscendæ & sine quâ gloriam nemo consequitur, Ergo qui Spiritus primitias habent & servandi sunt ii expectant plenam messem & retegendam gloriam. *Spes autem si cernitur, non est spes.* Ex proxima probatione seu quod spe servati sumus, deducit Apostolus instar consectarii præcipuam digressionis conclusionem propositam *vers.* 17. Quod nimirùm cum CHRISTO pateremur & per tolerantiam expectare debeamus hæreditatem. Deductio sic habet, Si salutem, quam speramus, non videmus, debemus per tolerantiam expectare eam: At prius verum est, non videmus salutem, quam expectamus, expectemus ergo per tolerantiam. Propositio est *vers.* 25. connexa: Assumptio autem, spes seu sperata salus non cernitur, probatur *ver.* 24. *Spes* seu sperata salus (Sic enim ibi Metonymicæs accipio) *si cernatur, non est spes.* Ergo spes seu sperata salus non cernitur: Argumentum à contradictione spei est, qualis Apostoli ratiocinatio est infra 11. 6. de gratiâ & opere, Antecedens probatur à fine frustrato, quod quispiam cernit id frustra speraverit: Ergo spes si cernitur, non est spes. Unde ultimam conclusionem deducit Apostolus, Ergo per tolerantiam expectanda salus.

26. *Itidem & Spiritus Sanctus unà sublevat infirmitates nostras.* Tertium testimonium est & Spiritus Sancti testantis itidem suo effecto de gloriâ filiorum DEI retegenda: effectum Spiritus Sancti in nobis, quo probatur hoc ipsius testimonium est sublevatio infirmitatum nostrarum, quarum nomine (interprete Apostolo *versibus* insequentibus) intelligo ineptitudinem nostram, tum ad expectandum per tolerantiam hæreditatem

hæreditatem promiſſam in IESU CHRISTO, tum ad invocandum DEI auxilium, quo toleremus & ſperemus eam: ex hoc enim poſteriori Apoſtolus dum dicit quid precemur non novimus prius præſupponit, non enim peteremus opem niſi nos in nobis ipſis eſſemus infirmi: Argumentum itaque ſic habet, infirmitates noſtras tum ad ſperandum gloriam, tum ad patiendum ſub ſpe gloriæ retegendæ, denique ad implorandam divinam opem ne deficiamus ſperando aut patiendo, Spiritus Sanctus ipſe ſublevat, Ergo ſublevando infirmitates noſtras ad expectandam gloriam teſtatur quòd ſit gloria retegenda. *Quid enim precemur, ut oportet, non novimus.* Explicat hoc effectum Spiritus Sancti per diverſa, in quorum priore parte oſtenditur ſynecdochicωs, uti jam monuimus, noſtra infirmitas, *Sed ipſe Spiritus interpellat pro nobis ſuſpiriis inenarrabilibus.* Altera & poſterior pars diverſorum quâ oſtenditur auxilium illud Spiritus Sancti qui ſublevat infirmitates noſtras, quod auxilium eſt interpellatio pro nobis, quæ adjuncto modo illuſtratur, ſuſpiriis interpellat inenarrabilibus; quo modo adjuncto interpellandi Apoſtolus vult nos docere duo, Primùm quòd filiis DEI ſuſpiria in ipſis à Sancto DEI Spiritu excitata ſæpè ſuppleant defectum vocis & precum. Secundò, quod hæc ſuſpiria Spiritus Sancti ſint inenarrabilia, & quidem duabus de cauſis, vel quòd internus ſenſus ſuſpipirantis exſuperet vocem, ita ut verbis exprimi nequeat, vel quòd ſuſpiria Sancti Spiritus exſuperent ipſum ſenſum hominis ſuſpirantis, ac proinde & verba, id quod *verſ.* inſequente innuere vult Apoſtolus, dum dicit, eorum ſuſpiriorum ſenſum DEO cognitum, quaſi

ſæpè

sæpè exuperent captum & Angelorum & hominum soli Deo cognita.

27. *Qui verò scrutatur corda, novit quis sit sensus spiritus.* Prolepsis est & objectionis occupatio ortæ ex proximo modo interpellandi pro sanctis, vel potiùs ex qualitate illâ suspiriorum quibus pro Sanctis interpellat Spiritus; sic, incognita suspiria & quæ non intelliguntur, inutilia sunt suspirantibus, nec prosunt ad infirmitates sublevandas: at si Spiritus suspiria inenarrabilia sunt, sunt etiam incognita nec intelliguntur, Ergo si inenarrabilia sunt illa suspiria, non prosunt Sanctis, aut levamen præstant: Respondet Apostolus huic objectioni assumptionem negando: cujus negationis ratio hoc *vers.* hæc adfertur, quòd Deus intelligat sensum Spiritus sui pro nobis: quare quanquam hæc suspiria sint inenarrabilia, exuperent & sensum & sermonem creaturæ, uti nupèr diximus, vult tamen Apostolus sciamus Deo cognita, cujus hîc adferuntur argumenta duo, Unum à naturâ Dei desumptum est, Deus noster καρδιογνωστης est, & scrutatur corda: quanquàm igitur suspiria sunt inenarrabilia, novit tamen Deus quis sensus sui Spiritus in illis suspiriis, hæc igitur est consolatio iis, qui, cum Psalte, ita concussi sunt afflictionibus ut perloqui nequeant, nulla tamen excusatio est Deum ridentibus incognito idiomate & affectata ac consulta ignorantia. *Quia secundum Deum interpellat pro sanctis.* Alterum argumentum est, quo probat Apostolus sensum Spiritus in suspiriis Piorum inenarrabilibus, non modò Deo cognitum, sed ab ipso etiam agnitum, hoc est, illi grata & accepta esse suspiria illa Sanctorum à suo Spiritu promanantia: Argumentum

mentum sumptum est ab adjuncto interpellationis per illa suspiria, κατα Θεον est, *i.e.* conformis voluntati DEI. Sic ergo arguit Apostolus, Omnis interpellatio quocunque modo facta, sive voce, sive suspiriis, si fiat κατα Θεον & secundum DEI voluntatem, ea DEO est cognita, imò agnita ab ipso & ipsi accepta. At Spiritus ista pro nobis interpellatio (subsumit Apostolus) κατα Θεον est & conformis voluntati DEI, Ergo eam, etsi factam solis suspiriis & inenarrabilibus, novit DOMINUS & acceptam habet: quo modo noscendi verbum accipitur. *Psal.* 1. 6. *Math.* 7. 23.

28. *Novimus autem iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum.* Alterum argumentum est, quo animat Apostolus cohæredes CHRISTI ad patiendum cum eo, ut cum eo simul glorificentur: sicut supra annotavimus in *vers.* 18. hoc alterum argumentum à fine petitum seu eventu perpessionum, quibus sunt obnoxii filii DEI; hic finis & eventus idem esse enuntiatur qui est earum rerum omnium, quæcunq; iis accidunt in vitâ istâ, perpessiones ipsorum cedunt in bonum eorum qui patiuntur, quare sic Apostolus ratiocinatur, afflictiones sicut aliæ res omnes unà ad bonum cooperantur cohæredibus CHRISTI, Ergo cohæredes CHRISTI libentèr cum eo paterentur, ut bonum suum assequantur, & cum eo simul etiam glorificentur: Antecedens hoc *versu* 28. est confirmatum communi Piorum testimonio, novimus (ait Apostolus) & amplificatum descriptione eorum, quibus omnia sic ad bonum operantur: cujus descriptionis argumenta duo sunt, Primum est effectum fidei in ipsis, seu sancta dilectio, quâ DEUM diligunt ex mandato prioris

oris tabulæ Legis; Iis videlicet *qui ex proposito ipsius vocati sunt.* Alterum argumentum descriptionis est ab adjunctâ vocatione Dei, quâ ipsi ad gratiam vocati sunt, quæ ipsa denuò vocatio illustratur à causâ suâ & fundamento, quod est Dei propositum: τῆς προθέσεως autem & propositum Dei hîc intelligo illud ipsum esse, quod idem Apostolus, *Ephes.* 1. 5. vocat εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ benevolum affectum voluntatis Dei; quod secundum est fundamentum (ut videtur Apostolus hoc loco innuere vocationem ex proposito deducens) omnium beneficiorum spiritualium quæ in Christo confert nobis Dominus: Primum etenim in Christo nos præcognoscit, Prius igitur fundamentum est præscientia Dei *versu* 29. insequente. Deinde est εὐδοκία τοῦ θελήματος seu πρόθεσις ista & propositum Dei secundum præscientiam, ex quo veluti secundo fundamento Deus nos prædestinat, vocat, justificat & glorificat: hoc, uti dixi, hîc innuit Apostolus in uno illo beneficio: & dum dicit nos ex proposito vocatos, innuere (inquam) videtur simul nos ex eodem proposito prædestinatos, ex proposito Dei justificatos, & ex eodem proposito glorificatos, maximè autem cùm etiam *Eph.* 1. 5. dicat Deum nos prædestinavisse pro benevolo hoc affectu voluntatis suæ.

29. *Nam quos præscivit, etiam prædestinavit, ut conformes fiant imagini Filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres.*

30. *Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam justificavit: quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Antecedens proximum (& quòd omnia cooperentur in bonum iis qui

Deum diligunt, ſuntque ex ejus propoſito vocati) ut hactenùs communi piorum teſtimonio confirmatum eſt (ſicut notavimus in præcedentem *verſum*) ſic demùm his duobus *verſ.* probat Apoſtolus. Argumentum probationis ſumptum eſt ab adjuncto indiſſolubili nexu beneficiorum Dei, quæ ex propoſito ipſius in nos conferuntur eorum denique indiſſolubili nexu cum προγνωσει ſeu præſcientiâ Dei. Argumentum probationis Proſyllogiſmo comprehenditur; ſic, *Quoſcunq; glorificat Deus, iis* omnia cooperantur in bonum, hæc propoſitio manifeſta eſt, quia gloria illa retegenda hominis eſt felicitas & ſummum bonum, quod quibus obtingit velut finis laborum illis omnia media cedũt bono (hinc ſubſumit Apoſtolus) at præſcitos glorificat Deus, Ergo præſcitis cedunt omnia bono, Aſſumptio hîc χειρομενον eſt, quæ ex effecto præſcientiæ ſeu propoſiti Dei ſecundum præſcientiam immediato probatur, quod effectum eſt prædeſtinatio, quæ eadem eſt glorificationis ſeu ſummi hominibus boni cauſa remotior: Syllogiſmus probationis ſic habet, Omnes ad vitam prædeſtinatos glorificat Deus, at præſcitos omnes prædeſtinavit, Ergo (quæ prioris Syllogiſmi aſſumptio eſt) quos præſcivit ſeu prænovit, glorificat: Hujus Syllogiſmi aſſumptio (quos præſcivit Deus, eos prædeſtinavit) in principio *verſ.* 29. eſt illuſtrata *verſ.* reliquo, duplici prædeſtinationis fine, proximo *viz.* quæ noſtra eſt conformatio ad imaginem Filii Dei in cruce primùm, deinde regno, tolerantiâ primùm, & deinde in gloriâ, altero remotiore, qui eſt ut Iesus Christus ſit primogenitus, *id eſt*, primus præcurſor & πρωτοτοκος inter multos fratres in utroque prædicto, tolerantia

lerantia & gloria, cruce & regno. Ita firmâ existente assumptione proximi Syllogismi & quòd præscitos prædestinavit Deus, manet propositio το κρινομενον quòd prædestinatos glorificet Deus, quam sic probat Apostolus verbis insequentibus & ab effecto immediato prædestinationis, quæ nostra est vocatio efficax ad gratiam. Quoscunque vocat Deus, eos glorificat, at quoscunque prædestinavit, ante tempora eos in tempore vocat Deus, Ergo quoscunque prædestinavit, eos glorificat, quæ propositio est prioris Syllogismi. Hujus Syllogismi assumptio est Apostoli principio *ver.* 30. manet propositio το κρινομενον, & quòd vocatos glorificat Deus, quam sic probat Apostolus ex effecto immediato vocationis & secundo Dei beneficio in tempore, quæ nostra justificatio est. Quoscunque justificat Deus, eos glorificat, at quoscunque vocat, eos justificat, Ergo quoscunque vocat, eos etiam glorificat. Quæ propositio fuit proximè superioris Syllogismi: Hujus autem Syllogismi pars utraque antecedens Apostoli est 30. *vers.* reliqua parte, sed κατ' υφεσιν assumptio est priori loco & in medio *versus*, quos vocat eos justificat, Propositio autem posteriore & in fine *vers.* constans terminis immediatis, nam justitia proxima est & immediata causa glorificationis nostræ cum Christo, quare cùm prima propositio, quos glorificat Deus, iis omnia cedunt bono, immediata sit, sicut ante ostensum est, & assumptionis primæ, (quos prænovit Deus, eos glorificat) probatio sit deducta ad causam proximam & immediatam, Sequitur ex omnibus immediatis conclusio, Quos prænovit Deus, & ex proposito vocavit, iis omnia cedunt bono, quod antecedens enthymematis

mematis fiunt: videmus igitur quòd προγνωσις & prædeſtinatio beneficia Dei æterna & ante tempora cohereant indiſſolubili nexu (ut hic teſtis Apoſtolus) cum vocatione, beneficio in tempore, quemadmodum ipſa vocatio indiſſolubili nexu cohæret ita cum juſtitiâ & gloriâ inſequentibus, ut propter nexum iſtum indiſſolubilem, ſit hæc catena verè aurea, liceatque ex quovis horum beneficiorum reliqua concludere, & ſingillatim; adeoque ex omnibus vel horum aliquo, quòd omnia homini participi ipſorum cedant bono, ſicut audivimus jam feciſſe Apoſtolum aſſerentem, omnia ad bonnm cooperari vocatis ex propoſito.

31. *Quid igitur dicemus ad hæc? ſi* DEUS *pro nobis, quis contra nos?* Hæc tertia pars Capitis & cònclusio principalis Syllogiſmi, Primùm γενικως propoſita *verſibus* 31. & 32. Deinde per partes explicata *verſibus* reliquis ad finem Capitis: Generalis concluſio illata ex præcedentibus (cujus illationis nota eſt *igitur*) hæc eſt, nullus eſt contra nos, aut noſtrum quempiam qui Christi ſumus; Hæc concluſio his duobus *verſ.* adornatur addubitatione: cujus interrogatio gemina eſt, Prior, Quid dicemus ad hæc? Poſterior. Quis contra nos? Cui utrique hypophora ſeu ſubjecta reſponſio eſt, dicendum quòd nullus ſit contra nos, vel non eſt quòd timeamus quempiam nobis contrarium, quæ reſponſio hîc omiſſa vel potius comprehenſa interrogatione poſteriore, in *Pſalmis* frequentèr expreſſa eſt, *Pſal.* 118. 6, 7. & multis aliis cujus hypophoræ & reſponſionis ſenſus non eſt, quòd nulli ſint piis adverſarii, cùm contrà teſtetur Apoſtolus, *Eph.* 6. 12. & ſequentibus, quòd nobis lucta præter carnem & ſanguinem

guinem adversus spirituales malitias sit, præ quibus caro & sanguis pro nullis haberentur, sed sensus conclusionis est, quòd quanquam piis multi hostes, caro, mundus, & Diabolus, adeò tamen nullus hostium piis ad malum prævalebit, ut pii & Dei hæredes in Iesu Christo hostes omnes,& quoscunque contrarios sibi, possint despicere: sic *David* interpres est, *Psal.* 118. 6. Generalis hujus conclusionis, & quòd nemo adversarius prævalebit Sanctis, duo adferuntur argumenta, Prius est illud toties in *Psalmis* repetitum ab adjunctâ Dei præsentia Deus est pro nobis, quicunque sumus in Christo Iesu, Ergo nullus nobis contrarius seu nullus adversarius nobis prævalebit.

32. *Is qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Secundum argumentum conclusion's generaliter propositæ ab effecto Dei in Filium pro nobis tradendo ad mortem,unde tanquam majori disputat hîc Apostolus & concludit reliqua omnia tanquam minora conferenda nobis a Deo in Filio Iesu Christo. Sic habet ratiocinatio, Deus tradidit pro nobis Filium, Ergo cum eo dabit nobis,non modò defensionem adversus hostes,sed omnia in illo Filio pro nobis tradito: Antecedens principio *vers.* 32. diversis illustratur: non pepercit Filio,sed tradidit eum morti pro nobis, & adjuncto Filii traditi,Filius Dei proprius fuit,hoc est,naturalis & unigenitus,non adoptivus seu factus Filius, quales nos sumus, qui in Christo Iesu. *Quî non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?* Consequens Enhymematis, duplici majorum comparatione amplificatur & adjuncto modo: Prior majorum comparatio est, Qui Filium tradidit pro nobis, multò magis dabit adversus

versus hostes defensionem in Filio: Secunda est comparatio, quòd non modò defensionem adversus hostes, sed & insuper omnia in Filio dabit is qui dedit Filium; Adjunctus modus dandi est, quòd gratuitò sit daturus, seu quod quæ dat, ea nobis sit in Filio gratificaturus.

33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei?* Sequitur conclusionis per partes explicatio, quæ partes tres hic enumerantur, velut totidem oppositionis species, quarum nulla prævalebit adversus pios, & pro quibus CHRISTUS ad mortem est traditus: illi qui piis se opponunt & sunt adversarii, opponunt se, vel accusando, vel condemnando, vel exequendo. Prima igitur species & pars oppositionis est accusatio *vers.* 33. Altera κατ' ἀύξησιν seu climacem est condemnatio *ver.* 34. Tertia utriusque executio est, accusationis simul & condemnationis, quæ nostri est à CHRISTI charitate separatio, *vers.* 35. & deinceps: Hæ singulæ addubitationibus exornantur. Primæ igitur addubitationis interrogatio est, *Quis crimina intentabit adversus Electos DEI?* Cujus hypophora omissa vel ut dictum, interrogatione comprehensa, hæc est, quòd nullus intentabit crimina adversus Electos DEI, cujus similitèr sensus non est, quòd nullus sit fratrum seu fidelium accusator, nam Diabolus nomen habet ab hoc effecto, & accusator fratrum appellatur, *Apoc.* 12. 10. Sed sensus est, quòd quanquam multi sint qui DEI electos accusent, sive Angeli, sive homines improbi, nullius tamen accusatio sit Electis prævalitura. *DEUS est qui justificat.* Probatio est proximæ responsionis & quòd nulla accusatio prævalebit Electis, à contrariâ justificatione DEI. Sic, quos DEus justificat, adversus

eos

eos nulla prævalebit accusatio crimina intendentis: at Deus Electos justificat, adversus Electos igitur nulla criminatio est prævalitura.

34. *Quis est qui condemnat?* Secunda pars conclusionis & altera oppositionis species, per addubitationem similiter ornata, & cujus responsio est etiam interrogatione comprehensa, nullus condemnabit Electos Dei, vel, mihi ergo & cuicunque mecum in Christo per fidem certo electionis, nobis nulla condemnatio est, quâ unâ conclusionis parte synecdochicôs in generali Syllogismo indicatur ipsum genus, quòd nullus contra me sit, quicunque sum in Christo, & per fidem ei insitus. *Christus is est qui mortuus, imò verò qui etiam excitatus est, qui etiam est ad dextram DEI.* Argumenta responsionis duo sunt, quorum prius sumptum est ab adjunctis Iesu Christi humiliatione & gloriâ, cujus gloriæ duæ hîc recensentur partes, Glorioſa resurrectio & sessio ad dextram Dei. Argumentum igitur sic habet, Christus mortuus est pro Electis (hæc ejus humiliatio est) ad abolendæ ipsorum peccata, & glorificatus est, ad eos justificandos (resurrexit & sedit ad dextram Dei) Ergo nullus poterit condemnare Electos, seu nulla Electis est condemnatio, adeo ut qui per fidem in Iesum Christum certi sumus effecti electionis nostræ, etiam certi sumus singuli futuræ salutis, & quòd nulla nobis condemnatio est. *Qui etiam interpellat pro nobis.* Supremus hujus climacis gradus est, & posterius argumentum ab effecto Christi mortui & glorificati, quod ipsius est ut unici nostri Advocati continua in Cœlis interpellatio apud Deum pro nobis, virtute sui meriti, non enim

enim ſentiendum eſt, quòd Christus apud Patrem jam ſupplicem agat, quemadmodum in diebus carnis ſuæ, eſt enim Christus jam glorificatus, &, teſte hîc Apoſtolo, ad dextram ſedet, ſed interpellat pro nobis Christus & noſtrum Advocatum jam agit, aſpectu perpetuo ſuæ ſatisfactionis ſemper recentis in conſpectu Dei, & abundè patrocinantis ſemper pro omnibus omnium peccatis, qui ſatisfactione illâ ſunt cooperti, & juſtitiâ ejus qui mortuus & reſuſcitatus fuit: ſic igitur ratiocinatur Apoſtolus, pro quibuſcunque interpellat Christus & advocatum agit in Cœlis apud Patrem, nullus eos poterit condemnare: at pro nobis Electis, & noſtrum ſingulis interpellat Christus, & advocatum agit in Cœlis apud Patrem, Ergo nullus poterit nos Electos aut ullum noſtrum condemnare.

35. *Quis nos ſeparabit à charitate* CHRISTI? Tertia pars concluſionis per addubitationem ſimilitèr eſt amplificata, cujus interrogatio *verſ.* 35. & 36. gemina, Una γενικὴ & generalis, de omni adverſario; Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? & charitatem intelligo primò & præcipuè eam quâ Ieſus Chriſtus nos charos habet, & ſecundò, ac per conſequens, etiam eam quâ nos diligimus Chriſtum Servatorem; quanquam enim hypocritæ & ſimulantes dilectionem Chriſti ſuo tempore retegantur & ſeparentur ab amore Chriſti, hoc eſt, patefiunt quòd Chriſtum non diligant, & quanquam Electorum etiam ſunt ſui lapſus, quibus ad tempus impingunt in illum amorem, interceſſione tamen Ieſu Chriſti ut fides eorum non deficit (quod de *Petro* legimus) Ita nec charitas & dilectio ipſorum quâ Chriſtum diligunt; Senſus eſt itaque interrogationis hujus, quis

poterit

poterit nos divellere ab Iesu Christo? quis poterit efficere ut vel ipse electos non diligat, aut redempti ab ipso ipsum non redament ex efficaci sensu amoris ejus in ipsis? *Num oppressio, num angustia, num persequutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius?* Altera interrogatio est & particularis de particulariter se opponentibus & minantibus Electis separationem ab Iesu Christo, quæ sunt multiplices afflictiones & mala hujus vitæ, quorum hîc enumerantur septem species.

36. *(Sicut scriptum est, Tui causâ occidimur totum diem, habiti sumus veluti oves destinati mactationi.)* Ratio est cur generali interrogationi particularem de malis vitæ superaddidit, ab adjunctâ nostrâ conditione in præsente vitâ, & quòd nos his malis omnibus subjicimur, quasi diceret, aut sic ratiocinaretur: nos oppressioni, angustiæ, persequutioni cæterisque malis enumeratis obnoxii sumus in præsente vitâ, ideoq; quæstionem movi, num oppressio, angustia, persequutio, aut cætera enumerata mala nos possint separare ab illo amore? Antecedens hâc parentheſi probat Apostolus testimonio Prophetæ è *Psal.* 44. 22.

37. *Imò in his omnibus plusquam victores sumus.* Hypophora est & subjecta responsio, quæ, quemadmodum interrogatio, ita ipsa gemina est, una quâ respondet generali quæstioni. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Altera quâ respondet quæstioni de malis in parte, an afflictio, *&c.* nos à Christo separabunt? Sed κατ' ὑπερβασιν generalis responsio est posteriori loco, hoc utroque *vers.* respondet particulari quæstioni per tacita diversa, verum est, ista nos tentant separatione

ſeparatione à Christo; ſed in omni ab his tentatione victores evadimus, quam poſteriorem diverſorum partem illuſtrat Apoſtolus duobus modis, Primò per comparationem majorum, non modò victores evadimus, ſed pluſquam victores, quod affirmat Apoſtolus propter incrementum in nobis ex afflictionibus, tum ſenſus ſuaviſſimi charitatis illius, quâ Christus nos diligit, tum noſtræ charitatis, quâ diligimus Christum: ut ſenſus ſit, afflictiones & mala vitæ hujus non modò non ſeparant ab Iesu Christo, ſed arctius indies conjungunt charitate mutuâ, & indies operantur incrementum, cum ſenſus ſuaviſſimi amoris ejus erga nos, tum noſtræ ex eo dilectionis, quâ ipſum redamamus. *Per eum qui dilexit nos.* Secundò illuſtrat reſpõſionem & poſteriorem partem diverſorum ab efficiente cauſâ noſtræ victoriæ in omni malo & afflictione, quanquam enim afflictionibus nos arctius cum Christo indies conjungimur mutuâ charitate, non ſunt tamen afflictiones noſtræ quæ operantur incrementum illud, ſed Christus qui nos diligit, is eſt qui per ſuum Spiritum operatur in nobis tum ſenſum ſui erga nos amoris, tum ex eo efficit diligamus ipſum, ad hoc ſanctificando afflictiones noſtras, quarum alioqui natura eſt φυσικον ἀνθρωπον à Deo ſeparare, quod Propheta nos docet experimento ſuæ carnis reliquæ, *Pſalmo* 73. 23, 24.

38. *Nam mihi perſuaſum eſt, neq; mortem, neq; vitam, neq; Angelos, neq; homines, neq; principatus, neq; poteſtates, neq; præſentia, neq; futura,*

39. *Neque ſublimitatem, neq; ullam rem aliam creatam poſſe nos ſeparare à charitate DEI quæ in*

Ieſu

Iësu Christo Domino nostro. Altera responsio, & generalis facta generali interrogationi *vers.* 35. Quis nos separabit a charitate Christi? Cujus hîc redditur responsio, hæc ejus summa est: nulla res creata separabit nos à charitate Dei in Christo, hæc responsio his duobus *vers.* primùm confirmatur, deinde variè amplificatur: confirmationis autem argumentum sumptum est ab adjunctâ persuasione Apostoli, mihi persuasum est quod nulla res creata separabit nos à charitate Dei: quam persuasionem hîc proponit Apostolus non ut suam & singularem, sed ut exemplarem & in quâ singuli fidem profitentes ipsius imitatores esse debent (ut hîc significat Apostolus) si modo verè profitentur, ut sensus sit, mihi de me persuasum est, & omnibus verè credentibus mecum singulis de se persuasum esse debet meo exemplo, quod nulla res creata separabit nos à charitate Dei; quo docere vult Apostolus quod non sit fides Christiana quæ hæret in communi cognitione, sed illa quæ singillatim accomodat gratiam in communi cognitam, eamque cum πληροφορια & plenâ hâc Apostoli persuasione amplexatur: Hactenùs confirmatio, amplificatio responsionis sequitur, quæ trium partium est. Primùm enim illustrat res creatas, quas negat se separaturas à charitate Dei, Secundò negatam separationem, & tertiò charitatem à quâ negat creaturas ipsum separaturas: Et quod ad primum, res creatas amplificat inductione generum & rerum ἀντιδιαιρεμενως oppositarum, *v. g.* sunt vel mors & mala mortem minantia, vel vita & vitæ inservientia bona, deinde præsentia sunt vel futura, tertiò sublimia sunt vel profunda. Denique his omnibus hostium exercitibus &

nobi;

nobis adverſis tanquam præfectos enumerat Angelos illos lapſos cum principatu & poteſtate ipſorum in tenebras hujus ſeculi, quas ipſe interpretatur filios inobedientiæ & incredulitatis; adverſus has res creatas omnes & hæc omnia rerum creatarum genera gloriatur Apoſtolus, quod ipſum non ſint ſeparatura ab Iesu Christo; docetque Apoſtolus quòd verè credentes ſinguli in hâc gloriatione ſequerentur ipſum. Secunda amplificatio eſt negatæ ſeparationis, & quidem per comparationem minorum, res creatæ non modò non ſeparabunt nos à charitate Dei, ſed ne poterunt quidem nos ſeparare. Ultima illuſtratio eſt charitatis ipſius à quâ negat Apoſtolus ſe poſſe ſeparari tentatione aut vi ullius rei creatæ, & hanc illuſtrat ſubjecto ſuo, qui eſt Chriſtus Ieſus, in quo nos Deus charos habet, & niſi in quo non poteſt quiſquam hominum Deum diligere.

Caput nonum.

Sequitur jam ἀναστευη & refutatio diſputantium pro populo Legis, nam ut ſuperior ἀναστευη à Capitis 5. 20. ad Caput 8. refutatio fuit diſputantium pro Lege contra fidem, ſic iſta ἀναστευη refutatio eſt diſputantium pro populo Legis contra gratiam, & in hâc occurrit Apoſtolus ſcandalo Euangelii orto ex oppoſitione *Judæorum*, qui populus Dei fuit & viſibilis Eccleſia: ſic videtur igitur formanda objectio: ſi hæc via ſalutis eſſet, quam tu prædicas, nec ulla eſſet condemnatio iis qui in Chriſto Ieſu,

Iesu, tum viam hanc fuisset Dei Ecclesia amplexa, quæ gens *Judæorum* est; Hanc propositionem videntur opponentes superstruxisse privilegiis illius populi enumeratis infra *vers.* 4. 5. Maximè autem postremæ prærogativæ quâ dicitur Christus ex *Judæis* oriundus, quem enim non recipiunt sui, quomodo eum non rejicerent Servatorem alii, sic *Pilatus* ratiocinatus est, *Ioan.* 18. 35. & sic videntur *Gentes* Evangelio opponentes *Paulo* hîc objicere, subsumentes, at gens *Judæorum* hanc viam rejicit, Ergo non est hæc vera salutis via, nec per Christum immunitas à condemnatione: vel si lubet, objectionem sic enthymematicè colligere licet; *Judæi*, qui sunt Dei populus & visibilis Ecclesia, quibus Lex lata, promissiones datæ, qui ipsi ex patribus & ex quibus ipse oriundus est Christus, rejiciunt hanc viam salutis per Christum, eique ubique contradicunt, quod postea *Romæ Judæi* increduli, *Act.* 28. 22. coram obciunt, Ergo non vera est hæc salutis via quam prædicas, nec illi liberi à condemnatione qui in Christo Iesu. Huic objectioni & scandalo ex *Judæorum* oppositione, respondet Apostolus tribus his Capitibus 9, 10, 11. & responsionis duæ partes sunt, Primum enim antecedens admittit seu assumptionem Syllogismi, quod nimirùm *Judæi* contradicant Euangelio, & contradicendo dent scandalum *Gentibus*. Secundò negat sequelam vel connexam Syllogismi propositionem, quod nimirùm propterea & ob scandalum *Judæorum*, non sit vera salutis via, quam ipse prædicaverat, vel quòd non sint immunes à condemnatione quicunque sunt Christo per fidem insiti: Prima responsionis pars & antecedentis concessio habetur *vers.* primis 5. postea prosequitur

partem

partē alteram,& quòd nihil detrahat ſuo Euangelio datum à *Judæis* apoſtatis ſcandalum, & primis 5. *verſ.* partem primam reſpouſionis ſeu ſuam de *Judæorum* oppoſitione confeſſionem non apertè proponit Apoſtolus, ſed eam ſubindicat ſuo effecto, quod effectum apoſtaſias *Judæorum* Euangelium rejicientium eſt adjunctus Apoſtoli dolor, ſeu magna triſtitia & animi cruciatus perpetuus, ut ipſe loquitur, propter illam ſui populi apoſtaſiam & rejectionem veritatis in Chriſto. ſic enim & arguit contradictionem ipſorum & evitat interim offenſionem amanter inſinuando ſe contradicentibus, per indicium doloris ſui propter malum ipſorum: quem dolorem & perpetuum cruciatum ſuum confirmat duobus argumentis.

1. *VEritatem dico per* CHRISTUM, *non mentior.* Prius argumentum confirmationis ſumptum eſt à duplici teſtimonio, & prius quidem CHRISTI eſt per contraria propoſitum, Veritatem dico, non mentior, CHRISTUS teſtis eſt quòd mihi magna ſit propter *Judæos* triſtitia. Hoc prius teſtimonium igitur idem eſt & Jusjurandum, nam jurare nil aliud eſt, quàm DEUM appellare teſtem, nos vera loqui. *Attẽſtante mihi conſcientiâ.* Alterum teſtimonium & ſuæ conſcientiæ quo id ipſum probat & ſibi dolorem eſſe propter *Judæos* opponentes ſe CHRISTO: *Per Spiritum Sanctum.* Hoc poſterius teſtimonium & ſuæ conſcientiæ, quia κρίνομενον eſt & pariter obſcurum cum concluſione, altero confirmat Jurejurando & teſtem appellat ſuæ conſcientiæ Sanctum DEI Spiritum inhabitantem, nam conſcientiam teſtari in Spiritu Sancto vel per Spiritum Sanctum, eſt Spiritum Sanctum

nobis

nobis testem esse quòd non mentiamur, allegantes nostræ conscientiæ testimonium: nisi libeat magis dicere, quòd Apostolus suæ conscientiæ testimonium illustrat causâ efficiente, tum testimonii, tum doloris, de quo testatur conscientia, ut sensus sit, testis mihi conscientia, quòd doleam magnoperè propter *Judæos* apostatas, cujus & doloris & conscientiæ de eo testantis effector in me est, non caro, sed Spiritus Dei inhabitantis.

2. *Magnam mihi tristitiam esse, & perpetuum cruciatum cordi meo.* Consequens Enthymematis & dolor ex duplici jam dicto testimonio concluſus amplificatur hîc suo subjecto, non in vultu & externus est, sed internus & in corde, quo indicare vult Apostolus & sinceritatem & vehementiam sui doloris, siquidem & vehementior qui in corde dolor est & semper sincerus, cùm contra qui in vultu tantùm, nil nisi simulatio est.

2. *Optarem ego ipse anathema esse à CHRISTO.* Secundum confirmationis argumentum est, & quo probat cruciatum sui cordis propter *Israelis* defectionem, ab adjuncto voto seu desiderio suo, quo ut *Moses* sub Lege, *Exod.* 32. 32. sic ipse sub Euangelio ex sancto zelo fratres sibi præfert, seu potiùs Dei gloriam in salute fratrum, adeo ut optarit anathema fieri si sic ipsi possent lucrifieri Christo. Anathema autem propriè res est reposita seu sepositа & separata: & in utramque partem capitur in Verbo Dei & bonam & malam: nam *Levit.* 27. 28. omne cherem omnis res devota est sancta Jehovæ, quod idem alibi sæpe videre est ut *Num.* 18. 14. *Jehos.* 6. 20. quo priore cibus sacerdotum & quo non licuit immundis vesci quod

Jehovæ

Jehovæ ſacratus eſſet ἀνάθεμα dicitur & res devota, ut poſteriore civitas Jericho quæ tota à populo, Jehovæ ſeparata eſt vel igne comburenda vel ſervitura uſibus Jehovæ, & *Judic.* 13. 5. *Samſon* Nazar ſeparatus Deo dicitur: ſed apertiſſimè vocis diverſa acceptio cernitur, *Joſh.* 6. 21. ſecundum diviſionem *Tremellii.* Servate vos (ait *Joſua* populo) ab anathemate, ne efficiatis vos anathema: populus *Iſrael* fuit ſacer Deo & ſeparatus à *Gentibus*, & urbs Jericho jam Deo conſecrata fit anathema & ſeparatur ab uſu populi *Iſraelis*, jubetur igitur populus *Iſrael* ſibi cavere ab omni quicquid in eâ civitate eſſet, ne ſi quis attingeret anathema & rem Jehovæ ſeparatam, ſe redderet cum exercitu *Iſraelis* anathema, rem ſeparatam, non Deo ſed à Deo, eſt itaque anathema Deo, & eſt anathema à Deo. Nazareus & qui Deo conſecratus eſt, eſt ἀναθεμενος ſeu ſeparatus Deo, & qui à Deo maledictus eſt, is dicitur anathema, ſeparatus à Deo. Ad hanc igitur vocis homonymiam vitandam Apoſtolus non ait, optarem anathema eſſe, ſed antahema ἀπο Χριστε quod illuſtrat ſuo fine dum addjt pro fratribus: ſic itaque ratiocinatur: Optarem ego anathema eſſe à Christo pro fratribus, *i. e.* pro iis vindicandis ſaluti & Christo, à contradictione ſuâ quâ ſe opponunt Euangelio, Ergo maxima mihi triſtitia eſt pro oppoſitione illâ, qua & ipſi pereunt & dant ſcandalum *Gentibus* ne credant veritati: Antecedens in Textu eſt amplificatum definitione fratrum pro quibus optat anathema fieri, & qui hîc deſcribuntur tribus adjunctis, Primum enim hi fratres ſunt cognati *Pauli*, quæ cognatio ſubjectâ materiâ illuſtratur, cognati ſunt non ſecundum

cnndum Spiritum, quomodo *Timotheus* & *Titus* filii dicuntur; nam sic non ministrarent materiam doloris, sed cognati sunt secundum carnem ubi carnem intelligo non corruptionem, ut sæpè ante in hâc Epistolâ, sed stirpem & genus seu ab iisdem patribus in carne propagationem. Unde discendum nobis relinquit Apostolus, quod quanquam salutis in Christo participes tristarentur de omnibus ad interitum properantibus, magis tamen tristitiam augeret sanguinis cognatio si veritatem rejicit & salutem in Christo.

4. *Qui sunt Israelitæ.* Secunda pars descriptionis fratrum ab adjuncto nomine, quod oritur ex priori adjuncto & cognatione illâ secundum carnem, optarem (ait Apostolus) anathema fieri pro fratribus meis, & fratres eos intelligo qui propter cognationem mecum secundum carnem *Israelitæ* dicuntur à communi ipsis mecum parente *Jacobo* seu *Israele*. *Quorum est adoptio, & gloria, & fœdera, & Legis constitutio, & cultus, & promissiones.*

5. *Quorum sunt patres, & ii ex quibus Christus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes DEUS laudandus in sæcula, Amen.* Tertia pars descriptionis fratrum è variis adjunctis prærogativis populi *Israelitici*, quas ipse ille populus hactenùs habuerunt præ omnibus *Gentibus*, & propter quas potissimùm voluerit Apostolus quòd earum abusu & præcipuè hâc rejectione Christi, tantarum prærogativarum fructus non solum se privarent fratres sui, sed insuper majori fuerint aliis offendiculo quod magnæ prius prærogativæ ipsorum fuerint, nam ut apostatæ magnis olim donis & prærogativis ornati, magno sunt scandalo, & magnæ

ſunt piis triſtitiæ. (hoc hîc docet Apoſtolus tum propter donorum abuſum, tum propter incrementum ſcandali impiis dati ob donorum excellentiam). Has prærogativas *Iſraelitarum* hactenùs proprias Apoſtolus hîc enumerat ſex. Prima eſt adoptio, cujus nomine intelligo electionem hujus populi præ omnibus *Gentibus* ut populus DEI eſſet, *Deutc.* 10.15. & cujus reſpectu hunc populum *Iſraeliticum* DEUS vocat primogenitum ſuum, *Exod.* 4. 22, 23. Secunda prærogativa hîc gloria appellatur, cujus nomine intelligo arcam fœderis, quæ 1 *Sam.* 4. ult. gloria vocatur, quòd viſibile fuerit ſignum præſentiæ DEI in iſto populo, quâ populus hic glorioſus fuit & præcellebat aliis omnibus in terrâ populis. Tertia prærogativa triplicis Legis eſt exhibitio, Moralis, Judicialis, & Ceremonialis, quarum primam & Moralem Legem Apoſtolus hîc vocat fœdera, quòd fœderis operum conditionem contineat, *Gal.* 3. 12. & fœdera pluraliter dicit Apoſtolus, non fœdus, quia cujuſvis Præcepti violatio totius conditionis violatio eſt, *Jacob.* 2. 10. quaſi quot Legis Moralis præcepta ſunt, tot eſſent fœdera ſeu fœderis operum conditiones, quas omnes qui non plenè præſtiterit, nihil illi ex operum fœdere expectandum, niſi execratio & maledictio Legis, *Gal.* 3. 10. *Maledictus omnis qui non manſit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.* Judicialis Lex hîc νομοθεσια vocatur ſeu Legis conſtitutio, quia per eam à DEO quaſi Rege ſuo conſtituta eſt Reſp. *Iſraelis.* Lex tertia & Ceremonialis λατρεια & cultus ſeu miniſterium dicitur, quòd in ejus obſervantiâ & exercitio poſita fuerit pars magna externi & typici miniſterii in iſto populo, ne dicam tota.

Quarta

Quarta prærogativa. *Israelis* promissiones sunt, quas omnium populorum solus hic populus habuit, *Ephes.* 2. 12. & quarum promissionum nomine intelligo verbum fidei & fœderis gratiæ, quod *Israeli* multifariam promissum, *Heb.* 1. 1. plenè tandem patefactum est in Euangelio. Quinta prærogativa est, quòd ex patribus iis essent oriundi *Abrahamo*, *Isaaco* & *Iacobo*, quos dilexit DEUS, & cum quibus fœdus pepegit, *Deut.* 10. 15. Ultima autem & præstantissima hujus populi prærogativa, quòd CHRISTUS ex ipsis esset, quæ amplificatur explicatione tum CHRISTI, tum ortus ipsius ex *Israele*, sed κατ' ὑπόστασιν, ortus primùm explicatur subjecto, quæ caro ipsius est & humana natura, adeo ut CHRISTUS ex *Israele* ortus sit non secundum se totum, ut isti opponentes putabant, nescientes deitatem ejus, sed in parte & secundum alteram naturam tantum: Altera pars illustrationis est & CHRISTI descriptio, primùm à naturâ suâ incredulis incognitâ: DEUS est unus, nimirùm & idem DEUS cum suo Patre & Spiritu Sancto. Secundò describitur à gloriâ suâ, quæ comparatione creaturarum à minori explicatur, supra omnes laudandus est. Tertiò ab æternitate, tum suâ, tum suæ gloriæ, in sæcula; & denique ab approbatione seu fidei in ipsum confessione, quæ hîc notatur vocabulo *Amen*. A descriptione IESU CHRISTI in fine *vers.* 5. incipit secunda pars responsionis Apostoli ad objectionem principalem supra *vers.* 1. Secundò igitur respondet Apostolus objectioni illi negando consequentiam seu propositionem connexi Syllogismi, quod nimirùm via justitiæ & vitæ, quam ipsis prædicavit per fidem in IESUM CHRISTUM non sit igitur à *Gentibus*

rejicienda ut non vera, eo quod *Iudæi* eam rejiciant & CHRISTO ubique contradicant, quæ ſequelæ negatio ipſa quidem omiſſa eſt ad vitandum *Iudæorum* offenſionem (quam in Apoſtolo prudentiam vidimus & in primâ reſponſionis parte) ſed rationes ejus negationis quatuor ab Apoſtolo adferuntur. Prima hîc in fine *verſ.* 5. Altera *verſ.* 6. & deinceps ad 24. Unde ad finem hujus *Cap.* habetur tertia; Quarta autem & poſtrema, *Cap.* deinceps inſequentibus duobus 10. & 11. Quod ad primam igitur negatæ ſequelæ rationem, verba ſunt hæc, *Ex quibus Chriſtus, quod ad carnem attinet, qui eſt ſupra omnes Deus laudandus in ſæcula, Amen.* Unde Apoſtolus ſic ratiocinatur, IESUS CHRISTUS, quem dicitis ex *Iudæis* ortum, & qui ex *Iudæis* eſt ſecundum carnem, per quem ego prædico juſtitiam & vitam, eſt DEUS ſuper omnes laudandus in ſæcula, & cui dicant *Amen* Electi DEI. Ergo quanquam *Iudæi* rejiciant hanc viam ſalutis, non tamen ſequitur quod rejicienda ſit ut non vera ſalutis via, ſed contra (quemadmodum ego prædico) quod nulla ſit condemnatio iis quicunque in CHRISTO ſunt. Id quod efficit hunc locum ſic accipiam eſt perpetua Apoſtoli conſuetudo, qui nunquam ſolet adferre deſcriptiones CHRISTI niſi admodùm appoſitas & præſenti negotio inſervientes, id quod vidimus ſupra 4. 2. 25. ubi in diſputatione de juſtitiâ per fidem argumentum apodicticum exhibuit: ſimiliter in CHRISTI definitione à morte ſuâ & gloriâ ſeu glorioſâ ipſius reſurrectione, eodem modo hîc (ſi lubet) pleno Syllogiſmo ratiocinatur Apoſtolus, ſi IESUS CHRISTUS, quem *Iudæi* rejiciunt, ſit DEUS ſuper omnes laudandus

in

sæcula, & in quem credentes Electi servantur, tum fides in ipsum, adeoque ipse apprehensus fide vera est justitia & salutis via, quanquam *Judæi* ipsum rejecerint; at prius verum est, ergo & posterius. Propositio ἀυτοπιστος est & cui nequit quis contradicere, vel Judicibus *Judæis* ipsis, qui Dominum gloriæ crucifixerunt, quod dixerit Dei Filium esse se, *Ioan.* 19. 7. quo facto, quanquam pessimo, indicant tamen *Judæi* se ipsum amplexuros fuisse, si credidissent ipsius testimonio, & quòd de ipso hîc testatur Apostolus, quòd ipse sit Dei unigenitus Filius, & proinde Deus supra omnes laudandus in sæcula. Omissâ igitur propositione hâc manifesta, assumptio hîc Apostoli est in fine 5. *vers.* Unde sequitur conclusio, quæ responsionis Apostoli secunda pars est, quod nimirum Christus fide apprehensus sit justitia & vita in ipsum credentibus, quanquam *Judæi* rejiciant hanc viam vitæ.

6. *Fieri tamen non potest ut exciderit sermo Dei.* Secunda ratio negatæ sequelæ, sic, *Israelitæ* veri & ad quos ex Dei proposito pertinet interna gratia adoptionis, *&c.* non rejiciunt hanc viam salutis per Iesum Christum, Ergo quanquam *Israelitæ*, qui extrinsecus tantùm *Israelitæ* sunt, rejiciant salutem quam ego prædicaveram per fidem in Christo, non tamen est ipsa rejicienda, neque cuiquam scandalo esse debet ipsorum rejectio: Antecedens omissum sic probatur ab adjunctâ immutabilitate (ut Apostolus eam nominat, *Heb.* 6. 18.) sermonis Dei, non excidit sermo Dei, Ergo qui veri *Israelitæ* & quibus efficacitèr datæ promissiones cum reliquis prærogativis quas enumeravimus, non rejiciant salutem multò ante promissam &

jam plenè patefactam per IESUM CHRISTUM: Antecedens eſt principio *verſ. 6.* amplificatum comparatione minorum, non modò non excidit ſermo DEI, ſed fieri non poteſt exciderit. Conſequens omiſſum eſt, quo velut manifeſto ex antecedente oriuntur prolepſeis treis. *Non enim omnes qui ſunt ex patre Iſraele ſunt Iſrael.* Prima Prolepſis eſt & occupatio, Ergo ex tuâ ſententiâ, objicerent adverſarii, non omnes *Iſraelitæ* veri ſunt *Iſraelitæ*, ſed alii verè ſunt, alii nomine tenus duntaxat, quod pro abſurdo & paradoxo aſſumunt opponentes. unde ut nullam rejiciunt proximam Apoſtoli reſponſionem, petitam ex diſtinctione *Iſraelitarum*. Cui objectioni reſpondet Apoſtolus negando aſſumptionem, & quòd non modo non abſurdum ſit aut paradoxum, ſed contra veriſſimum quòd non omnes ex patre *Iſraele*, hoc eſt, qui à *Jacobo* deſcenderunt ſecundum carnem, iidem ſint *Iſrael*, populus ille DEI, ad quem ſpectat fructus promiſſionum DEI, hæc reſponſio habetur hâc parte reliquâ *verſ. 6.* quam tametſi eandem & apertius propoſuerat Apoſtolus de *Judæo* ſupra 2. 18, 19. quia tamen his pro populo Legis opponentibus paradoxum videtur & abſurdum, quod quis ex *Iſraele* ſit, qui non idem verè *Iſrael*, immoratur Apoſtolus probationi ſuæ hujus reſponſionis.

7. *Neque quia ſunt ſemen Abrahæ, ideo omnes ſunt filii, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Probationis argumentum à ſimilium exemplorum inductione eſt, quæ duo ſunt; Prius exemplum eſt domus *Abrahæ*; unde triplici diſcurſu (ut fieri ſolet ac debet in exemplis dilatatis) diſputat Apoſtolus. Primum enim

ab

ab exemplo domus *Abrahæ* concludit generalem propositionem, quæ propositio est & dici solet exemplaris Syllogismi, & argumentum hoc à specie ad genus est, ab hâc deinde propositione generali discurrens concludit pleno Syllogismo simile tertio, seu alterum particulare, argumentatione à genere ad speciem, & tertio à primo ad ultimum discurrens, ex particulari infert particulare, quod argumentum à simili est, *v. g.* non quicunque sunt semen *Abrahæ*, hoc est, qui ex *Abrahamo* geniti secundum carnem, iidem omnes sunt etiam filii, ad quos spectat fœdus DEI cum *Abrahamo* ictum, sed in *Isaaco* vocabitur tibi semen, ait Dominus *Abrahamo*, *Gen.* 21. 12. Ergo non qui filii carnis ii sunt filii DEI, sed qui sunt filii promissionis ii censentur in semine, Antecedens est *vers.* 7. per diversa propositum.

8. *Hoc est, non qui filii carnis ii filii DEI, sed qui sunt filii promissionis censentur in semine.* Consequens Enthymematis & exemplaris Syllogismi propositio etiam per diversa: ubi carnis filios intelligo eos qui nati sunt ex carne & sanguine, *Ioan.* 1. 13. hoc est, nati sunt vi naturæ, quemadmodum *Ismael* ex *Hagare* ancillâ; filios autem promissionis eos intelligo, qui ex DEO geniti sunt, loco citato, & vi promissionis ipsius; quemadmodum *Isaacus* ex *Sarâ* cum jam inepta per naturam esset ad concipiendum, per filios DEI intelligo eos quos dixit supra Apostolus verè *Israelem* esse quibus nimirum data adoptio cum cæteris enumeratis prærogativis non externo duntaxat ministerio, sed secundum internam gratiam.

9. *Promissionis enim sermo hic est, hoc ipso tempore veniam, & Saræ erit filius.* Probat sequelam

proxim.

proximi Enthymematis producta in medium promiſſione ex *Gen.* 18. 10. ſecundum quam *Iſaacus* natus eſt promiſſionis filius: ſic enim arguit, *Iſaacus* filius promiſſionis eſt, ut patet ex promiſſione de ipſo naſcituro, *hoc ipſo tempore veniam, & erit Saræ filius*, Ergo ſi non omnes qui ſemen *Abrahæ* iidem filii ſunt, ſed in *Iſaaco* vocatur ſemen *Abrahæ*, ſequitur carnis filios non eſſe filios DEI, ſed filios promiſſionis cenſeri pro ſemine: cui generali propoſitioni ſubſumeret Apoſtolus, atqui non omnes ex patre *Iſraele* filii promiſſionis ſunt, ſed multi filii carnis duntaxat, quod patet ex eo, quòd promiſſionem rejiciant & adhæreant Legi ſeu carnali Præcepto, unde concludit Apoſtolus ſimile tertio reſponſionem ſuam, non omnes ex patre *Iſraele* eoſdem eſſe etiam verum *Iſraelem* & cenſeri in ſemine, Unde à primo ad ultimum, qui tertius eſt in exemplo diſcurſus, non omnes ex *Abrahamo* ſecundum carnem cenſentur in ſemine, ſed in ſolo *Iſaaco* vocatur illi ſemen, Ergo nec omnes ex *Iſraele* ſunt verè *Iſrael*, ſed duntaxat ſemen promiſſionis ſicut *Iſaacus* fuit. Triplicis hujus diſcurſus ſola aſſumptio ſecundi Syllogiſmi deſiderata eſt, quæ ipſa etiam manifeſta eſt, uti jam monuimus ex *Iſraelis* apoſtaſiâ & rejectione promiſſionis vel adverſariis cognita.

10. *Neque hic ſolum, ſed & Rebecca cum ex uno concepiſſet, nempe, ex Iſaac patre noſtro hæc experta eſt.* Alterum exemplum & in quo brevior eſt Apoſtolus quam in priori, omiſſo enim utroque illo priore diſcurſu & qui à ſpecie ad genus & qui à genere ad ſpeciem, ſic à ſimili exemplo ratiocinatur, non uterque ex *Iſaaco* & *Rebeccâ* filius pro ſemine habitus

eſt,

est, sed *Jacobus* duntaxat qui minor fuit, Ergo similiter non omnes ex *Jacobo* seu *Israele* orti secundum carnem iidem sunt verè *Israel*, Antecedens comparatione & majorum & dissimilium amplificatum proponitur hoc *vers.* 10. Majorum comparatio est, quòd non solum *Abraham*, sed etiam *Rebecca* hoc sit experta, quòd nimirum non quicunque semen, iidem omnes & filii : dissimilium autem comparatio est, quòd *Abraham* ex diversis uxoribus diversum semen susceperit, *Ismaelem*, filium carnis ex *Hagare* ancillâ, *Isaacum* autem filium promissionis ex *Sarâ* liberâ, *Gal.* 4. at *Rebecca* eadem mater, ex uno *Isaaco* eodem patre, eodem conceptu concepit geminos & peperit diversas gentes, unam promissionis, alteram carnis filios, *Gen.* 25. 33.

11. *Nondum enim natis pueris, cum nihil feciſſent boni vel mali, ut propoſitum Dei quod eſt ſecundum ipſius electionem, non ex operibus, ſed ex vocante firmum maneret,*

12. *Dictum eſt ei, Major ſerviet minori.* Antecedens proximo versu propositum confirmatur duplici testimonio, quorum prius est De 1 per *Mosen* ex *Gen.* 25. 33. Major serviet minori, Ergo non omnes qui *Isaaci* & *Rebeccæ* semen, iidem filii sunt, sed unus filius est, alter servus. Antecedens est *vers.* 12. cui præmittitur ipsius amplificatio *vers.* 11. ab adjuncto tempore divini testimonii, quod tempus definitur subjecto & disparatis, de semine *Isaaci* & *Rebeccæ* tulit Deus hoc testimonium, pueris nondum natis, & cum nihil fecissent boni vel mali: hæc amplificatio in principio est *ver.* 11. quo *versu* reliquo temporis illius adjuncti ratio redditur, à fine, per diversa, qui est ut propositum De 1 secundum

ſecundùm electionem maneret firmum, non ex operibus ipſorum puerorum, quæ nulla adhùc fuerunt, ſed ex vocante Deo, hoc eſt, ut prædicta *Jacobi* gratia & adoptio (quæ hîc, per Metonymiam cauſæ pro effecto, propoſitum Dei dicitur ſecundum electionem) rejecto *Eſavo*, & *Jacobo* benedictionem adepto, ſciretur non pendere ex *Jacobi* operibus, ſed ex gratuitâ & efficaci vocatione Dei, qui quemadmodum *Jacobum* gratis elegit ex εὐδοκία & benevolo affectu voluntatis ſuæ, cùm nihil adhùc ageret, imò nondum naſceretur, ita natum jam & actionibus incumbentem gratis itidem vocavit & benedixit ſine operum vel merito vel præparatione: adeo ut hîc cadat Papiſtarum præparatio & utrumque meritum ſive viſùm ſive præviſum.

13. *Sicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau verò odio habui.* Alterum teſtimonium per malachiam, *Moſis* interpretem, quo probatur idem antecedens, & diverſa conditio ſeminis *Rebeccæ*, *Iacobi* nimirum & *Eſavi*.

14. *Quid igitur dicemus? num injuſtitia eſt apud DEUM?* Secunda eſt prolepſis & occupatio diſputantium pro populo Legis; quorum objectio oritur ex confirmatione proximi exempli, in quâ dictum quòd non ex operibus vel gratiam conferat vel rejiciat Deus, ſed quòd inſolidum gratia ſine operibus ſit ex propoſito ſecundum electionem & vocationem Dei, adeo ut *Iacobum* & *Eſavum*, naturâ pares & paritèr immeritos gratia diſtinguat, quæ gratis data *Iacobo* eſt, *Eſavo* non item: Objectio igitur ſic habet, Qui dat imparia paribus is injuſtus eſt: at ex tuâ ſententiâ (dicerent opponentes) Deus dat imparia paribus, diligit

git *Iacobum*, *Esavum* habet odio, utrosque pares & paritèr immeritos. *Quid igitur dicemus, num injustitia apud DEUM?* Sola conclusio in Textu est principio *vers.* 14. *Absit.* Respondet Apostolus primùm conclusioni in fine *vers.* 14. & aversatur impiam blasphemiam ejus.

15. *Nam Mosi dicit, miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero.* Secundò respondet propositioni & negat ipsam, nimirum, quod si de Deo loquamur injustus sit, qui paribus tribuat imparia, gratiâ unum donat, alium rejicit à gratiâ, utrumque pariter immeritum, cujus negationis ratio est, quòd Deus liberrimus sit, pro voluntate suâ, ut liberrima, ita justissima adeoque omnis justitiæ regula, statuendi de omnibus creaturis: quòd hic probat Apostolus *Mosis* testimonio & veteris Scripturæ, eoque duplici: Priore quidem de gratiâ collatâ *vers.* 15. 16. Altero rejectione ad judicium, *vers.* 17. Unde *vers.* 18. concludit Deum liberum pro voluntate suâ misereri aut indurare & in utroque justissimum, Quod igitur ad prius, testimonium ipsum adfertur ex *Exod.* 33. 19. Unde probat Apostolus gratiæ collatæ fontem esse voluntatem Dei liberrimam absq; respectu nostrorum operum, & quidem hoc modo *Mosi* dicit Dominus וְחַנֹּתִי gratiam faciam ex misericordiâ, cui gratiam fecero, hoc est, cui voluero gratiam facere, & commiserabor quem commiseratus fuero, *i. e.* voluero commiserari, Ergo non est ejus qui velit, velle, nec ejus qui currat, currere, sed & velle & currere à Deo miserente est. Antecedens est *vers.* 15. quod continet testimonium Dei, quo duo hæc adferuntur

tur propria τῇ εὐδοκίᾳ ſeu benevolo affectui voluntatis DEI, Prius eſt miſereri ſeu affici miſericordiâ erga miſeros, Alterum eſt ex miſericordiâ gratiam conferre in miſeros velut miſeriæ remedium, ad eos à miſeriâ liberandos, quæ duo in Textu ponuntur κατ' ὑστερησιν nam חָנַן quod priore loco ponitur, ſignificat gratiam facere ex miſericordiâ, & proinde miſericordiæ effectus eſt, ut docet nos illud tam frequens in *Pſalmis* וְיהוָה חָנֵּנִי gratiam fac mihi, O JEHOVA, & רָחַם quod poſteriore loco ponitur prioris cauſa eſt, & commiſerari ſignificat ſeu maternâ affici miſericordiâ erga filios miſeros, ut optimè hîc *Moſen* reddit Apoſtolus & verbis aptiſſimis, ἐλεεῖν enim in Græco idiomate eſt ex miſericordiâ juvare aliquem ſeu benefacere, unde ἐλεημοσυνη quod miſeris datur ad ſuccurrendum miſeriæ & οἰκτειρειν verbum alterum maternum affectum notat & optimè exprimit vim verbi.

16. *Nempe igitur non eſt ejus qui velit, neque ejus qui currit, ſed miſerentis DEI.* Conſequens Enthymematis, concludens quod DEI ſolius ſit & nullatenus à nobis, vel miſericordia vel gratia quæcunque in nos confertur, quam omnem gratiam ex miſericordiâ datam duobus nominibus hîc comprehendit Apoſtolus, nimirum velle & currere, ſeu, ut *Philip.* 2. 13. velle & efficere: Concluſio itaque enunciatum eſt è cauſâ & effectis: DEUS cauſa & ſolitaria eſt, miſericordia autem deinde gratia collata ad remedium miſeriæ ex miſericordiâ, ſunt duo effecta. Et hîc concluſio illuſtratur diverſis, non ex nobis, ſed ex DEO eſt tum miſericordia tum gratia inde nobis data, quæ ipſâ diſtributione totius in ſuas partes hîc explicatur, quæ ſunt

velle

velle & perficere, integrum autem, aut si mavis genus est gratia miserentis Dei in nos miseros collata.

17. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, ad hoc ipsum excitavi te.* Secundum est testimonium, quo ex *Pharaonis* exemplo probat Apostolus similiter impiorum rejectionem subesse voluntati & providentiæ Dei tanquam primæ causæ eique priori (quod de *Esavo* dictum supra) omnibus maleficiis reproborum, adeo ut series causarum sit hæc, Deus rejicit pro liberrimâ & justissimâ suâ voluntate, improbus rejectus improbè agit, unde meritissima sequitur damnatio; Ego, ait Dominus de *Pharaone*, excitavi te seu feci stares, *i. e.* & à principio ex proposito ad judicium conservavi te à conceptu, ut nascereris, & post multas meas plagas adhùc improbè agentem multâ lenitate toleravi ex eodem proposito: adeo ut uno hoc verbo significetur *Pharaonem* vas iræ & factum & conservatum à Deo seu ex voluntate Dei liberrimâ, in quâ *Pharaonis* excitatione & conservatione etiam malefacientis ne quid injustitiæ inesse videatur quatenus Dei effectum est & à Dei voluntate profectum; illustratur hoc factum Dei gemino fine, utroque optimo *ut ostendam in te potentiam meam.* Prior finis manifestatio potentiæ Dei tum ipsi *Pharaoni* ipsam ignoranti, *Exod.* 5. 2. tum omnibus ubique, in ipsum justissimè puniendo & *ut annuntietur nomen meum in totâ terrâ.* Secundus finis celebratio Dei & glorificatio nominis ipsius ab omnibus terræ incolis ex potentiâ in *Pharaone* manifestata.

18. *Itaque cujus vult miseretur, quem autem vult indurat.* Communis conclusio est ex utroque illata testimonio

testimonio, sic, Deus *Mosi* testatur nolle se omnibus ex *Israele* una cum ipso *Mose* conferre gratiam (*Exod.* 33. 16. cum 19 collatis, nam 19. respondet postulato *Mosis* 16.) sed cui voluerit, & *Exod.* 9. 16. testatur *Pharaonem* à se excitatum, ut in ipsum puniendo ostendat suam potentiam, Ergo cujus vult misereretur Deus, & quem vult indurat: dat itaque hîc discendum Apostolus, quòd Dei in sese voluntas, *Eph.* 1. 5. eaque liberrima, justissima causa sit & fons prædestinationis, & quidem utriusque tum electionis Electorum ad salutem, tum rejectionis rejectorum ad damnationem.

19. *Dices ergo mihi, quid adhuc succenset.* Tertia prolepsis est & occupatio objectionis, quâ adversarius adhuc urget in Deo injustitiam, sed novo argumento, & quòd succenseat seu damnet ac puniat induratos. Objectio sic habet, Si Deus indurat quos vult, injustum est succenseat induratis, At prius verum (objiciunt adversarii) & sic ipse tu concludis, Ergo & posterius: Hæc igitur Adversariorum objectio orta est ex proximâ Apostoli conclusione, quam assumptionem suam faciunt Adversarii. *Num voluntati illius quis resistat?* Assumptione existente manifestâ, ut quæ ex ipsius Apostoli ore desumpta sit, probat Adversarius suæ objectionis propositionem argumento ab omnipotentiâ voluntatis Dei, sic, voluntati Dei nemo potest resistere, Ergo si Deus quot vult indurat, non succeseret induratis.

20. *Imo verò, O homo! tu quis es qui ex adverso respondas DEO?* Respondet Apostolus objectioni & in suâ hâc responsione nec retractat priorem suam conclusionem, quòd Deus quem vult indurat, nec negat antecedens

antecedens proximi Enthymematis, quòd *viz.* nemo possit Deı voluntati resistere, utrumque igitur istud ponit: Primùm, quòd induratio reproborum sit ex Deı voluntate, & deinde quòs voluerit Deus indurare non poterint resistere voluntati ejus aut evitare indurationem, quo utroque posito respondet connexæ propositioni seu consequenti proximi Enthymematis, non modò negando ipsum ut falsissimum, sed insuper reprimendo blasphemum Adversarium, ut qui sic ex adverso responset Deo: Itaque hanc propositionem (Si quem vult, indurat Deus, injustè succenset indurato) non tantùm negat ut falsissimum, sed damnat blasphemiæ & responsationis adversus Deum: quam utramque & falsitatem & blasphemiam deinceps probat κατ' ὑπερβασιν, primùm blasphemiam, deinde falsitatem *Num dicet figmentum fictori, cur me tale feciſti?* Argumentum quo probat blasphemiam à simili deductum est, vel si lubet à majori; figmentum etiam in rebus humanis si fictori dicet, cur me formasti ad hunc modum, manifestum est quòd responset & blasphemè se opponat fictoris voluntati. At tu, O homo! quisquis es. Plasma es Dei & opus manuum ipsius, ille creator tuus & qui te formavit, Ergo multò magis tu Deo responsas ex adverso, & respondando blasphemus es quisquis arguis injustè, id quicquid constiterit & manifestum est quòd factum sit ex voluntate Dei: vult igitur Apostolus duo docere; Primum, quòd Dei voluntas sit omnis justitiæ regula, & deinde quòd in eâ voluntate omni creaturæ acquiescendum sit, adeo ut quicquid constiterit esse ex Dei voluntate id creatura agnoscat

agnoſcat juſtum nec ulteriorem rationem requirat, quàm quod ſit factum ex Dei voluntate.

21. *An non habet poteſtatem figulus in lutum, ut ex eâdem maſſâ faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus.* Oſtenſa jam blaſphemia reſponſationis, probat ſecundo loco falſitatem etiam illius connexi, quòd ſi quos vult indurat Deus, injuſtè ſuccenſeat induratis, & argumentum hujus probationis à minori ſumptum eſt. Figulus, vilis homo, de jure habet poteſtatem in lutum abſque omni injuſtitiæ notâ aut accuſatione, ex eâdem maſſâ facere vas aliud ad decus, aliud ad dedecus: at nos totum humanum genus lutum ſumus & minus quàm lutum in manu Dei Creatoris noſtri, nos ſiquidem ex nihilo creavit, cùm lutum prius aliquid fuerit quâm ipſum formet figulus, Ergo multò magis Deus Creator noſter poteſtatem habet in nos homines ex eodem humano genere pro liberrimâ voluntate ſuâ unum efficere vas iræ, indurando ipſum, alterum autem vas miſericordiæ, miſerendo ipſius, & utrumque abſque omni notâ & accuſatione injuſtitiæ. Aſſumptionem manifeſtam omittit, propoſitio autem *verſ.* 21. & concluſionem majori amplificatam ſubdit Apoſtolus duobus *verſibus* 22. & 23.

22. *Si verò volens DEUS oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, pertulit multâ lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum.* Amplificationis duæ partes, Prior improbos reſpicit & induratos *verſ.* hoc 22. Altera eos, quorum miſeretur Dominus: Prior ſic habet, Vaſa iræ, hoc eſt, vaſa dedecoris, quanquam coagmentata ad interitum, & ex Dei voluntate induratâ, tamen ad notam faciendam potentiam

tentiam suam (quod de *Pharaone* supra dictum est) pertulit Deus multâ lenitate & diù distulit suum in ipsos judicium etiam improbè agentes, Ergo etsi quos vult, indurat, tamen non modò non injustus est succensendo induratis, sed etiam misericors est & lenis in ipsos improbos, diù tolerando improbitatem ipsorum: Prior itaque amplificatio est à majori: non modo justissimus est Deus succensendo induratis, quos tamen ipse voluntate suâ indurat, sed etiam erga ipsos est misericors, quod probat ex effecto misericordiæ Dei, *diù perfert improbè agentes*, quos perfert Deus agentes improbè in ipsos misericors est, vel perferendo; nam tolerantia illa ex misericordiâ est, at multa lenitate & diù (hoc dicit Apostolus, ut & Dominus ante *Mat.* 5. 45.) perfert improbos agentes improbè, quod effectum misericordiæ Dei & tolerantiæ erga improbos amplificatur, primùm modo efficiendi, multa lenitate pertulit: deinde subjecto quod duobus nominibus notatur, primùm enim dicuntur vasa iræ, deinde dicuntur κατηρτισμένα coaptata seu coagmētata ad interitum, quo modo in opere coagmentantur tabulæ, & aliæ aliis invicem aptantur: priore nomine significatur odium illud, quod de *Esavo* testatum, *Mal.* 1. 3. idem commune esse omnium impiorum, omnes siquidem vasa iræ sunt, & quos odit Deus, quemadmodum citato loco de *Esavo* legimus: secundo nomine significatur prædestinatio ex odio, qua destinantur vasa iræ ad interitum, suis causis mediis efficiendum. Tertium argumentum quo amplificatur hæc Dei tolerantia est finis ultimus, perfert Deus improbos & multa lenitate ad notam faciendam potentiam suam hoc fine *Pharaonem* excitavit & diù

pertulit, Hoc eodem fine perfert vaſa iræ quæcunque: docet igitur Apoſtolus, quòd quanquam Deus ſuccenſeret & infligeret pœnam improbis nondum natis & priuſquam facerent quicquam mali, ut de *Eſavo* dicitur, quòd tum odio ſit habitus, tamen non ſolùm ſic juſtiſſimus eſſet Deus, ſed præterea, quòd in ipſos jam ſit etiam lenis & miſericors quòd naſci patiatur, & natos diù perferat agentes improbè.

23. *Et ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ quæ præparavit ad gloriam.* Altera pars concluſionis eſt ejuſque amplificatio (ut ſupra *verſ.* proximo) Electos reſpiciens qui hîc deſcribuntur tribus argumentis, Primum ab adjuncto (ſunt vaſa miſericordiæ) Deinde effecto illius miſericordiæ, quæ ipſorum προετοιμασις eſt & ante tempora præparatio: Per miſericordiam autem intelligo dilectionem illam quam de *Jacobo* pariter miſero, ac fratre *Eſavo* teſtatur Deus, *Mal.* 1. 2. quæ Dei προθεσις eſt & ευδοκια ſeu benevolus affectus voluntatis ejus, qui omnium filiorum Dei cum *Jacobo* communis eſt. Deinde per προετοιμασιν & ipſorum ab æterno præparationem intelligo prædeſtinationem ex ευδοκια & benevolo affectu voluntatis Dei, cujus finis proximus & tertium argumentum, quo hîc Electi deſcribuntur, eſt ipſorum gloria mediis ſuis cauſis perficienda quæ (inquit Apoſtolus) nempe vaſa miſericordiæ ante præparavit (ſic prima vox ſonat) ad gloriam: hoc modo hîc deſcribuntur Electi, quos reſpicit hæc altera concluſionis amplificatio, quæ ſumpta eſt à cauſâ finali ob quam ſuorum miſeretur Deus, & ob quam ad gloriam ipſos ante præparavit, hæc finalis cauſa eſt γνωρισις & notificatio

catio divitiarum gloriæ Dei ex misericordiâ, qui ultimus finis est ad quem refertur Electorum gloria, ad quam sunt ante præparati ex Dei proposito. Unde notandum dat nobis Apostolus, quòd Deus quidem in omnes longanimis & misericors sit etiam eos qui sunt vasa iræ: at in Electos & quorum miseretur, Deum non esse misericordem modò, sed divitem misericordiâ; Unde passim pii in Scripturâ Deum precantur sit ipsis misericors secundum multitudinem miserationum suarum.

24. *Quos etiam vocavit.* Hactenus duo argumenta fuerunt secundæ Apostoli responsionis ad objectionem illam, quæ prima & principalis est in hâc alterâ ἀναπεύη, ut supra notatum in fine *vers.* 5. Sequitur jam tertium argumentum ejusdem, ad quod transit in principio hujus *vers.* prolepsi & occupatione objectionis, quæ oritur ex amplificatione proximâ, *vers.* 23. in quâ dictum, quòd vasa sunt misericordiæ, hoc est, dilecti antequam fuerunt, quemadmodum *Jacob*, & ex illa dilectione ante tempora præparati seu prædestinati ad gloriam, erga quos notas facit Deus divitias suæ gloriæ ex misericordiâ, quæ utraque & dilectio & ex eâ prædestinatio cum occulta sit & in Deo reposita occasionem præbet objiciendi, sic, si salus ad γνωρίειν & notificationem divitiarum gloriæ Dei eorum duntaxat sit qui ex misericordiâ prædestinati ad gloriam & salutem illam, nullus poterit certus esse salutis suæ & quòd sit futurus illius gloriæ particeps, cum misericordia illa & prædestinatio, utraque ut dictum, occulta sit, at posterius absurdum est, quod quisque suæ salutis sit incertus; Ergo prius, concludunt adversarii, oportet fal-

ſum ſit, quod nimirum prædeſtinati ex miſericordiâ ſint quicunque futuri participes ſalutis. Huic objectioni reſpondet hîc Apoſtolus negando connexam propoſitionem, cujus negationis ratio hæc eſt, quod DEus, quoſcunque ex miſericordiâ prædeſtinavit ad gloriam, eoſdem in tempore efficaciter vocet, hæc enim ſecunda pars eſt præparationis noſtræ ad gloriam ante tempora cæptæ & prædeſtinationem ad gloriam neceſſario inſequens ſupra 8. 30. quæ cùm ſenſibilis ſit vocatis, ex eâ filii DEI certi eſſe poſſunt ac debent & prædeſtinationis antegreſſæ & gloriæ ad quam prædeſtinati ſunt: quanquam igitur ſalus nullorum ſit, niſi illorum qui ex miſericordiâ prædeſtinati, non vult tamen Apoſtolus à prædeſtinatione, quæ in DEO abſcondita eſt, incipiamus futuræ gloriæ indagationem, ſed ex vocatione, quæ ſenſibilis eſt, vult inquiramus & in ſalutem noſtram & in prædeſtinationem unde eſt ſalus, quemadmodum Apoſtolus 2*Pet.* 1. 10. ex vocationis fructibus & ſtudiis ſanctæ vitæ ipſâ vocatione notioribus & vocationem & electionem firmam facere jubet. *Nimirum nos non ſolum ex Judæis, verumetiã ex Gentibus.* Vocationem prædeſtinatorum illuſtrat Apoſtolus ſubjecto ſuo, amplificato diſtributione, quæ per comparationem majorum propoſita eſt; ſic, vocati DEI nos ſumus qui in CHRISTUM credimus (hoc ſubjectum eſt divinæ voluntatis) [*Non ſolum ex Judeis, verum etiam ex Gentibus*] ſubjecti partes hæ *Judæi* & *Gentes* per majorum comparationem propoſitæ ſunt, eſtq; hæc tertia ratio, ut jam monuimus, ſecundæ reſponſionis Apoſtoli ad principalem objectionem in hâc ἀνασκευῇ. Quæ ratio ſic habet, Populus DEI non ſunt *Iſraelitæ*

ſecundum

secundum carnem (uti vos putatis) sed nos qui in CHRISTUM credimus, & vocati DEI, sive ex *Judæis*, sive ex *Gentibus*, Ergo quanquam *Israel* secundum carnem (diceret Apostolus adversariis) salutem rejiciat, quam ego prædico, non tamen sequitur quòd non sit illa vera salutis via, cùm eam amplectatur totus populus DEI, vocati nimirum omnes ex *Judæis* & *Gentibus*.

25. *Ut etiam apud Hoseam dicit, Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum, & eam quæ dilecta non erat, dilectam.*

26. *Et erit, in loco ubi dictum fuerat eis, Non populus meus vos, illic vocabuntur filii Dei viventis.* Probat antedecens per partes suas, sed κατ' ὑστερωσιν priori enim loco probat quòd posterius fuit in distributione, nimirùm *Gentium* vocationem & quòd quicunque etiam ex *Gentibus* in CHRISTUM credunt, eos omnes esse vocatos DEI, seu ex populo ejus & vera membra ipsius Ecclesiæ: Argumentum probationis à testimonio sumptum est, eoque duplici, & utroque desumpto ex *Hoseâ* Prophetâ, quorum testimoniorum unum quidem è *Cap.* 3. 23. Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum, & eam, quæ dilecta non erat, dilectam. Alterum autem è *Cap.* 1. 10. Et erit in loco ubi dictum fuerat iis, non populus meus vos, illic vocabuntur filii DEI viventis: quod utrumque testimonium, ut in regno CHRISTI adimplendum communi omnium consensu comprobatur, & in recollectione Ecclesiæ sub ipso, sic interpres hîc Apostolus est, quòd accipiendum sit utrumque non duntaxat de recollectione *Israelitarum*, qui in transmigratione Salma-

naſeris rejecti eranr, ſed etiam *Gentium* quæ rejectæ in condendâ turri Babylonicâ, ex quibus utriſque prædicit Propheta reliquias per fidem recolligendas ſub regno CHRISTI.

27. *Eſaias autem clamat ſuper Iſrael, etiam ſi fuerit numerus filiorum Iſraelis ut arena maris, reliquiæ ſervabuntur.*

28. *Rem enim conficiet & concidet cum juſtitiâ, quoniam rem conciſam peraget Dominus in terrâ.*

29. *Et ſicut prius dixit Eſaias, niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemen, facti fuiſſemus ut Sodoma, & Gomorrhæ ſimiles facti fuiſſemus.* Probat alteram partem Antecedentis, rejectionem nempe multitudinis *Judæorum*, hoc eſt, quòd non omnes qui ex *Iſraele* ſunt, ſeu corpus & multitudo *Judæorum* ac populi *Iſraelitici* ſunt vocati DEI, membra Eccleſiæ & DEI populus, ſed duntaxat pauci illi & reliquiæ ex eo populo qui credentes erant & fidem in CHRISTUM amplexabantur: Argumentum hujus probationis ſimiliter eſt à teſtimonio duplici, utroque *Eſaiæ*, uno è *Cap.* 10. 22, 23. Altero è *Cap.* 1. 9. quod utrumque non modo de rejectione decem Tribuum diebus *Ezekiæ*, ſed etiam multitudinis *Judæorum* in Meſſiæ adventu intelligendum hîc interpres eſt Apoſtolus: ex utroque autem patet, quòd non corpus & multitudo illius populi, ſed reliquiæ duntaxat ſint vocati Dei & ipſius populus, quas reliquias niſi feciſſet Deus ex miſericordiâ ſuâ & ſecundum electionem (ut alibi loquitur & hic Apoſtolus) de toto illo populo actum fuiſſet, & *Iſrael*, ait Propheta, ut *Sodoma* & *Gomorrha* factus fuiſſet.

30. *Quid*

30. *Quid igitur dicemus? Gentes quæ non sectabantur justitiam, justitiam assequutas, justitiam autem eam quæ ex fide est.* Concludit Antecedens proximi Enthymematis, & quòd credentes, non solùm ex *Judæis*, sed etiam ex *Gentibus*, sint vocati Dei, cujus conclusionis duæ partes sunt, quemadmodum & probationis fuerunt, Priore priorem partem respicit, & ex testimoniis *Hoseæ* infert, Ergo *Gentes* apprehenderunt justitiam: quam conclusionem communicatione urget Apostolus, *Quid dicemus?* & amplificat duobus argumentis, Prius à disparato est, *Gentium* justitiam adeptarum: *Gentes* adeptæ justitiam quæ non sectabantur justitiam. Alterum amplificationis argumentum definitio est justitiæ quam sunt adeptæ *Gentes*, quam definit hîc Apostolus genere suo, est justitia, & instrumentali causâ, vel si lubet, subjecto simul & causâ instrumentali, nam fides metonymia adjuncti pro subjecto accipi hîc potest, ut passim in hoc Apostolo, pro CHRISTO fide apprehenso: justitia igitur, quam apprehenderunt *Gentes*, justitia est IESU CHRISTI fide ab ipsis apprehensi.

31. *Israelem verò, qui sectabatur Legem justitiæ, ad Legem justitiæ non pervenisse.* Altera pars conclusionis de rejectione multitudinis *Judæorum* ac populi *Israelici*. *Israel, i. e.* corpus seu multitudo illius populi non pervenit ad Legem justitiæ, quæ amplificatur diverso, quanquam sectabatur Legem justitiæ, non tamen pervenit ad Legem justitiæ. Legem justitiæ hîc intelligo Legis complementum, seu eam justitiam quam Lex postulat, nam ad Legem pervenire dicitur qui eam implet.

32. *Quare?*

32. *Quare? quia non ex fide, sed velut ex operibus Legis.* Ratio posterioris conclusionis & cur *Israel* non pervenit ad Legem justitiæ, à disparato *Israelis*. *Israel* non sectabatur justitiam ex fide, quod diverso amplificatur, sed ex operibus Legis, & addit Apostolus ὡς quasi ex Legis operibus, quæ qui præstiterant ut justificarentur, iis non erant illà verè Legis opera, sed fructus duntaxat hypocrisios suæ, quod testatur Dominus, *Matth.* 23. Scribas & Pharisæos his operibus gloriantes hypocrisios insimulans: Opera siquidem Legis nulla sunt, nisi quæ Legi sunt omnino conformia, cujusmodi in nullâ carne, Propheta teste, *Psal.* 143. reperiri queunt, si CHRISTUM exceperis; quia tamen *Judæi* his suæ hypocriseos fructibus, tanquam Legis operibus, non autem ex fide justitiam quęsiverant, ideo non pervenerunt ad Legem justitiæ seu Justitiam illam quæ Lege comprobatur. Vult igitur hîc Apostolus nos tria docere. Primùm, quòd nulla sunt opera præparatoria, ut Papistæ loquuntur: *Gentes* enim apprehenderunt justitiam dum non sequerentur. 2. Quòd meritum nostrorum operum nil juvet ad justitiam, nam *Israel* ex operibus justitiam quærens non assequitur eam. 3. Quòd qui fide apprehenderunt CHRISTUM, in CHRISTO habent justitiam quam postulat Lex: ideo enim *Israel* non pervenit ad Legem Justitiæ, quia non sectabatur Justitiam ex fide, ut *Gentes* quæ crediderunt, eamque Lege approbatam, ut supra dixit Apostolus [*Offenderunt enim ad lapidem offendiculi*] Ratio incredulitatis *Israelitarum* ab ipsorum effecto (impegerunt in CHRISTUM) sic igitur arguit Apostolus. Quisquis in Christum impingit, non

potest

potest ex fide justitiam quærere, nam hæc adversa sunt in Christum credere & in ipsum impingere. Atqui *Israelitæ* impegerunt. Ergo.

33. *Quemadmodum scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offendiculi & petram offensionis.* Cum proximo *vers.* vocaret Iesum Christum, in quem *Israelitæ* impegerunt, lapidem offendiculi, hoc *vers.* qui Capitis ultimus est, probat veteris Scripturæ testimonio & Christum esse prædictum lapidem offendiculi, & fore in ipsum *Israelitæ* impingerent: Ecce pono in Sion (ait Dominus de Christo) lapidem offendiculi & petram offensionis, en offendiculi lapis Christus prædicatur futurus, idque & *Israelitis* & *Judæis*, tum quod de ipsis loquatur Propheta, *Esa.* 8. 14. Tum quod dicatur hic lapis offendiculi in Sione ponendus, quæ visibilis Ecclesia est, *Esa.* 28. 16. Lapis autem offendiculi dicitur Iesus Christus, non quod scandala præbeat aut offensionem cuiquam, nam quanquam ab ædificantibus etiam sæpè rejiciatur, *Ps.* 118. 22. *Mat.* 21. 24. est tamen pretiosus ille & electus lapis, qui factus est in caput anguli, *Act.* 4. 11. & 1 *Pet.* 2. 6. sed lapis offendiculi vocatur, quod cruce ejus offendantur multi, & de ipso non ab ipso datum accipiant scandalum, quod ut hîc doceret nos Apostolus subdit. *Quisquis credit in eum, non pudefiet.* Quibus verbis è Prophetâ citatis Apostolus vult quatuor nos docere. 1. Quod in hunc lapidem, quem & rejiciunt ædificantes, & quo offenditur utraque domus *Israel*, credendum tamen sit omnibus, qui verè sunt Sionis incolæ & vera membra Ecclesiæ Dei. 2. Quod credentes in eum non erunt frustrati spe, nec pudefient, sed

ſed certo aſſequentur ſalutem illam, quam ex ipſo expectant. 3. Quòd ſalus iſta, quanquam certa, tamen per patientiam ſanctè expectanda ſit, & ut Propheta loquitur, non feſtinandum credentibus, nec arripienda quævis media liberationis cum tranſgreſſione aut illegittima. Unde 4. ſequitur quòd de lapide hoc dicitur, quod verè pretioſus ſit & DEO electus: adeoque rupes illa cui quicunque ſuperſtructi per fidem iis nunquam prævalebunt inferorum portæ.

Caput decimum.

Fratres, propenſa quidem voluntas cordis mei & deprecatio ad Deum ſuper Iſrael eſt ad ſalutem. Hactenus & ſuperiori *Cap.* tria fuerunt, nunc ſequitur quartum & ultimum argumentum ſecundæ reſponſionis Apoſtoli ad primam & principalem objectionem; ſic, totus Iſrael recolligendus eſt, & quam nunc rejicit Juſtitiam ac ſalutem per IESUM CHRISTUM, futurum eſt aliquando recipiat & amplectatur eam: Ergo quanquam jam rejiciat, non tamen hinc ſequitur non eſſe veram ſalutis viam, quam prædico per fidem in IESUM CHRISTUM (vide ſupra annotata ad finem *verſ.* 5. *Cap.* 9.) Argumentum hoc ſumptum ab adjunctâ recollectione futurâ, vel, ſi lubet, effecto *Iſraelitarum* in recipiendo aliquando fidem: & Enthymematis hujus antecedens multò poſt ſequitur *Cap.* 11. 26.

11. 26. (totus *Israel* servabitur) cui Antecedenti confirmando ut insigni quidem mysterio futuro in Christianâ Ecclesiâ, quemadmodum *Gentium* vocatio mysterium fuit in Ecclesiâ *Judæorum*, immoratur Apostolus à principio *Cap.* 10. ad *vers.* 33. *Cap.* 11. Cujus confirmationis argumenta sex sunt, quorum primum sumptum est ab adjunctâ deprecatione Apostoli quâ deprecatur judicium ἀποστασίας præsentis, & precatur pro *Israel:* ut ipse recolligatur ad salutem in Christo: Argumentum sic habet, ad quorum judicia deprecandum, & pro quorum salute precandum dat Deus suis Sanctis propensam voluntatem, eorum judicia removenda sunt & ipsi futuri sunt participes salutis Dei, at dat Deus mihi propensam voluntatem (ait Apostolus) ad precandum & deprecandum pro *Israele, Israelis* igitur judicium præsens & apostasia removenda & ipse tandem erit particeps salutis Dei: Assumptio est primo *vers.* hujus *Cap.* (propensa est voluntas cordis mei, dicit Apostolus, & deprecatio ad *Deum* super *Israel* ad salutem) Propositio autem omissa est ut manifesta, & quæ huic nititur fundamento supra 8. 26, 27. (Itidem & Spiritus una Sublevat infirmitates nostras, *&c.*) Unde constat quòd donum precandi à Deo sit, quemadmodum gratia quam precibus petimus. & proinde quòd doni precandi præmium sit gratia postulata, & certissimum argumentum est ipsius à Domino suo tempore dandæ, id quod aperte docet nos Dominus ipse, *Math.* 7. 7. & sequentibus ad 12.

2. *Testor enim de ipsis, eos zelum DEI habere.* Ratio redditur assumptionis & cur *Paulus* pro *Israele* precetur ab adjuncto, quod est zelus Dei qui confirmatur

matur Apoſtoli teſtimonio [*Teſtor de ipſis, eos zelum Dei habere.*] Eſt autem zelus affectio hominis compoſita ex amore & irâ, quòd dum bonum diligimus & quicquid nociturum videtur, aut amatum bonum nobis præripturum; huic tanquam malo ex amore boni adamati iraſcimur, & incendimur irâ ex magnitudine amoris, hæc ira in malum ex amore boni, aut amor boni incenſus ex odio mali zelus appellatur. Zelus igitur DEI dicitur quo ita afficimur amore & deſiderio cultus ac gloriæ DEI, ut quicquid ei cultui ac gloriæ DEI obeſſe videtur, aut DEUM nobis præripturum vel cultum ipſius, nos ei infenſè iraſcamur et habeamus odio ex amore in DEUM & cultum ipſius: teſtatur ergo hîc Apoſtolus de *Iſraelitis* eos, DEUM & DEI gloriam impenſè diligere & ita ut inſigni odio ferantur in id quicquid DEUM ipſis præripturum videretur aut ejus cultui nociturum. *Sed non ex notitiâ.* Illuſtrat zelum populi *Iſraelici* diverſo, zelum DEI habent, ſed non ex notitiâ: quod non ſic intelligendum eſt, quaſi non intelligerent *Iſraelitæ* aut puræ negationis ignorantia tenerentur illius cujus zelo afficiebantur, quo modo Papiſtæ hodiè devotionem ſuam ſuperſtruunt ignorantiæ & implicitæ fidei, ſciebant enim *Iſraelitæ* traditiones quas à patribus acceperant, & converſatione ſecundum eas zelo afficiebantur, *Math.* 15. 3. *Gal.* 1. 14. ſed quemadmodum converſatio illa vana fuit, ut eam Apoſtolus appellat 1 *Pet.* 1. 18. ita traditionum earum, ſecundum quas vivebant notitiam hîc Apoſtolus ignorantiam ducit, propterea quòd notitia cultus DEI vera nititur ſacro-ſancto DEI verbo duntaxat adeo ut notitia quam *Iſraeli* hic negat Apoſtolus

stolus, sit Verbi DEI & & voluntatis ipsius in Verbo scripto revelatæ, quanquam enim Verbum DEI habebant (illis enim concredita sunt DEI oracula) & voluntatem DEI de suo cultu & hominis justitiâ revelatam, non tamen vel Verbum vel DEI voluntatem Verbo revelatam intelligebant, vel populus, vel doctores ipsi: unde CHRISTUS in Euangelio multoties & vocat ipsos & convincit cæcos duces, qui nec ipsi introirent, propter ignorantiam, nec alios introire paterentur in regnum Cœlorum, Sic *Nicodemus*, Doctor in *Israele*, dum à CHRISTO instituitur, ignarus est novi partûs & παλιγγενησιας, qui ipse introitus est in regnum Cœlorum, *Ioan.* 3. & Pharisæi reliqui *Math.* 22. quanquam scirent ex Verbo CHRISTUM illum *Davidis* futurum & filium & Dominum, quo modo tamen & filius & Dominus esse posset, ignorabant, sicuti hoc loco studium *Israelitarum* in constituendâ ipsorum Justitiâ quæ est ex Legis operibus, Apostolus imputat ignorantiæ Justitiæ DEI: hîc itaq; Apostolus tribuit *Israelitis* zelum DEI, sed superstructum ignorantiæ pravæ dispositionis, ut dici solet, hoc est, non verbo DEI, quòd, ut dictum, ignorabant, sed patrum traditionibus, errorum plenis, quas tamen & sciebant, & sequebantur zelo; hæc fuit *Pauli* conditio antequam vocaretur per IESUM CHRISTUM, *Gal.* 1. 14. *Phil.* 3. 6. & hanc hoc loco testatur *Paulus* reliquorum *Israelitarum* adhuc CHRISTO contradicentium conditionem fuisse, cujusmodi hominum conditio (suo hîc exemplo docet nos Apostolus) miseranda magis est, quàm insectanda odio, ideoque ex sanctâ commiseratione hujus conditionis, testatur se DEI Spiritu motum

motum ad fundendas preces DEO pro ipſis ſic zelo DEI affectis, ut ignorantia veritatis DEI ἀποσασίας ſuæ judicio liberarentur.

3. *Nam ignorantes Dei juſtitiam, & propriam juſtitiam ſtudentes conſtituere, juſtitiæ Dei non fuerunt ſubjecti.* Probat poſteriorem partem diverſorum & zelum DEI in *Iſraelitis* non eſſe ex notitiâ, Argumenta probationis tria ſunt. 1. Hîc. 2. In *verſ.* 5. 3. In *verſ.* 14. Primum autem argumentum a ſubjecto eſt ſeu objecto zeli illius, qui eſt ex notitiâ, eſt zelus juſtitiæ DEI, cui DEI juſtitiæ diſparatum eſt zelus *Iſraelitarum*, [*habentes zelum DEI*] Sic igitur arguit Apoſtolus, Zelus Dei ex notitiâ Juſtitiæ Dei ſubjectus eſt: at *Iſraelitæ*, zelum Dei habentes, non ſubjiciuntur Juſtitiæ Dei, quare zelus Dei in *Iſraelitis* non eſt ex notitiâ; Propoſitio Syllogiſmi ut manifeſta omittitur, Aſſumptio eſt in fine *verſ.* 3. illuſtrata ſuis cauſis, quæ duæ adferuntur, verbis hujus *verſ.* præcedentibus, quarum prior eſt ignorantia Juſtitiæ Dei, altera ſtudium propriæ ipſorum juſtitiæ, quia enim ignari ſunt Juſtitiæ Dei, & propriæ juſtitiæ ſtudioſi, ideo *Iſraelitæ* zelum Dei habentes non ſunt tamen ſubjecti Juſtitiæ Dei: Juſtitiam autem Dei hoc loco intelligo eandem illam quæ ſupra definita *Cap.* 3. 22. & ſubjectionem, quâ huic Juſtitiæ Dei ſubjicimur expono ex Apoſtolo 2*Cor.* 10. 4. illam eſſe quâ evertitur in nobis omnis ratiocinatio omniſque ſublimitas, quæ ſeſe extollit adverſus cognitionem Dei, adeo ut in captivitatem redigatur omnis in nobis cogitatio, ad obediendum IESU CHRISTO: Unde contra non ſubjici Juſtitiæ Dei, eſt ratiocinatione ſuâ ſeſe extollere adverſus cognitionem

Dei,

Dei, & fiduciâ Justitiæ suæ, in CHRISTUM & Justitiam Dei in eo insurgere: cujus contumaciæ Apostolus hîc *Israelitas* insimulat, eamque ex ignorantiâ Justitiæ Dei primùm, deinde ex studio & zelo propriæ ipsorum justitiæ, tanquam causis deducit, & justitiæ ipsorum propriæ meminit, non quòd aliqua vel sit vel esse possit ipsorum propria justitia, sed propriam hîc vocat ad quam (tametsi frustra) propriis illi viribus adnitebantur: Hinc igitur vult nos Apostolus duo docere, Unum, quòd nullus nescius Justitiæ Dei, Dei Justitiæ subjiciatur, adeo ut, contra quàm Papistæ docent, notitia sit necessaria ad fidem & obedientiam præstandam CHRISTO: Alterum, quod suæ justitiæ renunciandum sit omnibus se CHRISTO subjicientibus, adeo ut meritum hominis seu studium nostræ justitiæ & CHRISTUS seu Justitia Dei in eo sint ἀσυσατα & hujusmodi quæ nequeunt consistere.

4. *Nam finis Legis est Christus.* Probat proximam assumptionem & quòd *Israelitæ* Justitiæ Dei non se subjiciant, argumentum ducitur à primo & principali subjecto Justitię Dei, quod est Iesus Christus: quisquis est subjectus Justitiæ Dei idem etiam subjectus est Christo Iesu, at *Israel* CHRISTO non subjecit sese, Ergo nec Justitiæ Dei subjectus est, Assumptio manifesta est vel ipsis opponentibus: Propositionem autem probat Apostolus, nempe quòd quisquis Justitiæ Dei subjectus, idem sit in Christo, seu Christo subjectus: Argumentum probationis à descriptione Christi est, in hunc modum: Christus est finis Legis, vel quod idem est, Justitia illa Dei Lege comprobata, Ergo quisquis Justitiæ Dei subjectus, idem in Christo est

&

& ſubjectus ipſi, Antecedens in principio *verſ.* 4. & conſequentia manifeſta, nam cum Chriſtus finis Legis ſit duobus modis, Primùm, quod Lex, quaſi Pædagogus noſter, *Gal.* 3. 24. nos ducat ad Chriſtum, ut per fidem in ipſum juſtificemur, Deinde quòd Chriſtus Legem impleverit noſtro nomine, & Juſtitia noſtra factus ſit, 1*Cor.* 1. 30. Sequitur quòd quiſquis Juſtitiæ Dei ſubjectus omnem ſuam ratiocinationem, omnem cogitationem renunciato merito ſuorum operum ei ſubjicit; idem etiam in Chriſto ſit & ipſi ſubjectus [*ad juſtitiam cuivis credenti*] Proximam deſcriptionem Chriſti, & quâ dicitur finis Legis, ſuo fine explicat, & finem deinde illum ſuo ſubjecto, Chriſtus eſt finis Legis ad Juſtitiam, *i. e.* ut juſtitiam ſuâ Legis præſtatione comparatam nobis communicet, ut ipſi nos illâ induti coram DEO juſti ſumus (hic finis eſt) Et hæc juſtitia deinde dicitur eſſe quorumvis credentium ſive *Judæi* fuerint ſive è *Gentibus*, quod ſubjectum eſt illius juſtitiæ ut ſupra obſervatum, *Cap.* 3. 22.

5. *Moſes enim deſcribit juſtitiam quæ eſt ex Lege, quòd qui præſtiterit ea, vivet per illa.* Secundum argumentum eſt quo probat Apoſtolus poſteriorem partem diverſorum & quòd *Iſraelitarum* zelus non ſit ex notitiâ. Argumentum ſic habet, *Moſes* teſtis eſt juſtitiam ex Lege impoſſibilem eſſe nec homini comparabilem, Juſtitiam autem fidei facilem eſſe & in propinquo, Ergo *Iſraelitarum* zelus, qui zelus Legis eſt non autem juſtitiæ fidei, non eſt ex notitiâ, ſed ex ignorantiâ etiam ipſius *Moſis* quo gloriantur: Antecedens hoc deſideratum per partes probatur ex deſcriptione utriuſque juſtitiæ: primùm difficultatem adeoq;

impoſſibilitatem

impossibilitatem Justitiæ Legis ostendit Apostolus ex descriptione justitiæ Legis hoc *vers.* 5. quæ descriptio ex *Mose* deducta est, *Deut.* 30. 12. & *Lev.* 18. 5. quæ hæc est, Quisquis præstiterit ea, nempe Præcepta Dei seu Legis ipsius, is vivet per illa, quâ descriptione ostenditur quòd nisi præstantibus Legem & quidem perfectè, adeo ut in omnibus permanserint quæ scripta sunt in Libro Legis, *Deut.* 27. 26. nulla ex Lege sit vel justitia vel vita. Unde ratiocinatur Apostolus, nulla vel justita vel vita ex Lege, nisi Legem omninò & perfectè præstantibus (hæc enim ex *Mose* est justitiæ Legis descriptio) cui assumit Apostolus: at nullus hominum præstiterit ea quæ scripta sunt in Libro Legis, quod sciverunt etiam *Judæi* ipsi, qui ideo sacrificia pro peccatis offerebant, *Galat.* 2. 15, 16. Unde conclusio, justitia igitur ex Lege impossibilis est & quæ nequit acquiri.

6. *Atqui ex fide est justitia ita dicit, ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in Cœlum? hoc est, Christum ex alto deducere.*

7. *Aut quis descendet in abyssum, hoc est, Christum ex mortuis reducere.* Probat alteram partem antecedentis & facilitatem justitiæ fidei, cujus probationis argumentum similiter sumptum est ex *Mosaicâ* descriptione illius justitiæ, quæ diversis constat, quorum pars prior & ἀρχὴ: *vers.* his 6. & 7. continetur, pars autem posterior principio *vers.* 8. cum insequentibus. His igitur duobus *vers.* Apostolus *Mosis* testimonio gemina difficultate liberat eum quicunque quærit ex fide justitiam. Priore difficultate liberat cum ait, ne cogitet in Cœlum ascendere, *vers.* 6. & ab alterâ difficultate liberatio est hæc, non est quod cogitet in abyssum de-

scendere

ſcendere, *verſ.* 7. quæ utraque ſuo fine illuſtratur, prior quidem & in Cœlum aſcenſus hoc fine, ut CHRISTUM deducat, altera autem & in abyſſum deſcenſus, ut IESUM CHRISTUM reducat à mortuis (ita enim in *Moſen* commentatur Apoſtolus & ipſum explicat) nimirùm quòd ſi ut fide juſtificemur eſſet in Cœlum aſcendendum, id fieret hoc fine ut IESUM CHRISTUM inde deduceret ſumpturum denuo carnem noſtram, & in carne morituram, aut ſi eidem deſcendendum eſſet in abyſſum, id faceret ut Chriſtum ex mortuis reduceret, quo utroque & aſcendendi & deſcendendi tædio ſimul cum fine utriuſque oſtendit Apoſtolus ex *Moſe* levatos eſſe eos omnes quicunque ex fide juſtitiam quærunt, ſiquidem DEUS ſine nobis aut noſtro vel aſcenſu vel deſcenſu nobis præſtitit utrumque & Chriſtum miſit cœlitus tempore ſuo *Gal.* 4.4. & mortuum pro peccatis noſtris à morte reduxit & reſuſcitavit, ut nos per fidem in eum juſtificemur: hoc ut planum fiat, per deductionem Chriſti ex Cœlo hoc loco intelligo miſſionem filii in carnem, ipſiuſque in carne aſſumptâ mortem pro remiſſione peccatorum noſtrorum ſupra 4. ult. Deinde reductionem, ex mortuis reſurrectionem CHRISTI intelligo & omnem ipſius inſequutam gloriam propter noſtri, ut ibi dicitur, juſtificationem: utrumq; autem hoc & Chriſtum deſcendere & ex mortuis reſurgere neceſſarium eſt ad fidei juſtitiam, quemadmodum Legis perfecta præſtatio ad Juſtitiam Legis neceſſaria eſt, ſed iſthic diſcrimen eſſe docet ex *Moſe* Apoſtolus, quòd qui ex fide juſtitiam quærit levetur his difficultatibus, adeo ut nec Chriſtum jam deducendum cœlitus nec reducendum à mortuis habeat, cùm contra qui ex Lege Juſtitiam

tiam quærit illi ipsi incumbat tota difficultas illius justitiæ, adeo ut vel planè ei sit præstanda Lex è propriis ipsius viribus vel nulla ipsi ex Lege sit futura justitia; quæ igitur supereſt quærentibus ex Lege Justitiam difficultas, ea tollitur quærentibus justitiam ex fide, DEUS enim ex suâ in solidum misericordiâ sine ipsis sustulit omnem difficultatem ipsis ipsius Justitiæ, dùm & Christum sine ipsis cœlitus misit, & ex mortuis reduxit.

8. *Sed quid dicit? Prope te Verbum est, in ore tuo & in corde tuo.* Altera pars diversorum est & thesis seu *veri* descriptio Justitiæ fidei, quæ est hæc quòd quisquis habet Verbum in ore & in corde is justus est & fide justificatus vivet, quæ descriptio hîc dialogismo proposita est: Primùm enim quærit Apostolus quid dicat *Moses* de fidei Justitiâ, *i. e.* quo modo & quibus verbis describat illam justitiam: Deinde, consentientibus quasi adversariis, responsionem subjicit, quòd *Moses* dicat de fidei justitiâ tibi, quicunque quæris fide justitiam, quòd prope te Verbum est in ore & in corde tuo, quasi dicat, Si verbum habes in ore & in corde, fide justus es & vives, vives fide: Sic igitur probat Apostolus posteriorem partem antecedentis, si Jesus Christus cœlitùs missus à Patre & pro nobis mortuus & ex mortuis resuscitatus est, gratis ita & absque nostra opera, ut quisquis Verbum habet in corde & in ore, is justificatus per ipsum servandus sit, sequitur quòd Justitia fidei non sit ut Legis Justitia impossibilis, sed gratis parta & in propinquo quærentibus: (Propositio hæc ut manifesta omittitur) At prius verum: Assumptio hæc his tribus *vers.* 6, 7, 8 Unde sequitur conclusio posterius verum esse, & fidei justitiam in pro-

pinquo eſſe & gratis partam omnibus credentibus & ex fide quærentibus juſtitiam ac vitam: ſic licet hujus loci argumentum colligere; vel ſi lubet ſic brevius, omiſſa nimirùm ἀρνσει ac priore parte diverſorum, ſi quiſquis Verbum habet in ore & in corde, is fide juſtificatur, Juſtitia fidei in propinquo eſt & per gratiam facilis: at prius verum, verum igitur eſt poſterius. *Hoc eſt Verbum illud fidei quod prædicamus.* Explicat proximam partem diverſorum & θεσιν deſcriptionem Juſtitiæ fidei, cujus explicationis duæ partes ſunt, Primùm enim docet quodnam ſit Verbum hoc, de quo *Moſes* loquitur, in parte reliquâ hujus *verſ.* 8. Deindè quid ſit habere Verbum hoc in ore & in corde, *verſ.* 9. Quod ad prius, Verbum deſcribitur ſubjecto ſuo & inſtrumentali cauſâ, ſubjectum eſt fides in Chriſtum fide apprehenſum, niſi mavis fidem propriè accipere ut deſcriptio petatur ab effecto verbi; cujus inſtrumentales cauſæ ſunt Apoſtoli Chriſti ipſum prædicantes; Hoc verbum, ait Apoſtolus, de quo *Moſes* loquitur; eſt verbum fidei, quod nos Apoſtoli prædicamus, ita prolepticè Apoſtolus præoccupat quod objecturi eſſent adverſarii, nimirùm loqui *Moſen* in illo loco *Deut.* 30. 12, 13. citato de verbo Legis, non autem de Euangelio ſeu verbo fidei, quibus reſpondet per contradictionem Apoſtolus, Euangelium eſſe & verbum fidei non Legis de quo *Moſes* loquitur, quo modo antè Apoſtolum *Jeremias* Propheta *Cap.* 31. 31. *&c. Moſen* interpretatus eſt, ubi docet Propheta quod verbum hoc cordi inſcribendum, de quo *Moſes* loquitur, ſit verbum novi fœderis ſeu Euangelii poſtremis diebus revelandi, non autem Legis vel Fœderis Operum, quod violarunt

Iſraelita

Israelitæ, & quod verbum fuit in lapidibus olim scriptum, non autem in tabulis cordis carneis.

9. *Nempe quod si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus eum excitavit à mortuis, servaberis.* Pars reliqua explicationis, cujus rursus sunt duo membra κατ' ὑπόστασιν proposita, nam habere verbum fidei in ore, quod ordine posterius est, exponitur priori loco; Primùm igitur habere verbum Euangelii in ore, est ore, ait Apostolus, confiteri IESUM CHRISTUM esse Dominum, Deinde habere hoc verbum in corde, est credere quòd DEUS eum excitavit à mortuis, seu quòd mortuus pro peccatis nostris sit excitatus pro justitiâ nostrâ ut supra 4.ult. Sic enim accipio hîc synecdochicè sub resurrectione *Christi* totum redemptionis opus intelligendum, & consultò quidem resurrectionis meminit, quia diebus Apostolorum nil æquè agitatum de IESU CHRISTO ac ipsius à mortuis resurrectio: habere itaque verbum fidei in corde est in CHRISTUM credere, & in ore habere, est profiteri fidem, quam utramque & fidem & professionem illustrat Apostolus suo subjecto ad quod seu objecto, & fine seu effecto; subjectum fidei est resuscitatio IESU CHRISTI ex mortuis, *i. e.* ipse IESUS CHRISTUS & opus nostræ Redemptionis in ipso qui mortuus fuit & resuscitatus, subjectum autem professionis est IESU CHRISTI in nos dominium, & aliud quàm in cæteras creaturas propter opus illud Redemptionis nostræ, effectum suâ morte, & in sæcula glorioſum, Denique effectum commune utriusque & fidei & confessionis est salus, servaberis (ait Apostolus): quæ salus etiam præsupponit justitiam.

10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ratio expositionis sumpta à proprio subjecto in quo, & fine seu effecto, Primùm fidei, deinde confessionis seu professionis, sic, corde creditur seu fides in corde, quare CHRISTUM in corde habere, est in Christum credere à mortuis excitatum: similitèr, confessio oris est, seu os est quo confitemur Christum & confessionis subjectum in quo, quare Christum in ore habere est Christum Iesum confiteri Dominum, utramque Apostolus & fidem in corde & in ore confessionem suo fine seu effecto illustrat: corde enim creditur ad justitiam, seu justitia vel nostri justificatio finis est & effectus fidei in corde nostro, quemadmodum salus finis confessionis est, salutem autem confessionis finem & effectum vocat non quòd non sit etiam effectus fidei, sed ut doceat nos Apostolus quòd quicunque in CHRISTUM credunt necesse sit etiam ipsum profiteantur, ut per ipsum fiant ejus salutis participes, adeo ut non sit satis quòd quispiam se dicat in CHRISTUM credere, si denegat interea confessionem, maximè tum, cùm exigitur fidei ratio, & vocat DEUS ad confessionem, vel cum mortis periculo, & jactura omnium quæ in vitâ habemus: qui enim (ait Dominus *Math.* 16. 25.) vitam servare vult mutando fidem & renuendo profiteri Christum, is me indignus, & amittet vitam: ob hanc igitùr causam Apostolus urget cum fide professionem in omnibus servandis, ut itidem *Petrus*, 1 *Pet.* 3. 15. hæc siquidem professio est sigillum quo in conspectu mundi signamur Domino, & est nomen DEI scriptum in frontibus nostris quòd

vel

vel in mediis persecutionibus ab omnibus legendum, *Apoc.* 7. 3. & 14. 1.

11. *Dicit enim Scriptura, Quisquis credit in eum, non pudefiet.* Probat adducto Scripturæ testimonio, *Esa.* 28. 16. rationem proximè illatam, quòd nimirùm etiam fidei quæ in corde jungenda sit confessio oris, & quòd ore sit confessio ad salutem, seu quòd certa salus sit eorum omnium qui ex fide confitentur Iesum Dominum, nam verbo isto, [*Non pudefiet*] duo intelliguntur. 1. Officium credentis. 2. Gratia perseverantis in officio fidei. Officium credentis est absque pudore profiteri spem, & Dominum suæ spei Iesum Christum, prout in Euangelio revelatus est, non me pudet (ait Apostolus) Evangelii CHRISTI supra 1. 16. Gratia autem permanentis in fidei officio est non pudefieri aut frustrari spe, spes autem non pudefacit supra 5. 5. Dicitur idcirco is non pudefieri quem nec pudet Domini Iesu nec pudore afficitur ob spem positam in ipso: Sic igitur ex Prophetâ arguit Apostolus. Quisquis verè credit in Iesum Christum is non pudefiet, *i. e.* nec ipsum pudebit profiteri Dominum, nec spes pudefaciet profitentem. Ergo & fidem sequitur oris confessio, & certa est salus omnium qui ex fide profitentur.

12. *Non enim est distinctio vel Judæi vel Græci.* Quia Scripturam veterem citando exposuit Apostolus docuitque quòd indefinitè à Prophetâ adfertur (qui credit *Esa.* 28. 16.) id universaliter accipiendum, & sensum esse, quisquis credit in eum: ideò expositionem suam confirmat probatque universaliter intelligendum prophetam: Argumentum est à remotâ distinctione,

vel

vel, ut alibi loquitur, à diruto septo intergerini parietis, quo sub Lege distinguebantur *Judæi* & *Gentes*, & quod jam nullum est in regno CHRISTI, Unde sic arguit Apostolus. Nulla jam sub regno Christi distinctio est, vel *Judæi* vel *Græci*, sed uterque idem est in Christo Iesu: Hoc Antecedens in Textu est, Unde conclusio, Ergo quod de gratiâ credentium olim dictum, id quorumvis jam credentium commune est, quisquis credit in eum non pudefiet: *Nam idem Dominus omnium*. Probat proximum antecedens, quòd nulla distinctio *Judæi* vel *Græci*: Argumenta probationis duo sunt: Prius à communi Domino est, qui enim sub Lege, *Israelitarum* Deus & Dominus ex fœdere mutuo, jam idem Dominus omnium est sub regno Christi, siquidem jam & in Christi regno, uti dicitur in *Apoc.* 12. 10. facta est salus & virtus & regnum DEI nostri [*Dives in quosvis*] Alterum argumentum ab abundantiâ gratiæ Dei, quæ jam in regno Christi communiter effusa est in omnes & *Judæos* & *Gentes*; DEUS in omnes & *Judæos* & *Græcos* dives est misericordiâ, Ergo quisquis in eum credit non pudefiet [*à quibus invocatur*] Epanorthosis est proximi Antecedentis, quâ docet Apostolus divitias illas misericordiæ DEI in omnes, non ad singulos tamen generum, sed ad genera singulorum, hoc est, ad Electos ex omnibus tum *Judæis* tum *Gentibus* pertinere, qui hîc describuntur effecto, invocatione nominis DEI, DEUS in omnes misericordiâ dives est, sed omnes hos intelligo Electos tantùm ex omnibus, & eos quicunque ipsum invocant, sive ex *Judæis*, sive ex *Gentibus* fuerint.

13. *Quisquis enim invocaverit nomen Domini,*

servabitur

servabitur. Proximi Antecedentis confirmatio à *Joelis* testimonio, *Cap.* 2. 32. Unde notandum, quòd confessionis illius ex fide, & quâ verbum Dei est in ore ad salutem, invocatio Nominis Dei pars sit, & quasi species; adeo ut qui credunt in Iesum Christum eorum sit officium saluti prævium confiteri Dominum & Domino confiteri: Dominum confitemur dùm coram hominibus rationem reddimus fidei nostræ, & profitemur Iesum Dominum secundum veritatem quæ in ipso est: Domino autem confitemur omnimodâ invocatione, & celebratione Nominis Dei, in quâ duplici confessione credentium, quâ Dominum & Domino confitentur. elucet ille zelus Dei qui est ex notitiâ.

14. *Quomodo igitur invocabunt eum in quem non crediderint? quomodo autem credent ei de quo non audierint? quomodo autem audient absque Prædicante.*

15. *Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint?* Tertium argumentum est quo probat Apostolus *Israelitarum* zelum non esse ex notitiâ, ad quod argumentum transiit proximâ Epanorthosi & Prophetæ testimonio de salute certâ omnium invocantium nomen Dei: sumptum autem est hoc tertium argumentum partim ab adjunctâ missione seu internâ vocatione Apostolorum, partim ab effecto *Israelitarum* in rejiciendis Apostolis cum prædicatione ipsorum. Sit igitur ratiocinatur Apostolus, Quicunque Apostolos & homines à Deo missos ad prædicandum Euangelium seu Verbum fidei rejiciunt, ii quanquam Deum invocent & zelum habeant, non est tamen ille zelus ex notitiâ: At nos à Deo missi sumus; & nos missos â Deo

Israelitæ

Israelitæ rejiciunt, etsi igitur *Israelitæ* zelum DEI habeant, non est tamen ille eorum zelus ex notitiâ: Propositionem hujus Syllogismi desideratam, probat Apostolus ab adjunctâ necessitate missionis seu internæ vocationis prædicantium, quam demonstrat *vers.* 14. & principio *vers.* 15. per Analysin effectorum in suas causas necessarias, eamque quinque gradum: Primum effectum est invocatio, quam ex proximo testimonio evicit Apostolus saluti præviam necessariò: Hinc igitur sic Sorite seu prosyllogismo graduum ratiocinatur, non est invocatio absque fide, non est fides absque auditu, non est auditus absque prædicante, nec est qui prædicet absque missione. A primo igitur ad ultimum, invocatio ad salutem nulla est, nisi missi fuerint, qui prædicent Verbum fidei, quare quisquis rejicit Apostolos & eos quos DEUS mittit ad prædicandum verbum fidei, eorum invocatio nulla invocatio est, & quanquam zelum habent, non tamen habent ex notitiâ: Ex hâc effectorum & causarum catenâ Apostolus vult nos tria docere. 1. Quòd incredulorum invocatio & zelus, quanquam maximam exhibeant devotionis speciem, omnis tamē nil nisi inanis ostentatio sit, nulla vel invocatio vel verus zelus, quia invocatio ad salutem propria est credentium. 2. Quòd nulla sit fides ordinariè sine verbo, nam de ordinariâ administratione *Dei* hîc agitur, nec alligat aut astringit extrordinariam DEI operationem ordinariis mediis, qualis est missio prædicantium & auditio Verbi prædicati; adeo ut fides, vel superstructa traditionibus sine Verbo, vel quæ eorum est qui contemnant prædicationem, ea nulla fides sit. 3. Quòd ante omnia attendenda sit DEI missio & interna vocatio

tio ei qui, ut Apostolus loquitur, episcopatum appetat, aut sese accommodet prædicando verbo fidei, siquidem nemo prædicabit, ut oportet, nisi missus à DEO fuerit & internè vocatus. *Sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona!* Sequitur assumptio reliquo *vers.* 15. & toto 16. cujus duæ sunt partes: Prior est, nos Apostoli sumus missi à DEO ad prædicandum verbum fidei; Altera, nobis missis ad prædicandum Euangelium non credunt *Israelitæ*, sed nos rejiciunt: Priorem partem ipsam quidem omissam, probat hîc Apostolus Prophetæ testimonio de mittendis Apostolis prædicaturis Euangegelium, & eorum non nisi ab Electis acceptatione, quibus Electis, quanquam mundus pereuntium ipsos rejicit, prædicit tamen hîc Propheta expectatos à DEO venturos præcones Euangelii, ut ipsis ipsorum pedes specioli sint.

16. *Sed non omnes auscultarunt Euangelio. Esaias enim dicit, Domine, quis credidit sermoni nostro?* Altera pars assumptionis, at nobis à DEO missis ad prædicandum Euangelium non credunt *Israelitæ*, hæc & ipsa hîc expressa est & ejus addita est confirmatio, à Prophetæ testimonio, *Esai.* 53. 1. Ubi prædicturus perpessiones Filii DEI & insecuturam gloriam, non modò queritur Propheta de incredulitate sui ævi. sed etiam traducit *Israelitarum* differentiam futuram sub Regno CHRISTI & Euangelio jam plenè revelato.

17. *Ergo fides ex auditu est, auditus autem per Verbum DEI.* Conclusione tertii argumenti (Ergo *Israelitarum* invocatio nulla est invocatio, & quanquam

quàm zelum habent, non tamen ex notitiâ) per divinam prudentiam diſſimulatâ ad evitandam offenſionem *Iſraelitarum*, quòd ſæpius ante factum in hâc diſputatione, pro eâ hanc alteram ſubſtituit, convertit enim ſe Apoſtolus ad ipſos credentes & qui verè invocant Nomen DEI, quorum æmulatione contumaces *Judæos* provocare volens ut infra profitetur 11. 14. Concludit ex eodem ſorite ſeu acervo proſyllogiſmorum qui fuit, *verſ.* 14. quòd fides quæ fundamentum invocationis & gignatur & augeatur auditu Euangelii, à ſe & cæteris Apoſtolis prædicati; & quidem in hunc modum, non eſt fides ordinariè abſque auditu, non eſt auditus abſque prædicante, non eſt qui prædicet niſi miſſus fuerit, Ergo fides eſt ex auditu & auditus per verbum ab Apoſtolis, ſeu quos mittit DEus præconibus enunciatum: Argumentum eſt à pari conſequutione in contradicentibus ἀναπαλιν: abſque auditu verbi prædicati vel ubi non eſt auditus verbi prædicati, non eſt fides, Ergo ἀναπαλιν ſeu inverſo ordine, fides ex auditu eſt per verbum, quod quâdam apoſtrophe videtur dictum & averſione ſermonis ab adverſariis *Iſraelitis* diſputantibus contra Eccleſiam DEI quæ veritatem amplexa eſt.

18. *Sed, inquam ego, an non audierunt?* Sequuntur prolepſes tres quibus Apoſtolus præoccupat objectiones ortas ex proximo argumento, & quarum duæ hoc Capite reliquo continentur: Tertia in principio eſt Capitis inſequentis: Prima autem objectio ſic habet. *Iſrael* audivit, hoc hîc ut manifeſtum interrogatione urgetur, an non audierunt *Iſraelitæ?* Ergo ſi fides ex auditu & invocatio ad ſalutem ex fide eſt, etiam *Iſrae-*

litæ

litæ credentes erunt in numero eorum qui invocant nomen Domini & servabuntur: *Imò verò in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.* Primæ huic objectioni duplex ab Apostolo responsio data est, quarum prior his verbis expressa est, quibus antecedens proximum, quòd nimirùm *Israelitæ* audiverint, non modò concedit Apostolus, sed confirmat etiam testimonio Prophetæ producto ex *Psal.* 19. 5. Quod testimonium duobus modis exponi potest, vel de notitiâ τῶν ἀοράτων τε Θεε ut supra 1. 20. ex rebus creatis, de quâ Propheta loquutus est, vel ita accipi potest hoc testimonium, ut Apostolus hîc comparet prædicationem Euangelii per eos quos misit Deus ad prædicandum cum communi illâ rerum creatarum prædicatione, quod nimirùm ut jam inde à creatione res creatæ *Deum* prædicaverunt universo mundo ad omnes reddendos ἀναπολογήτες, sic jam emissi à Christo Apostoli universo orbi Euangelium prædicarunt, ut ad fidem adducantur Electi Dei; utrovis modo exponatur testimonium, Argumentum confirmationis est à minori sic, Universus orbis terrarum audivit de Deo sive per prædicationem creaturarum jam inde à principio, sive per Apostolos jam revelato Euangelio, multo magis Ergo *Judæi* audierunt, quibus à principio concredita Oracula Dei, & quibus primùm oportuit Euangelium prædicari; Altera Apostoli responsio est negatio sequelæ, quam hîc præterit silentio Apostolus eâdem illâ prudentiâ de quâ jam sæpè dictum, maximè autem quòd in responsione ad secundam objectionem manifestè appareat, quòd quanquam fides ex auditu & *Israel* etiam audierit, non tamen credidisset ut invocaret

caret ad salutem ; Vult itaque Apostolus nos hinc docere quòd quanquam fides ex auditu sit, non tamen omnes audientes credant aut ex fide Deum invocent ad salutem ; *Israelitas* enim audisse confirmat, quos probavit tamen nec credere in DEUM, nec invocare.

19. *Sed, inquam ego, nunquid Israel non cognovit DEUM?* Cognitionem hîc intelligo eam quæ fidei est, est itaque ista altera prolepsis, at *Israel* etiam cognovit DEUM, Ergo invocat & servabitur, hujus objectionis Apostolus negat antecedens asseritque id quod in hunc populum ab *Isaiâ* denuntiatum fuit, eos nimirũ, quanquam auribus audituri essent, non tamen corde intellecturos, id quod hîc confirmat gemino testimonio. *Primùm Moses dicit, ego ad æmulationem provocabo uos per gentem quæ non est gens, per gentem intelligentiæ expertem ad iram vos provocabo.* Prius testimonium ex quo per comparationem minorum sic concludit Apostolus: qui ad æmulationem intelligentiæ provocandi sunt per gentem intelligentiæ expertem, ipsi illi non intelligunt, at prædixit *Moses*, *Deut.* 32. 21. de *Israele*, provocandum eum esse ad æmulationem intelligentiæ, per gentem intelligentiæ expertem, Ergo ipse *Israel* non intelligit. Assumptio hoc *vers.* est.

20. *Esaias autem utitur audaciâ, dicitque, inventus sum ab iis qui me non quærebant, conspicuus factus sum iis, qui de me non interrogabant.*

21. *Adversus Israelem autem dicit, Toto die expandi manus meas ad populum rebellem & contradicentem.* Alterum testimonium *Esaiæ* est, qui *Cap.* 60. 12. testatur de *Israele* continuam ejus vocationem ad gratiam, eorumque rejectionem vocationis DEI,

sic,

sic, Qui populus rebellis est & contradicit Deo toto die expandenti manus suas continuòque vocanti, is etsi audivit de Deo, non tamen cognovit eum cognitione fidei: at toto die (ait Deus per Prophetam) expandi manus ad *Israelem*, populum rebellem, & contradicentem, Ergo *Israel*, etsi audivit, non tamen cognovit Deum. Assumptio est *vers.* 21. quæ *vers.* 20. præcedenti ex ejusdem Prophetæ testimonio illustratur, de contrariâ vocatione efficaci *Gentium* quæ Deum non quærentes invenerunt tamen, & quibus factus est conspicuus non interrogantibus de ipso & ipsius gratiâ.

Caput undecimum.

Num igitur (inquam ego) abjecit Deus populum illum suum? Tertia prolepsis est & occupatio objectionis, quæ oritur ex responsione Apostoli proximè confirmatâ testimoniis *Mosis* & *Esaiæ*: Objectio sic habet. Si *Gentibus* factus est conspicuus Deus, *Israel* autem, populus rebellis, & Deo suo contradicens evasit, sequitur quòd Deus abjecit populum suum: At posterius absurdum, Ergo prius, aiunt opponentes: & quod ex *Mose* ac *Isaiâ* probare videri vis *Israelem* non cognovisse Deum, oportet falsum sit: Propositio in principio est *vers.* 1. *igitur*, *i. e.* Si quod dicis Deus factus conspicuus *Gentibus*, & *Israel* evasit rebellis Deo, sequitur quòd Deus abjecit populum suum & *Israel* desiit esse populus Dei. In iisdem verbis

verbis *verſ.* 1. Aſſumptio etiam comprehenſa eſt latens ſub interrogatione hâc, num DEUS abjecit populum ſuum: *i. e.* quòd poſterius eſt in propoſitione connexa nimirum DEUM ſuum populum abjeciſſe, an id dixeris ipſe videris. [*Abſit*] Reſpondet Apoſtolus huic objectioni duobus modis, Primum negando ad *verſ.* uſque 7. Deinde diſtinguendo *verſ.* 7. Negat autem propoſitionem connexam: Ego, ait Apoſtolus, non dico aut doceo, quòd DEUS abjecerit populum illum ſuum, neque id ſequitur, uti vos proponitis ex reſponſione meâ præcedente in allatis teſtimoniis *Moſis* & *Eſaiæ*. Hanc propoſitionis negationem effert Apoſtolus non nudam quidem ſed exornatam tum deprecatione tanti judicii in fratres conſanguineos, tum deteſtatione tantæ blaſphemiæ adverſus DEUM, quaſi irritum facientem fœdus ſuum cum ſuo populo *Iſraele* initum: utraque autem hæc & deprecatio judicii, & blaſphemiæ deteſtatio hâc unâ voce (*Abſit*) ab Apoſtolo comprehenduntur. *Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abrahami, Tribûs Benjaminis.* Confirmat negationem proximam, & quòd DEUS ſuum populum non abjecerit: Argumenta confirmationis duo ſunt, Prius ſumptum eſt à ſpecie ſpecialiſſimâ, quâ quaſi ἐνσαπεῖ tollit genus, & univerſale negatum, ſic, Ego *Iſraelita* ſum, at ego non ſum abjectus à DEO, DEUS igitur non abjecit *Iſraelem* populum ſuum: Hujus Syllogiſmi propoſitio eſt in fine *verſ.* 1. poſita, & confirmatur è cauſis procreantibus *Abrahami & Benjaminis.*

2. *Non abjecit Deus populum illum ſuum, quem præcognovit.* Concluſio eſt proximi Syllogiſmi ampliplificata definitione Populi DEI, DEI populus eſt quem

quem ipse præcognovit & hunc suum populum non abjecit Deus. Hinc vult nos docere Apostolus veram Dei Ecclesiam, quæ ipse est populus Dei, definiendam esse ex præcognitione Dei cæterisque ἀμεταμελήτοις donis præcognitionē *Dei* & Ecclesiam *Dei* insequentibus supra 8. 29, 30. Unde sequitur quòd Dei populus seu Dei Ecclesia essentia sua seu τὸ εἶναι, & quatenus Dei Ecclesia est, sit invisibilis, quod indicat Apostolus supra 2. 29. dum asserit quòd *Judæus* is sit, non qui in propatulo, sed qui in occulto *Judæus* est, cujus ratio est, quòd invisibilis sit præcognitio ista Dei, reliquaque ipsius gratia ἀμεταμελήτου, quæ dat esse Ecclesiæ & quâ definitur. Ecclesia igitur per se est invisibilis, visibilis efficitur externo ministerio, nam ipsi concredita sunt eloquia Dei supra 3. 2. Deinde effectis, quod Dominus nos docet, *Mat.* 7. 16. *Ex fructibus cognoscetis eos. An nescitis de Eliâ quid dicit Scriptura.* Alterum argumentum quo probat Apostolus quòd Deus suum populum non abjecerit, sumptum à simili exemplo dierum *Eliæ*: sic, in diebus *Eliæ*, quanquam deficeret *Israel*, sunt tamen in communi multitudinis defectione septem millia conservata quæ non defecerunt, Ergo similiter & isto tempore, quanquam *Israel* rebellis fiat, & populus contradicens Deo, reservatio tamen est Electorum Dei. Antecedens Enthymematis hujus seu protasis similitudinis Scripturæ testimonio, vel ipsis etiam cognito, confirmata, habet partes duas, *Quo modo interpellat DEUM adversus Israelem, dicens.* Pars prior est ἔκθεσις versu hoc & Prophetę queremonia loquentis adversus *Israelem* & testantis de ἀποστασία visibilis Ecclesiæ.

3. *Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & petunt animam meam.* Apoſtaſiam *Iſraelis* ex effectis confirmat, quæ tria hoc *verſ.* enumerantur. Primum eſt cædes Prophetarum DEI. Alterum, altaria DEI ſuffoderunt. Et tertium eſt, quòd me *Eliam* quærant ad mortem. Hoc tertium effectum exaggeratur adjuncta Prophetæ ſolitudine, ſolus ego relictus ſum, ait Propheta, & tamen me ſolum ſuperſtitem petunt interficere. Quare ejuſdem ſunt crudelitatis adverſus veros *Iſraelitas*, cujus pſaltes *Pſal.* 83. 5. inſimulat externos hoſtes & *Gentes* prophanas adverſus gentem & nomen *Iſraelis.*

4. *Sed quid dicit ei divinum reſponſum, feci ut remanſerint mihi ſeptem millia virorum qui non flexerunt genu imagini Baalis.* Altera pars protaſeos ſeu antecedentis & reſponſum ad id quod poſterius eſt in propoſitione connexâ, nimirum DEUM ſuum populum abjeciſſe, an id dixeris ipſe videris. Reſpondet Apoſtolus primùm deteſtatione, *Abſit* dicam, DEUM populum ſuum abjeciſſe: Deinde cauſa reſervationis efficiente principali: Ego, ait Dominus, feci mihi remanſerint. Denique argumento diſparatorum [*Non flexerunt genu Baalis imagini*] confirmat Dominus reſponſum ſuum, Sic, ſeptem millia non flexerunt genu *Baali*, Ergo mihi & meo cultui, ait Dominus, ſunt reſervata.

5. *Ita igitur & hoc tempore reſervatio facta eſt.* ἀποδοσις eſt ſimilitudinis, ſeu Enthymematis conſequens, Ergo & hoc tempore, quanquam defecerit *Iſrael*, eſt tamen facta reſervatio eorum quos præcognovit

vit Dominus, *Secundum electionem gratuitam*: Electionem intelligo non quâ *Israelitæ* reservati eligunt Deum, sed quâ Deus ipsos elegit reservandos, quanquàm enim fideles Dei servi, rejectis idolis & falsis Deis, Deum verum in Christo eligant colendum, quod de *Josuâ* & *Israelitis* legimus, *Josh.* 24. 15, 16. Id tamen quod de amore prædicat Apostolus, 1 *Ioan.* 4. 10. id ipsum de electione hîc dicendum est, quod nimirùm non nos Deum elegerimus, sed quòd ipse nos priùs elegerit, suâque electione fecerit nos ipsi remanserimus: Hic igitur Apostolus exponit quod dictum fuit in χρηματισμῷ supra *vers.* 4. κατελιπον ἐμαυτῷ ego feci remanserint mihi, & ex causâ efficiente per se, colligit reservationis adjunctum modum, Deus ipse est qui ex sese facit sibi remaneant quicunque remanent, hoc dicitur in divino responso: Ergo quicunque remamanent, secundum gratuitam electionem Dei fit eorum reservatio: hoc inde colligitur & hîc effertur ab Apostolo.

6. *Quod si per gratiam, non jam ex operibus.* Hoc consectarium est, et conclusio illata ex modo reservationis factæ, de quo *vers.* superiore: Sic enim arguit Apostolus, si per gratiam electionis divinæ reservatio sit eorum qui in communi multitudinis defectione reservati sunt, ad justitiam & vitam, tum non fit ea reservatio ex operibus: At prius verum est, Ergo & posterius: Assumptio hujus Syllogismi præcessit *vers.* præcedente, propositio in principio est hujus *vers. Alioquin gratia non est gratia.* Hanc probat duobus argumentis, quorum prius est ἀπο συμφωνου ab impossibili; sic, si per gratiam reservatio ipsa etiam esset ex

operibus, tum gratia non eſſet gratia, ſed hoc impoſſibile ut gratia non ſit gratia, Ergo ſi ex gratiâ reſervatio eſt, ſequitur quòd non ſit amplius ex operibus. [*ſin ex operibus jam non eſt gratia*] Secundum argumentum connexæ propoſitionis à pari conſequutione in contrariis. Si ex operibus fieret reſervatio, tum non eſſet per gratiam, & ſi per gratiam eſſet reſervatio, non amplius eſſet ex operibus Legis. *Alioquin opus jam non eſt opus.* Proximi argumenti probat antecedens ab impoſſibili, ut prius connexam Syllogiſmi propoſitionem, opus non eſſet opus, & quia contradicentia ſimul eſſe vera eſt impoſſibile, quod tamen neceſſe eſt fateatur verum eſſe quicunque aſſeruerit meritum operis eſſe gratuitum, aut gratuitam reſervationem Electorum eſſe ex operibus: Probatâ itaque ſic propoſitione & aſſumptione Syllogiſmi, ſequitur hæc concluſio ſeu conſectarium, reſervatio ad vitam & juſtitiam non eſt ex operibus. Quod conſectarium ideo deducit & infert hîc Apoſtolus ad inculcandum *Romanis* primariam totius Epiſtolæ conclusionem. Nempe hanc juſtitiam & vitam eſſe per fidem Euangelii, cum quâ hoc conſectarium re ipſâ idem eſt. Unde mihi nota quòd nec poſſit ulli homini peccatori eſſe vel juſtitia vel vita ex Legis operibus, quod *Judæi* putabant, & adhùc plerique omnes præpoſtero Legis zelo putant: nec poſſunt opera Legis ulla, concurrere ut cauſæ cum gratia DEI in IESU CHRISTO ad efficiendum homini juſtitiam & vitam, ut Papiſtæ putant, quia meritum & gratuita vitæ donatio, ita ſunt inter ſe oppoſita, ut alterutro affirmato negetur alterum, & contrà ex alterutro negato affirmetur alterum. Unde ſequitur ex Apoſtolo

stolo, si ponatur opus causa vitæ & justitiæ, necessariò sit tollenda gratia, quia vita illa erit ex debito merces propter meritum, non immerenti gratuitum donum, & contra, si ponatur gratia causa vitæ, tollendum erit omne meritum operis cujuscunque, quia vita ex gratiâ est, & gratuitum donum est datum immerenti, non autem debitum ex merito operum.

7. *Quid igitur!* Hactenus prima pars responsionis fuit ad objectionem in principio Capitis factam, & negavit Apostolus Deum rejeciſſe populum suum, quæ negatio hic exornata est cómunicatione rhetoricâ. Primùm enim inducit Apostolus adversarios urgentes adhuc Apostolum responsione [*Quid igitur?*] quasi dicant, quid igitur ad objectionem respondes? *Quod requirit Israel, hoc non est adeptus.* Hypophora & subjecta Apostoli responsio ad proximam Adversariorum quæstionem, eademque altera responsionis pars est ad objectionem, in quâ primùm quidem concedit rejectionem *Israelis* seu populi DEI, id quod intelligendum est de *Israele κατα σαρκα* duntaxat, nam ut *Judæus* est unus in propatulo, alius in occulto, *Rom.* 2. 28, 29. Sic *Israel* est in spiritu unus, & alius in carne duntaxat, cujusmodi pleraque fuit *Pauli* tempore, & adhuc est multitudo illius populi, ideoque rejectis tribuit nomen *Israelis*, dicitque *Israel* non adeptus est quod quærebat, nempe justitiam & vitam ex justitiâ. Deinde & aptissimè respondet objectioni per distinctionē. *Sed electi adepti sunt.* Prior pars distinctionis. *Reliqui verò obcalluerunt.* Secunda pars distinctionis. Ubi nota primùm quòd Apostolus ut *Judæos* dividit in *Iudæum* in occulto, & in propatulo *Rom.* 2. 28, 29. & ut semen *Abrahæ*

dividit in filios carnis & promiſſionis filios, *Rom.* 9. 7, 8. Sic *Iſraelem* dividit in electos & reliquos, electos eos intelligens quos cum *Jacobo*, *Rom.* 9. 11, 12, 13. antequam naſcerentur, aut feciſſent quippiam vel boni vel mali, elegit ut fierent conformes imagini Filii ſui, *Rom.* 8. 29. & per eum participes juſtitiæ & vitæ, reliquos autem intelligit reprobos, qui cum extra electionem ſint, relicti ſunt peccato & morti: Nota deinde quòd in primâ diſtinctionis parte dicat Apoſtolus non electos ſed electionem adeptam eſſe: ſic enim fert primus ſermo ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν, ex propoſito Metonymicè loquitur, ut nos doceat noſtræ juſtitiæ & vitæ cauſam non in electis eſſe ipſorum vel meritum vel fidem, ſed in Deo, ſuam ſcilicet antè ſæcula electionem ipſorum. Tertiò mihi nota, quòd in altera diſtinctionis parte non dicat reliquos non adeptos, nimirum vitam, ſed occalluiſſe, ad docendos nos duo iſta, Primum quòd improbi non ante plectantur morte quam fuerint eam peccando commeriti, Deinde quòd peccando ita contrahant improbi peccandi habitum, ut tandem aliquando ſine conſcientiâ ruant in peccatum & obdurati fiant corde adverſus omnem admonitionem, quâ revocentur ad meliorem vitam, id enim notat Metaphorica vox ἐπωρώθησαν occalluerunt, eſt enim porus, callus, corpus album, durum, ſiccum quo conjunguntur oſſa fracta, quod corpori eſt inſtar calli præter naturam innatum, ita vel articulis membrorum vel pulmoni noxium ut inepti fiant ad naturalem motum: verbo igitur πωρόω ſignificatur tale quid *Judæorum* improborum, quo ipſi ita obdureſcunt, ut ad omnem motum vitæ DEI, & opus bonum fiant inepti.

8. *Sicut*

8. *Sicut scriptum est.* Posteriorem partem distinctionis, & quod *Judæi* ab electione reliqui occalluerint, & probat & amplificat *vers.* tribus insequentibus, Probatio è scripto verbo petita est. Sic enim Apostolus ait, *Sicut scriptum est.* Sic & pleræque Novi Testamenti confirmationes sive à CHRISTO sive ab Apostolis afferuntur; nam *Ioan.* 5. 39. DOMINUS provocat ad scriptum Verbum. *Scrutamini Scripturas.* Et *Act.* 26. 22. coram *Agrippâ* in celebri cœtu profitetur Apostolus se nihil in Novi Testamenti prædicatione vel dixisse vel docuisse præter ea quæ *Moses* & Prophetæ futura prædixerunt in Scripto Verbo. *Dedit eis Deus spiritum soporis.* Testimonia Scripturæ confirmantia *Judæorum* obdurationem afferuntur tria. quorum primum hoc ex *Isaiâ* est 29. 10. *Oculos ut non videant, aures ut non audiant.* Alterum testimonium ex *Isaiâ. 6. 9.*

9. 10. *Et dicit David.* Tertium testimonium est ex *Psal.* 69. 22. 23. Hæc testimonia confirmant duo. 1. *Judæos* occalluisse. 2. Eos qui occalluerunt reliquos fuisse ab electione, nam electis non dat DEUS spiritum soporis, &c. Sic ergo hîc ratiocinatur spiritus DEI: quibus datur divinitus spiritus soporis, eo illi occallent & obdurantur, at DEUS dat *Judæis* reliquis spiritum soporis, &c. ut ex allatis patet testimoniis, *Judæi* ergo reliqui occalluerunt et obdurati sunt: sic confirmata est pars distinctionis posterior his tribus versibus, eandem eisdem versibus amplificat Apostolus partim definitione indurationis & τὸ πωρωθῆναι, partim causâ efficiente, & partim denique temporis adjuncto, definitio & causa, utraque in testimoniis obdurationem confirmantibus

mantibus manifeſta eſt, & primum, quod ad definitionem attinet, obduratio ſeu πωρος eſt ſpiritualis callus & ſpiritus ſoporis, ita oculos, aures & animum, ut ibi apud Prophetam eſt, occludens ut occluſis menſa ipſorum fiat pro laqueo, tendicula, & talione, maneantque ipſorum terga incurva ſemper: quæ definitio genere conſtat. Eſt ſpiritus, & differentia. Soporis. Hæc explicatur variis effectis, quorum primum eſt obtenebratio oculorum animæ, obduratio & (ut apud Prophetam eſt) pinguefactio cordis. Secundum eſt menſæ converſio in tendiculam & talionem. Tertium eſt tergorum incurvatio perpetua: quæ effecta, ſi inter ſe comparemus, primum nempe non videre quæ vident, non audire quæ audiunt tamen, nec percipere quæ intelligunt, videbimus eſſe peccatum ſimul & judicium, peccatum in abuſu miniſterii, nam auditum verbum DEI, viſa opera, & oblatam gratiam vel negligere vel contemnere, quod eſt auditum verbum non audire, viſa opera non videre, & ad intellectum oblatam gratiam non percipere, eſt abuti miniſterio & peccatum abutentium, judicium autem quod in tempore lenitatis DEI & gratioſæ viſitationis ipſorum abſcondantur ab oculis ipſorum, quæ ſunt pacis ſuæ: ſecundum effectum, nempe, menſam cedere in tendiculam & talionem, judicium eſt ſed inchoatum, tantum, quod, ut electis cedit bono, ſic reliquis in malum. Tertium effectum, judicium notat & id impletum, quod patet tum ex acerbitate judicii, quæ tergorum eſt incurvatio, tum ex continuatâ duratione, *tergum eorum incurva ſemper.* Sed ut clareſcat tum definitio, tum, iſta comparatio effectorum, verba quædam in teſtimoniis, paucis explicanda ſunt, prima vox

explicanda

explicanda est κατάνυξις, noctis instar sopor, notat veternum altissimum & quod omnem sensum sui ipsorum boni adimat sopitis. Iste sopor, adeo pervaserat Hierosolymitanos, CHRISTO in carne ambulante, ut ipsi causa fuerit fletus appropinquanti & intuenti urbem Hierosolymam, *Luc.* 19. 42. *Cùm appropinquaret & videret ipsam urbem, flevit super ea, ac dixit, O si cognosceres hæc quæ sunt pacis tuæ saltem in hoc die tuo, hæc nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Deinde non dicit Apostolus, dedit eis soporem, sed dedit illis DEUS spiritum soporis, ad nos monendos, quod quemadmodum DEUS dona sua suis distribuit per suum Spiritum inhabitantem, sicut scriptum est, 1 *Cor.* 12. 4. *Discrimina sunt donorum, sed unus est spiritus*; Sic judicia sua reliquis infligit per malos Spiritus, tanquam vindices peccati & satellites iræ. Utrumque hoc in Scripturis manifestum, prius quidem *Isa.* 11. 2. ubi videre est Spiritum sapientiæ & intelligentiæ, Spiritum consilii & potentiæ, spiritum scientiæ & reverentiæ JEHOVÆ, poni pro sapientiâ & intelligentiâ, pro consilio & potentiâ, pro scientiâ & reverentiâ JEHOVÆ profectis ab inhabitante Spiritu Sancto JEHOVÆ: posterius autem. 1 *Tim.* 4. 1. ubi Apostolus ipse exponit spiritus deceptores & doctrinam dæmoniorum, hoc est, falsam doctrinam justo DEI judicio inditam ori falsorum doctorum per diabolos & spiritus malos, uti legimus. 1. Reg. 22. 21, 22, 23. mendacium à malo spiritu suggestum Prophetis *Achabi* ad persuadendum *Achabo* ad suum interitum. Sic passim in Scripturis spiritus infirmitatis, fornicationis, avaritiæ, vertiginis, legitur pro hisce ipsis malis à DEO per malum spiritum

profectis,

profectis, uti 1 *Sam.* 16. 15. dicitur quòd malus ſpiritus à JEHOVA turbârit *Saulem*. Sic *Mar.* 9. 17. dicitur habere ſpiritum mutum, qui à DEO per ſpiritum malum, ἀλαλια impotentia ad loquendum percuſſus eſt, ſed apertiſſime hoc patet, *Mat.* 12. 43. ubi per impurum ſpiritum exeuntem ſignificatur impuritas, ad tempus rejecta vi miniſterii; nam Spiritus ipſe impurus ubi vi fortioris, nempe ſpiritus ſancti ejicitur, eo nunquam regreditur: quare ſpiritus impurus eſt impuritas profecta ab impuro ſpiritu, qua ad tempus intermiſſa vi miniſterii, videtur ipſe ſpiritus unde prodit, ejectus eſſe ex hypocritis. Deinde *Luc.* 13. 11. ubi incurvata infirmitas dicitur ſpiritus infirmitatis, quod exponitur *verſ.* 16. Satanas vinxerat eâ miſeram mulierem. Dum ergo dicit è Propheta Apoſtolus, quod DEUS dedit eis ſpiritum ſoporis, ſenſus eſt, quòd DEUS per malos ſpiritus, tanquam peccatorum hujus populi vindices, & iræ ſuæ ſatellites inflixerit huic populo ἀναισθησιαν omnimodam ſui ipſorum boni, & diei gratioſæ viſitationis. Tertiò menſæ vox hîc venit conſideranda: ea inſeruit alimento, ſed tranſlata vox eſt ab externo ad internum alimentum: per menſam igitur hîc intelligo ſacrificia hujus populi cum omni legali cultu qui datus ad vitam, & ſpiritualis vitæ alimentum, *Rom.* 7. 10. ceſſit huic populo tamen in tendiculam & mortem, ſecundum imprecationem Propheticam Pſalmiſtæ, quia nimirùm zelo præpoſtero ſacrificiorum & Legalis cultus populus iſte repudiabat IESUM CHRISTUM, finem Legis, oblatum in Euangelio: Quartò dicit Apoſtolus, menſam ipſorum ceſſuram ipſis, non in tendiculam modò, ſed talionem etiam, quo vult innuere judicium hoc

quod

quod Lex cedit iis in tendiculam, ἀνταπόδομα esse & justam recompensationem peccati ipsorum, quemadmodum enim illi abutebantur sacrificiis & Legali cultu in alium finem, quàm ad quem à DEO data est Lex, ita talio est & justa à DOMINO compensatio, quòd sacrificia & cultus Legalis cedant iis in alium finem, quàm ad quem à DEO illis data est Lex: data fuit ut Pædagogus ad CHRISTUM, *Gal.* 3. 24. cùm igitur zelo Legis rejiciunt illi CHRISTUM, justa merces est erroris ipsorum, ut Lex cedat in tendiculam, quæ data fuit in mensam & spirituale alimentum. Ultima vox hîc consideranda est, tergi incurvatio, quâ Metaphora significatur judicium eorum, qui subjacent & succumbunt oneri divinæ iræ intolerabili: hæc itaque indurationis definitio est, spiritus soporis seu sopor inflictus à DEO per malum spiritum, ita oculos & aures & animos occludens adversus verbum ministerii, ut sic occlusis, mensa ipsa, sacrum verbi ministerium, quod esset alimento spirituali, cedat in mortem, & sic mortui maneant sub irâ in æternum. Secundò amplificatur induratio *Judæorum* à causâ, quæ etiam in testimoniis notatur esse datio, factio, incurvatio, quâ DEUS dat spiritum soporis, facit mensam tendiculam, & incurvat terga: quæ datio, si quæratur quid sit, est efficax executio voluntatis DEI, quâ ab æterno facti sunt reliqui ab electione, interveniente ipsorum abusu sacrosancti ministerii DEI: nam etsi antequam essent, reliqui facti sunt ab electione, quia scriptum est non modò *Jacobum* dilexi, sed etiam *Esavum* odio habui, tamen antequam premantur hac induratione & detur illis spiritus iste soporis, rejiciunt cognitionem DEI ac amorem veritatis:

tis: ſic enim ait Apoſtolus, *Rom.* 1. 21. 26. propterea quod DEUM cognoſcentes non ut DEUM glorificaverunt, ideo tradidit eos DEus fœdis affectibus: & 2*Theſ.* 1. 10, 11, 12: Propterea quòd non receperuut amorem veritatis, ut ſalvi fierent, ideo mittit eis DEUS efficaciam erroris, ut credant mendacio, & damnentur omnes qui non crediderint veritati, ſed acquieverunt injuſtitiæ: Cauſa igitur indurationis trium graduum proxima eſt judicium DEI quo datur ſeu mittitur illis ſpiritus ſoporis; iſta ſuperior eſt iſtius judicii cauſa ſeu miſſionis, nempe ipſorum veritatis DEI rejectio, ad quam utramque dicit *Judas* 4. παλαι προγεγραμμενοι jam olim præordinatos, notans cauſam remotiſſimam & primam. Ultima amplificationis pars ſumpta eſt ab adjuncto tempore in fine *verſ.* 8. *uſque in hodiernum diem.* Quæ verba conjungenda ſunt cum fine 7. *verſ.* & verbo *occalluerunt* reliquis quæ præceſſerunt, *verſ.* 7. verbis parentheſi concluſis: id ipſum affirmat Apoſtolus, 2*Cor.* 3. 13, 14. ex Legis typo: *Moſes* Legem afferens imponebat velamen ſuæ faciei, quod ſignificabat *Judæis* in myſterio latere finem Legis, qui CHRISTUS eſt, veluti ſub involucro & tegmine Legis; quod tegmen non eſſet niſi in CHRISTO tollendum: unde colligit hoc ipſum, quod iſthìc dicit, nempe occallere mentes ipſorum & velamen manere cordibus impoſitum, in hodiernum uſque diem in lectione Veteris Teſtamenti, nec tollendum niſi cordibus ad CHRISTUM converſis, quæ converſio nondum cernitur in gentis hujus pleraque multitudine uſque ad hunc diem, uti Apoſtolus loquitur de ſuo ævo. Convertat DOMINUS

&

& ipsos & nos, ut in mundi plenitudine glorificetur opulentia benignitatis ejus in IESU CHRISTO.

11. *Dico autem ego.* Secundum argumentum quo probat Apostolus reducendos *Israelitas* ad DEUM salutis suæ, a fine lapsus ipsorum eoque quadruplici; sic, si *Judæi* & omnino *Israelitæ* qui prior DEI populus & visibilis ejus Ecclesia, impegerunt tamen in CHRISTUM ejus; Ut 1. salus obtigerit *Gentibus* per ipsorum lapsum. Ut 2. ipsi salute *Gentium* visa provocarentur ad æmulationem. Ut 3. Per æmulationem *Gentium* servarentur aliqui, Essetque 4. ipsorum salus plenitudo Ecclesiæ DEI, *Judæi* & omnino *Israelitæ*, quanquam CHRISTUM rejecerunt ad CHRISTUM revocandi sunt. At prius verum est, quod in quadruplicem illum finem impegerunt *Israelitæ*, Ergo revocandi: Propositio manifesta omittitur, Assumptio constat enumeratione finium propter quos *Judæi* dati sunt in manus sui ipsorum consilii, ut impingerent in Authorem salutis suæ CHRISTUM *vers.* 11. & 12. *Nunquid impegerunt vel num igitur impegerunt.* Primus finis illustratus argumento diversorum, non impegerunt *Judæi* in CHRISTUM ut DEO exciderint, sed ut per eorum lapsum obtingeret salus *Gentibus* [*Absit*] Confirmat ἀρνιν & priorem partem diversorum effecto sui ipsius in sanctè aversando & detestando excidium *Judæorum*, avertat DEUS tantum judicium à suo populo ut eo fine impingerent *Judæi* in CHRISTUM, ut DEO exciderint; unde quod Græco Idiomate hîc dicitur μη γενοιτο absit, Syriaca versio habet pro eo precationis formam *parce*, estque ista eadem hypophora & in communicatione Rhetoricâ subjecta responsio, quæ

duarum,

duarum partium eſt, Prior hæc, averſatio judicii tanti: *Sed per eorum.* Hæc theſis eſt & pars altera diverſorum, quæ finem verum & poſitivum continet, ob quem *Judæi* in CHRISTUM impegerunt, eademque pars altera eſt hypophoræ & ſubjectæ reſponſionis ad quæſtionem in principio *verſ. Nunquid ut eos.* Secundus finis ob quem impegerint *Judæi* in CHRISTUM, nempe, ut *Gentibus* ad DEUM in CHRISTO accedentibus & credentibus Euangelio, irritarentur *Judæi* & provocarentur ad æmulationem εἰς ἀντιμιθίαν &. ut compenſaret DEUS iniquitatem eorum in irritando ſua idololatria & vanitatibus DEUM ſalutis ſuæ, vide *Deut.* 32. 21. ipſi irritaverunt me ad zelotypiam per ea quæ non ſunt *Deus* fortis, provocaverunt me vanitatibus ſuis, ego quoque ad zelotypiam provocabo eos per eum qui non eſt populus, per gentem ſtultam provocabo eos. *Quod ſi eorum.* Quartus hic finis ob quem impegerint *Judæi* (nam tertius iſthic intermittitur commodè poſtea & *verſ.* 14. exprimendus, nempe ut ſerventur aliqui eorum) Quartò igitur impegerunt *Judæi* in IESUM CHRISTUM DOMINUM ſalutis ſuæ, ut plenitudo ipſorum eſſet plenitudo & complementum Eccleſiæ: Hic finis confirmatur è primo fine, Argumento à minoribus; ſic, ſi ruinâ ipſorum eſt opulentia mundi, & diminutio ipſorum opulentia *Gentium,* multò magis erit plenitudo ipſorum plenitudo mundi & totius Eccleſiæ DEI; At prius verum, ut in primo fine vidimus, Poſterius igitur: Propoſitio continetur iſto *verſ.* Aſſumptio probatur duobus inſequentibus, Concluſio autem ſequitur *verſ.* 15. Sed ut ad *verſ.* 12. revertamur, per ruinam & diminutionem *Judæorum* intelligit ab ipſorum multitudine factam Euangelii, & CHRISTI in eo oblati rejectionem:

per opulentiam autem mundi & *Gentium*, intelligit ad DEUM accessum amplectendo Euangelium & CHRISTUM in eo: unde mihi nota, quòd sive populi sive singulorum è populo, æstimanda sit diminutio & opulentia habitu vel carentia IESU CHRISTI in Euangelio oblati, ita ut opulentus sit qui CHRISTUM habeat, & contra diminutus quicunque sine CHRISTO est prout ipse in Euangelio oblatus.

13. *Nam*, &c. Probat proximam assumptionem & in hos fines prædictos impegisse *Israelitas* in IESUM CHRISTUM Euangelio oblatum, Argumento ducto ab effecto *Pauli* ad eosdem fines destinato: Ego illustro ministerium meum, ut experiar si quo modo provocem ad æmulationem consanguineos meos, & servem ex iis aliquos. Ergo in hos fines impegerunt *Israelitæ*. *Quod vobis*. Prolepsis est duarum partium, hâc parenthesi concluſa, quâ explicatur *Pauli* effectum in ministrando ministerio, ostenditurque primum quo modo illustret *Paulus* suum ministerium, Deinde quo modo suum illud ministerium dicatur quod illustrat; Quod ad prius, illustro, inquit, meum ministerium in eo quòd dico ista vobis *Gentibus*, hoc est in eo quod asseram impegisse *Iudæos*, ad salutem vestrum *Gentium*, ut vestri emendatione irritati, revertantur ad DEUM salutis suæ. Quod ad alteram autem, meum hoc dico ministerium, quia ego à DOMINO missus ad *Gentes* Apostolus.

14. *Ut*, &c. Fines duo, propter quos illustrat suum ministerium *Paulus*, illustrati adjunctâ difficultate, provocatio consanguineorum ad æmulationem prior finis est, salus aliquorum ex æmulatione, posterior,

qui

qui ſupra intermiſſus hîc exprimitur, difficultas utriuſque exprimitur, dum dicit, ſi quo modo provocem aut poſſim provocare.

15. *Nam*, &c. Concluſio eſt ſecundi argumenti illuſtrata ſimilitudine, & confirmata argumento minorum, Concluſio eſt de aſſumptione *Iudæorum* illuſtrata à ſimili, hæc erit veluti reſurrectio mortuorum, illo enim typo illuſtravit Propheta reductionem è Babylone, *Ezek.* 37. 1. ac eodem modo & iſthic Apoſtolus reductionem ipſorum ab ἀπιστια & potentiâ Satanæ, quæ ipſa eſt ſervitus Babylonicâ ſpiritualis. Hanc concluſionem ſic illuſtratam ita probat minoribus ut ſupra, ſi *abjectio eorum eſt reconciliatio mundi, multò magis eorum aſſumptio erit veluti à morte reſurrectio.*

16. *Quod ſi.* Tertium hoc argumentum eſt, quo probat Apoſtolus revocandos *Iſraelitas* ad DEUM, & amplexuros IESUM CHRISTUM; Argumentum ſumptum eſt ab adjunctâ ſanctificatione illius gentis, quam ſanctificationem intelligo, illius gentis ab omnibus gentibus ſeparationem & conſecrationem, qua ipſa ex omnibus Gentibus ſeparata, conſecrata eſſet DEO ſuo, fieretque DEO genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, & populus in libertatem vindicatus, ad prædicandas laudes illius, qui è tenebris vocavit in admirabilem ſuam lucem, ut citat Apoſtolus, 1*Pet.* 2. 9. ex *Exod.* 19. 16. Sic igitur ratiocinatur, quicunq; ſancti, hi è mundo revocandi ſunt ad DEUM ſalutis ſuæ in CHRISTO, at & populus *Iſrael* ſanctus eſt & ultimi è ſtirpe *Iſraelis* ſunt ſancti, Ergo *Iſraelitæ* ad DEUM revocandi ſunt: Propoſitio ut manifeſta omittitur, aſſumptio *verſ.* 16. hoc probatur, unde ſequitur concluſio

clusio *Israelitæ* revocandi sunt; Assumptionis autem probatio duarum partium, Primùm enim probat massam *Israelitarum* sanctam esse, deinde ramos esse sanctos: Massam intelligo, multitudinem ejus populi, ramos autem, posterorum ultimos: In utrâque probationis parte sermo Metaphoricus est; In priore Metaphorâ est, vel à manipulo recentium frugum, quem autumno ineunte agitabat Sacerdos coram JEHOVA, ut messis primitias ad acceptationem populi, vel ab illis primitiis quæ oblatæ sunt DEO post septem messis septimanas & ad massam reliquam, in usum populi DEI sanctificandum ita requirebatur ut ante illas primitias oblatas, nulli fas esset aristas, vel tostas, vel virentes spicas de recentibus anni frugibus comedere. Vide *Lev.* 23. à *vers.* 9. ad 22. Hîc igitur primi patres *Israelitarum*, *Abrahamus*, *Isaacus* & *Jacobus* comparantur primitiis, quod quemadmodum in his primitiis DEO oblatis, sanctificata est tota massa, sic in illis patribus *Israel* sanctus & adeo dilectus est, uti postea exponit Apostolus *vers.* 28. quod ad Euangelium inimici sunt propter vos: quod autem ad electionem, diliguntur (ait) propter patres. In posteriore autem probationis parte Metaphora ab arboribus sumpta est, in quibus qualiscunque radix fuerit, tales erunt & nativi rami, quare & hîc primi patres radici comparantur, & posteri ramis ad usque ultimos: quæ quidem Metaphora ex *Isa.* 11. 1. huc ab Apostolo translata est, ubi *Ischai Davidis* pater Bethlehemita radici comparatur, & IESUS CHRISTUS ille *Davidis* filius ramo vel surculo: Unde à *Zechariâ* 3. 8. appellatur germen, & ut cernatur surculus esse ultimus, *Isa.* 4. 2. dicitur germen

Jehovæ, quia ex intermortuo *Davidis* regno excitatus est à Deo Patre in Filio per Spiritum, velut novum germen repullulans è radice.

17. *Quod si*, &c. Prolepsis est quâ respondet Apostolus geminæ *Gentium* objectioni adversus *Judæos* eorumque revocationem ad Deum salutis suæ per Euangelium, quam concluſit Apostolus supra *vers.* 15. quemadmodum *Gentes Judæis* probro erant, quamdiu stetit inter *Judæos* Legis ministerium, sicuti testis est hic ipse Apostolus, *Eph.* 2. 11. & *Petrus Act.* 10. 28. sic prævidens Apostolus *Gentibus* Christum professis probro futuros *Judæos* tanquam Christum rejicientes, scienſque non futurum id emolumento, sed magno *Judæorum* detrimento, ut qui inde captarent occaſionem magis resistendi Euangelio, studet malum antevertere refellendo quæ præviderat *Gentes* adversus *Judæos* objecturas, quæ, uti diximus, duo sunt; Prius hoc, *Judæi*, ut rami arefacti, defracti sunt & exciderunt suâ radice, rejiciendo Christum, quanquam igitur radix sancta & ipsæ gentis primitiæ sanctæ, non sunt tamen ipsi sancti aut ad Deum revocandi. *Tu verò cùm esses* &c. Alterum quod adversus *Judæos* prævidit Apostolus objecturas *Gentes* hoc est, adversis propositum, quanquam ego, diceret quis è *Gentibus*, hactenus fuerim oleaster, nunc tamen insitus sum veræ oleæ & vice *Judæorum*, qui defracti sunt ut arefacti rami, ego factus sum particeps radicis quam tu dicis sanctam vice eorum qui defracti sunt, Ergo ego in radice permansurus sum, *Judæi* non sunt revocandi: hæ *Gentium* sunt objectiones adversus *Judæos*, quibus hîc respondet Apostolus, & duarum partium est responsio,

Prior

Prior continet concessionem *vers.* hoc 17. quâ Apostolus concedit *Gentibus* duo ista, Primum, quòd *Judæi* defracti sunt veluti rami arefacti, κλάσεως tamen & ad reprimendas *Gentes Judæis* insultantes, imminuens hanc *Judæorum* apostasiam, dicit *Nonnullos ramos defractos.* Alterum quod concedit est hoc, ipsas nempe *Gentes* esse insitas illi radici *Judæorum* & factas participes pinguedinis veræ oleæ, ut & alibi dicitur proprio sermone, eos qui ex fide sunt esse filios *Abrahæ*, *Gal.* 3. 7.

18. *Ne gloriare tamen*, &c. Hæc posterior pars responsionis, quâ κατανόησιν *Gentes* etiam insitas veræ oleæ, monet tamen ne glorientur adversus ramos. Ramos intelligo nativos illos veræ oleæ, hoc est, *Judæos*, adversus quos *Gentium* gloriatio; Hæc, admonitione geminâ ipsis interdicitur: nam, cùm Apostolus dicit *ne gloriare*, sensus est, vide ne vel de ipsorum defractione glorieris, neque κατὰ σάρκα & carnali superbia tu ipse, quisquis è *Gentibus* es, glorieris de tuâ insitione in radicem veræ oleæ loco *Judæorum* qui sunt rami defracti, quod quasi argumentum affert proximæ monitionis, & quâ veluti secundâ vice respondens *Gentibus* hortatur eos ne glorientur, Argumentum ducitur à subjecto gloriationis illustrato diversis, gloriatio illa quâ adversus *Judæos* gloriaris, quisquis es è *Gentibus*, non est futura tua sed *Judæorum*. Ergo ne gloriare. Antecedens probat à subjecto gloriationis, gloriatio illa tua, quisquis es è *Gentibus*, de radice est, at illa non tua sed *Judæorum* est (nempe radix *Judæorum*) vana igitur est tua gloriatio, quisquis è *Gentibus*, adversus *Judæos* gloriaris; Propositionem probat

per effecta radicis, Radix portat te, Ergo de radice eſt tua gloriatio. *Non tu radicem.* Probat alteram partem diverſorum & quod ipſarum *Gentium* non ſit illa gloriatio: Argumentum ducitur à negato effectu ſeu diſparato, Tu non portas radicem, & ſic arguit Apoſtolus. Si tu è *Gentibus* portares radicem veræ oleæ & *Iudæorum* cui inſitus es, laus eſſet tua, non *Iudæorum*, at tu non portas radicem, ſed radix te. Ergo non tua eſt laus, ſed *Iudæorum* propria eſt, quòd tu ſis radici inſitus & factus particeps veræ oleæ.

19. *Dices igitur*, &c. Altera prolepſis eſt, quâ Apoſtolus reſpondet tertiæ *Gentium* objectioni pro ſuâ gloriatione adverſus *Iſraelitas* eorumque ad DEUM ſalutis ſuæ revocationem: *Defracti ſunt rami*, &c. Objectio *Gentium* ſumpta eſt à fine rejectionis *Iudæorum*, *Iudæi* rejecti ſunt & veluti defracti rami exciderunt ſuâ radice, in hunc finem ut ego qui è *Gentibus* ſum eidem inſererer, Ergo nec illi revocandi ſunt, nec ego è radice rejiciendus ſum, & mihi de mea inſitione in veram oleam adverſus eos gloriandum, innititur conſequentia *Gentium*, Philoſophico & communi principio. *Finis ubi acquiſitus fuerit non ultra proſpiciendum.* Quare cùm in hunc finem illi defracti, ut ego inſererer in meâ inſitione ſiſtendum nec ultra eam urgenda eſt, revocatio *Iudæorum*: Hoc *verſ.* continetur ὑποθέσει & ſubjecta reſponſio ad proximam objectionem, quæ duarum partium eſt, Prior pars reſponſionis eſt antecedentis conceſſio, nempe quòd in hunc finem rejecti ſint *Iudæi* & evaſerint defracti rami, ut *Gentes* in eorum locum inſererentur.

20. *Per infidelitatem defracti ſunt, tu verò per fidem*

fidem stas. Alteram partem responsionis & quòd vel deo sit gloriandum *Gentibus*, vel non sit futura revocatio *Iudæorum* refellit, & ita objectionis *Gentium* negat sequelam, Argumento ducto à causis, tum rejectionis *Iudæorum*, tum insitionis *Gentium*, causam rejectionis *Iudæorum* & ob quam illi evaserunt defracti rami notat ἀπιστιαν infidelitatem *Iudæorum*, alteram autem insitionis *Gentium* causam notat πιστιν fidem quâ CHRISTUS apprehenditur & benedictio *Abrahami* in ipso; à quibus quidem causis hoc modo arguit, si per infidelitatem exciderunt illi, & tu per fidem stas, non tibi adversus eos gloriandum, tanquam non revocandos, sed tibi ipsi timendum, ne sicut ipsi, per infidelitatem radice excidas: at prius verum, posterius igitur; Connexa propositio ut manifesta omittitur, patet enim quod qui stat fide, & alios videt incredulitate cadentes, ipsi sibi cavendum sit, ne similiter diffidat, non autem gloriandum adversus per infidelitatem cadentes, ut qui cum ipsis unâ sit sub eodem discrimine: Assumptio continetur verbis citatis. *Ne effertor animo, sed metue.* Conclusio connexi Syllogismi est, ubi per animi elationem intelligenda est improba *Gentium* gloriatio adversus *Judæos*, sed timor quem commendat illis est ille filiorum, quo metuunt fideles ne peccando vel adversus DEUM per ἀνθυμιαθαν, aut alii adversus alios gloriando priventur præsentiâ & favore DEI.

21. *Nam si DEUS naturalibus ramis non pepercit, vide ne tibi quoque non parcat.* Alterum argumentum est quo probat inconsequentiam objectionis *Iudæorum*, nempe, quod non sit propterea *Gentibus* gloriandum adversus *Judæos*, quod per infidelitatem, ex-

ciderint ſuâ radice, ſed potiùs ſibi ipſis timendum ne ſimiliter diffidant, Argumentum eſt ab adjunctâ ſeveritate DEI in ulciſcendâ infidelitate, quam probat Apoſtolus *Gentibus* timendam comparatione majorum; Sic, ſi naturalibus ramis diffidentibus non pepercit DEUS, ſed ejecit ſuâ radice, multò minus tibi parcet, qui oleaſter es, ſi ſimiliter cum illis fidem rejeceris: At prius verum, Ergo & poſterius, hoc eſt, non parcet tibi è *Gentibus* diffidenti DEUS, quare (nam iſto loco proſyllogiſmus eſt) tibi ipſi cavendum ne fide excidas, non autem gloriandum adverſus *Judæos* diffidentes. ſola propoſitio in Textu eſt.

22. *Vide igitur benignitatem ac ſeveritatem Dei*, &c. Conſectarium eſt & illata concluſio ex diſputatione proximâ, quo quidem conſectario commendat gentibus contemplandam, tum ſeveritatem DEI, tum benignitatem. Per ſeveritatem intelligo judicium DEI contra immorigeros, juſtiſſimum quidem illud, maximè tamen formidandum: benignitatis autem nomine intelligo gratuiti favoris DEI effecta omnia optatiſſima, quæ gratioſè confert dilectis, quæque electis DEI & fidelibus ſummè & præ rebus omnibus aliis & expetenda & conſervanda ſunt: *in eos quidem qui ceciderunt, ſeveritatem, in te verò benignitatem*, utramque & ſeveritatem DEI et benignitatem illuſtrat Apoſtolus ſuo ſubjecto ſeu objecto in quod fertur, quod ſeveritatis quidem notatur eſſe gens *Judæorum* qui exciderunt radice ſuâ, benignitatis autem quiſque è *Gentibus* qui CHRISTUM eſſet amplexus fide. *Si permanſeris in benignitate*: ἐπανορθωσις eſt, quâ corrigit id quod proximè dixit de benignitate DEI in *Gentes*, admonetque eam

eam benignitatem Dei non diutius gentibus continuandam, quàm gentes in eâ benignitate sint permansuræ: permanere autem in benignitate Dei (sicut hoc loco Apostolus utitur benignitatis nomine) est per fidem servatam in Christo persistere, propter quem & in quo Deus factus est benignus *Gentibus*, sicut olim *Israelitas* elegit in eodem præ omnibus *Gentibus. Deut.* 7. 7. 8. Unde 2 *Tim.* 4. 7. hic idem Apostolus jam morti proximus sibi in Domino gratulatur de servatâ fide: obiter autem & hoc hîc notandum est, quòd non vocet in quæstionem Apostolus perseverantiam verè fidelium in verâ fide, eam enim ipse docet certam esse à Deo; nam qui semel in Christo per fidem, si de singulis loquamur, illi semper in Christo manent, sed omnes *Gentes*, tanquam unum hominem, compellans admonet non diutius ipsas fruituras benignitate Dei quam ipsi manerent in statu eorum quos benignitate prosequitur Deus; nam quanquam verum sit, si de singulis loquamur, quod qui semel in benignitate Dei, semper sint in ea permansuri; non tamen verum est id de totâ aliquâ gente, quia quæ jam profitetur fidem Christi, postea possit eâdem excidere, id quod videre est in insignibus illis, Apostolorum tempore, orientis Ecclesiis: *alioquin & tu excideris.* Confirmatio est ἐπανορθωτε & à contrario, excident *Gentes* benignitate Dei in quâ nunc stant, si non permanserint: ergo benignitas erga *Gentes* conditionalis est & ipsis permansura si ipsi permanserint in benignitate.

23. *Sed & illi si non permanserint in infidelitate inserentur.* Altera ἐπανορθωσις est qua corrigit id quod dixit in consectario de severitate Dei contra *Judæos*, nempe

nempe, fore ut ipsi quoque liberentur & inserantur denuo suæ radici, si non permanserint in incredulitate suâ, quod ipsum similiter non de singulis *Judæis* reprobis accipiendum, nam decretum reprobationis etiam immutabile est, sed hoc accipiendum est de gente, quæ cum hanc scriberet Epistolam Apostolus, obstinate pergebat in incredulitate, ideoque experta est severitatem DEI: quâ admonet liberandam *Judæorum* gentem si in incredulitate ipsi non perrexerint: *potens enim est Deus rursum eos inserere.* Confirmat proximam ἐπανορθωσιν argumento ducto à potentia DEI, ubi DEUM intelligit factum eorum DEUM ex fœdere cum patribus, alioqui enim non valeret argumentum à posse ad esse, seu à posse inser ad inseri, seu actu futuram insitionem; potest enim DEUS, quæ nec vult facere, nec ullo unquam tempore facturus est, ut *Mat. 3. 9. Potest DEUS etiam ex lapidibus istis excitare liberos Abrahamo*, quod tamen nec vult, nec unquam facturus est: verum quæ potest bona conferre suis ea conferet pro bona voluntate suâ, quare à potentiâ DEI, in CHRISTO reconciliatos, probat Apostolus inserendos denuo snæ radici *Judæos*, quotquot non permanserint in infidelitate.

24. *Etenim si tu ex naturali exsectus es oleastro & præter naturam insitus es in veram oleam, quanto magis ii, qui naturales sunt inserentur propriæ oleæ.* Probat posse DEUM *Judæos* rursum inserere, comparatione secundæ insitionis ipsorum cum primâ illâ *Gentium*: si DEUS potuit *Gentes* inserere radici *Judæorum* multo magis poterit *Judæos* suæ iterum radici inserere; at prius, ergo & posterius: à minori argumentum est, & propositio

propositio in Textu est, quam probat Apostolus comparatione *Gentium* & *Iudæorum* dissimili item insitionis *Iudæorum* & *Gentium*: *Gentes* erant rami translati ex oleastro, at *Iudæi* erant veræ oleæ proprii & naturales rami, deinde *Gentes* præter naturam inseruntur alienæ oleæ, at *Iudæorum* insitio erit ut naturalium ramorum in propriam oleam; Si ergo potuit Deus *Gentes* inserere radici *Iudæorum*, multo magis ipsos *Iudæos* poterit inserere suæ ipsorum radici.

25. Quartum argumentum quo probat Apostolus *Iudæos* revocandos ad Deum salutis suæ: argumentum sumptum est à contrario & adjuncto contrarii: contrariâ revocationi est obduratio *Israelitarum*, & obdurationis adjunctum in duobus hîc propositum est. Primùm, ex parte est, deinde, ad tempus est: hinc igitur sic ratiocinatur Apostolus, qui ex parte duntaxat, & ad tempus tantùm rejecti sunt seu obdurati, illi revocandi sunt suo tempore: at *Israelitæ* ex parte tantùm & ad tempus definitum rejecti sunt; Ergo suo tempore sunt revocandi. *Nolim enim vos ignorare fratres mysterium hoc.* Assumptionem proximi Syllogismi, nempe, quòd ex parte & ad tempus obvenit *Israeli* obduratio, Primùm illustrat Apostolus à suo genere: mysterium est & res nota non nisi quibus divinitus revelata est, deinde mysterium hoc & divinitus revelatum arcanum confirmat adjunctâ Apostolicâ authoritate eaq; (ad *Gentes* movendas magis) exornatâ optatione rhetoricâ. Ego *Paulus* & Apostolus & Propheta Novi Testamenti hoc vobis *Gentibus* annuntio tanquam mysterium & arcanum divinitus mihi revelatum, quod nolim vos quoque *Gentes* ignorare, nempe quòd *Israeli*

obvenit

obvenit obduratio ex parte & ad tempus, Ergo ita vobis ſtatuendum eſt, & Apoſtolicâ authoritate ſciendum, quod *Iſraeli* ex parte & ad tempus obduratio obvenit *(ne ſitis apud vos met ipſos ſapientes)* obiter & in parentheſi inſerit rationem ob quam myſterium iſtud ipſis revelârit & cur *Gentes* ipſum ignorare nolit: Argumentum petitum eſt à fine: ſic, ideo hoc vobis annuntio *Gentibus* myſterium & ignorare nolim ne ſitis vos veſtro ipſorum Judicio ſapientes, hoc eſt, ne contra mandatum IESU CHRISTI *Mat.* 11. 29. et contra naturam Euangelii 1 *Cor.* 8. 2. vel ipſi qui è *Gentibus* ad CHRISTUM vocati ſuperbiatis illâ cognitione CHRISTI, vel *Iudæis*, ut CHRISTUM ignorantibus inſultetis, *obdurationem ex parte Iſraeli eveniſſe.* Hæc ipſa aſſumptio eſt Syllogiſmi, quam verbis proximè præcedentibus Apoſtolus & amplificavit & confirmavit: Aſſumptio hæc eſt duarum partium. Prior eſt hæc, obduratio obvenit *Iſraeli* ἀπὸ μέρους & ex parte tantum: hæc obduratio ex parte duntaxat, opponitur univerſali defectioni more ὑπεναντίων & ſubcontrariorum: *Iudæi* enim obdurationis tempore obdurati ſunt, non καθ' ὅλου & univerſaliter, ſed ex parte tantum, & ita ut electi remanſerint non obdurati, cum reliqui ab electione occalluerint, ut ipſe loquitur ſupra hoc ipſo *Cap. ver.* 7. & confirmavit, tum ſuo ipſius exemplo, tum ſimili comparatione temporum *Eliæ* primis ſex verſibus: quare ex hoc loco comparato cum illâ ejuſdem hujus Apoſtoli Prophetiâ de futurâ *Gentium* defectione, ubi dicitur, non venturum diem ſecundi adventus IESU CHRISTI, niſi venerit priùs defectio etiam *Gentium*, vult Apoſtolus, quod ad ipſam etiam defectionem attinet

tinet, meliorem ostendere conditionem esse *Iudæorum*, quàm *Gentium*, quarum similiter defectionem futuram prædicit, nec addita quidem vel nota partis, & ἀπὸ μέρους, quâ tamen prædictione universalis defectionis *Gentium* non vult Apostolus innuere nullos superfuturos electos DEI in *Gentibus* sub Antichristo : nam dum postea prædicit ibidem. 2 *Thess.* 2. Conficiendum denuo Antichristum spiritu oris CHRISTI, prædicit certè in electis *Gentium*, toto tempore tenebrarum Antichristi superfuturam & reservatam iri partem per quam suo tempore, resuscitatâ per DEI Spiritum flammâ, Antichristus conficiendus sit pedetentim, donec illustri adventu ipsius DOMINI aboleatur : quamobrem comparatio hîc est non singulorum è *Gentibus*, sed singularum *Gentium* cum singulis *Iudæis*, & sensus Apostoli est, eo usque processuram defectionem *Gentium* sub Antichristi tyrannide & tenebris, ut nulla in *Gentibus* fuerit gens integra & tota quæ puram conservaret Euangelii lucem, cum contra in Gentis *Iudæorum* defectione remanserint & multi *Iudæi* filii lucis & aliqui etiam sinceri præcones Euangelii in quibus ipse se profitetur Apostolus hîc primo versu hujus capitis, & nostris diebus vidimus Immanuelem *Tremellium* : ex proposito autem sic instituit comparationem Apostolus & hîc exprimit notam partis ἀπὸ μέρους dum loquitur de obduratione *Iudæorum*, quam omisit prædicens *Gentium* defectionem, ut reprimat magis (quòd hujus loci institutum est) *Gentium* insultationem adversus *Iudæos*. *Tantisper dum plenitudo Gentium introiret*. Altera pars assumptionis est, cujus sensus hic, obvenit *Israeli* obduratio, non in secula aut ad finem usque, sed ad

partem

partem futuri temporis definitam, eamque Apoſtolus hîc definit ſuo ſubjecto, introitu plenitudinis *Gentium*, hoc eſt, acceſſu omnium *Gentium* ſeu electorum ex ſingulis *Gentibus* ad IESUM CHRISTUM Servatorem ſuum per evocationem Euangelii: quem introitum ſeu acceſſum *Gentium*, *Mat.* 24. 14. prædicit DOMINUS anteceſſurum finem, & ipſius ſecundum adventum, adeo ut myſterium quod hîc *Gentibus* enunciat Apoſtolus hoc ſit, definitum eſſe DEO numerum quem ille ex omnibus *Gentibus* vocaturus ſit prædicatione Euangelii regni, ad hoc ut participes fiant gratiæ in CHRISTO, qui quidem ex *Gentibus* evocati etſi in ſe quidem non populus & populus contumax ſint, fient tamen populus DEI ductus per Euangelium ad obedientiam fidei, ut eorum exemplo *Judæi* uſque ad *Gentium* plenitudinem obdurati, ad æmulationem provocentur. *Deut.* 32. 21. & ſupra 10. 19. 11. 14. quarum quidem *Gentium* plenitudine introducta, dicit Apoſtolus finem futurum & ceſſaturam etiam *Judæorum* obdurationem, & *Judæos* revocandos, ita ut totus *Iſrael* ſervetur, ſicuti ſubjicit verſu inſequenti.

26. *Et ita* &c. concluſio eſt Quarti Argumenti, quo confirmat Apoſtolus *Iſraelis* revocationem, cujus aſſumptio confirmata fuit *verſu* proximo præcedenti, quæ eadem etiam antecedens eſt enthymematis illius, quod anteceſſit *Cap.* 10. *ver.* 1. ut ibi notatum: quare concluſio hæc, ſumma eſt totius diſputationis, quæ à principio Capitis decimi hactenus fuit de recolligendis *Iſraelitis*: Ergo totus *Iſrael* revocabitur ab obdurationе præſenti & recolligetur ad DEUM ſalutis ſuæ, ſed pro utrâque hâc & revocatione & recollecti-

one

one quæ concludenda fuit ponitur salus, effectum, *viz.* efficacis & revocationis & recollectionis; dicitque Apostolus, *Et ita totus Israel servabitur.* Hoc est, revocatus ad Deum salutis suæ per Euangelium & remoto obdurationis spiritu, *Israel* non immorigerus vocationi Euangelicæ cum *Gentibus* introductus, particeps fiet salutis Dei: totus *Israel.* In hac conclusione opponitur totus *Israel* parti *Israelis*: sed utrius quæstio est; utrum istius de quo isthic disputari videtur, vide supra *Cap.* 2. 28. an illius qui in spiritu *Israel* & *Judæis* & *Gentibus* fidelibus congregatus. De utroque accipi potest: priori quidem ita, ut pars *Israelis* sit manipulus servatorum tempore obdurationis & factus reliquus Deo in *Israele κατ' ἐκλογὴν*, & secundum electionem gratiæ ipsius separatus ipsi à multitudine pereuntium, qui quidem pereuntes propter multitudinem suam ipsi sibi nomen vendicant gentis *Israeliticæ* & totius populi, sic septem illa millia *Israelitarum* qui non flexerunt genu *Baali* in *Eliæ* diebus cum multitudo pleraque & corpus illius *Prophetas* occidisset, & Jehovæ populi *Achabi* imperio & defectione à Jehova defeciissent, altaria suffodiissent, fuerunt pars *Israelis* supra *vers.* 4. &c. sic *Pauli* tempore numerus ille *Judæorum*, perpaucus quidem, qui pleraque multitudine deficiente & abnegante Iesum Christum, ipsi tamen sunt Christum amplexi, quapropter ab Apostolo dicuntur populus Dei quem Deus non abjecit supra 1, 2. is inquam numerus *Judæorum* perpaucus pars dicitur *Israelis*, cui parti si hîc opponamus quod dicit Apostolus, *totus Israel servabitur*, totus *Israel* erit pleraque multitudo gentis & corpus populi illius Dei

veteris

veteris, ex *Iſraele* orti: eritque ſenſus hic, quod ante finitum Euangelii miniſterium & ante ſecundum adventum CHRISTI futura ſit efficax Euangelii prædicatio, non modò ad introducendas ad Chriſtum *Gentes*, ſed *Gentibus* introductis per vocationem Euangelii etiam efficacem fore illam prædicationem ad introducendos *Iſraelitas*, ita ut quemadmodum aliqui DEO reſervati per electionem gratiæ agnoverunt CHRISTUM DOMINUM in diebus *Pauli*, ita *Gentium* introductâ plenitudine, pleraque multitudo populi illius *Iſraelitici* ſit revocanda ad DEUM ſalutis, per Euangelium, & IESUM CHRISTUM, quem prius, hoc eſt, obdurationis tempore abnegavit profeſſura ſit & agnitura ſimulque adimpletam prædictionem benedicti ſeminis factam *Abrahamo* ipſorum patri: iſta iſtius loci interpretatio ad præſentis diſputationis ſcopum appoſitiſſima eſt, ſed quia nondum cernitur illa *Iſraelitarum* revocatio κατα πληθος & multitudinis reſpectu, plerique locum aliter exponunt & accipiunt hoc quod dicit Apoſtolus, *Totus Iſrael ſervabitur.* de *Iſraele* in ſpiritu & de *Iſraelitis* etiam ſecundum carnem, quicunque crediderunt, quocunque tempore, ſive defectionis, quale illud *Achabi*, & *Pauli* fuit, ſive etiam liberæ profeſſionis, quale illud *Davidis* fuit, ſive etiam reformationis, quale illud *Tzidkijæ* & *Joſiæ* fuit; ut ſenſus ſit, *Gentibus* per Euangelium aggregatis ad populum DEI, id eſt, ad *Iſraelitas*, quicunque *Iſraelitæ* ſunt & in ſpiritu & ſecundum carnem *totus Iſrael*, ille nimirum in ſpiritu, qui electis conſtat è *Judæis* & *Gentibus*, ſervabitur in ſecundo adventu CHRISTI, eſt itaque iſtud fundamentum myſterii revocationis *Judæorum* jam ſub Euangelio

Euangelio, quod quemadmodum incognitum fuit *Judæis*, ut plurimum sub lege, quo modo fuerunt *Gentes* vocandæ, sic sub Euangelio incognitum sit *Gentibus* quo modo *Israelitæ* sint revocandi, an ad fidem, ipsum corpus populi, durante ministerio Euangelii, an electi cum *Gentibus* ad salutem tantum, in secundo CHRISTI adventu: hoc posteriori modo si locus accipiatur, non erit ista conclusio proximi Syllogismi, sed potius consectarium ex eâ illatum sic, *& ita*, hoc est, introductis *Gentibus* & ad *Iudæos* revocatis, hoc est, reservatis secundum electionem aggregatis totus *Israel* in spiritu ex *Israelitis* & *Gentibus* congregatus servabitur: sed prior expositio verisimilior, utpote quæ & proposito Apostoli magis convenit & magis confirmatur authoritatibus Scripturæ subjectis. *Sicut Scriptum est*: Conclusionem hanc quarti Argumenti de revocatione *Israelitarum* ad salutem, quia longæ disputationis conclusio est à principio *Cap.* 10. huc usq; continuatæ, Apostolus eam corroborat authoritatibus Scripturæ, ad nos docendos, quòd in Religionis negotio, nihil efficiant quæcunque alia allata argumenta, nisi & ipsa & conclusio ex ipsis superstruantur scripto Dei Verbo, adeo ut αὐτὸς ἔφη &, ipse DEUS dixit, in Theologiâ obtineat locum primi principii & ἀναπόδεικτος indemonstrabilis: Præterea vult istud nos hinc monere Apostolus, quòd verbum illud cui fides inniti debet, quòd indubitanter habendum pro Verbo DEI sit illud duntaxat, quod ab amanuensibus Dei, Prophetis & Apostolis est scripto proditum: ideoque Verbum Dei allegans pro doctrinæ suæ confirmatione, ait, sicut scriptum est: testimonium Scripturæ unicum est, sed è duobus *Esaiæ*

locis

locis compactum: nam hoc ſolenne huic Apoſtolo, è variis Prophetarum locis in unum compactis, unum conficere teſtimonium; Sic ſupra *verſ.* 8. è duobus conjunctis locis *Eſaiæ*, unum attulit teſtimonium ad probandam *Iſraelis* obdurationem: ſic hîc ad ejuſdem *Iſraelis* revocationem ad DEUM ſalutis ſuæ confirmandam, è duobus *Eſaiæ* locis confecit unum teſtimonium *veniet ex Sion ille liberator & avertet impietates à Jacob.*

27. *Et hoc illis à me fœdus* (prior locus eſt ex Ieſaia 59. 20, 21.) *cum abſtulero peccata ipſorum.* Alter locus ex *Eſaia.* 27. 9. ex quo utroque loco duo hæc confirmat Apoſtolus authoritate Prophetæ, Primùm quòd CHRISTUS, veniens in carnem, ſit, non *Gentibus* duntaxat, ſed *Iſraeli* potiſſimùm iniquitates amoturus, ita ut ipſe illi populi ſit agnoſcendus vindex & redemptor: quod cum non fuerit factum, CHRISTO ſtatim veniente, & Euangelio primùm publicato, propter obdurationem illius populi, quæ, ut ſupra monuit, obvenit *Iſraeli* propter *Gentes* introducendas, colligit Apoſtolus beneficium illud à CHRISTO in *Iſraelitas* poſtea collatum iri, eoſque, quanquam jam obduratos, poſtea tamen revocandos ad CHRISTUM, pro remiſſione peccatorum in ipſo, eamque revocationem tum demum futuram, poſtquam fuerint introductæ *Gentes*, pro quibus introducendis *Iſraeli* obvenit obduratio: Alterum quod ex his locis colligit Apoſtolus eſt hoc, quod fœdus DEI in CHRISTO ſit futurum cum *Iſraele* poſtquam collatum fuerit illud prius beneficium, & DEUS in CHRISTO abſtulerit peccata ipſorum, maximèque omnium, peccatum illud obdurationis

nis & rejectionis CHRISTI; adeo ut sensus utriusque loci sit hic, quanquam nunc, obdurato *Israele*, convertamus nos ad *Gentes* diceret Apostolus, uti dicit *Act.* 13. 46. iisque prædicemus CHRISTUM ad remissionem peccatorum, futurum tamen est aliquando, introducta nempe plenitudine *Gentium*, ut totus *Israel* CHRISTUM recipiat, ut, sicuti *Gentes*, sic ipse in CHRISTO remissionis peccatorum fiat particeps, quod cùm factum fuerit, ut nunc cum *Gentibus* est fœdus DEI in CHRISTO, sic tum erit illud ipsum cum *Israele*: hunc sensum verbis apertissimis confirmare videtur Apostolus, 2*Cor.* 3. 15, 16. ubi de *Israele* suo ævo loquutus, ait, *Ad hunc usq; diem, cùm legitur Moses, velamen est cordi ipsorum impositum, quando verò sese converterit ad Dominum, tolletur velamen illud*: Quibus verbis hæc duo videtur asserere Apostolus. 1. Quòd obdurverint *Israelitæ*, & velamen sit cordi ipsorum impositum tunc cùm ipse prædicaret, ut nimirum occasio daretur sic introducendis *Gentibus*. Deinde, quòd ipsi illi *Israelitæ* sint tandem aliquando postea ad DOMINUM convertendi, quo tempore cessaret ipsorum obduratio & tolleretur velamen.

28. *Itaque*, &c. Consectarium est conclusioni ultimæ de revocando *Israele* ad Deum subjectum, ut hinc Apostolus reprimat *Gentium* insultationem adversus *Israelitas*, contra quam in proximâ disputatione multis egit θεολογικῶς *vers.* 17. & sequentibus: ut itaque proximis duobus *vers.* concluso fuit, revocandum *Israelem* totum ad DEUM salutis suæ, sic isto *vers.* vult Apostolus concludere quòd *Gentes* non debeant glo-

riari adverſus *Iſraelem*, ne hoc ipſo quidem tempore obdurationis ipſius: Conſectarii duæ partes ſunt, *quod ad Euangelium attinet ſunt inimici propter vos.* In priore admittit quidem *Iſraelitas* eſſe DEO inimicos, ſed id mitigat & emollit dictum, primum quod Deo ſalutis ſuæ non ἁπλῶς & animo inimici ſunt, ſed κατὰ τι & quod ad Euangelium attinet: Deinde fine, quod nimirum DEO hoſtes ſunt, propter ipſas *Gentes*, id eſt, ut *Gentibus* communicaretur Euangelium Regni, & in iſto fine potiſſimum eſt vis argumenti, ſic, *Iſraelitæ* non ſunt DEO inimici, niſi quod ad Euangelium attinet, & propter vos, ut vobis Euangelium poſſit prædicari; *Iſraelitis* igitur vos *Gentes* ne inſultate, quanquam DEO inimicis: Hæc prior pars conſectarii infertur partim ex diſputatione præcedente Proleptică *verſ.* 11. ubi dicitur (quod per *Iſraelis* lapſum ſalus obtigit *Gentibus*) partim ex quarto argumento & *verſ.* 25. ubi dicitur *quod obduratio evenit Iſraeli tantùm ex parte & tantiſper, dum Gentium plenitudo introiret.* Sic igitur arguit Apoſtolus, Evenit obduratio *Iſraeli*, ut per *Iſraelis* lapſum ſalus obveniret *Gentibus*, & ex parte & tantiſper dum *Gentium* plenitudo introiret, Itaque *Iſraelitæ* inimici ſunt propter vos *Gentes* tantùm, quod ad Euangelium attinet. *Quod ad electionem autem, diliguntur propter patres.* Secunda pars conſectarii ex tertio argumento & *verſ.* 16. præcedente illata, r dix *Iſraelis* ſancta, Ergo ipſe *Iſraelis* ſanctus & dilectus DEO: Unde proſyllogiſmo progreditur Apoſtolus ſic, Dilectis DEI non eſt inſultandum, *Iſraelitæ* etiam nunc ſancti ſunt & dilecti DEO; *Iſraelitis* igitur non debent *Gentes* inſultare;

Hæc

Hæc autem dilectio, quâ *Israelitæ* sunt Deo dilecti, causâ suâ explicatur, quæ est gratuita Dei electio, *Deut. 7. 6. Jehova Deus tuus elegit te sibi supra omnes populos, qui sunt in universâ terrâ.* Hæc electio causa dilectionis est ut ibidem dicitur, *vers.* 7, 8. & ipsa ista electio explicatur deinde subjecto suo, qui patres fuerunt *Israelitarum*, Deus elegit patres *Israelitarum*, & ipsos *Israelitas* in patribus suis, Ergo *Israelitæ* propter electionem in patribus sunt dilecti.

29. *Nam dona & vocatio Dei hujusmodi sunt*, &c. Consequentiam probat proximi Enthymematis, quod nimirum maneat superstes adhuc genti *Israeliticæ* dilectio Dei, quia Deus elegit patres & ipsam in patribus, Argumentum sumptum est ab immutabilitate donorum Dei, tum eorum, quæ confert Deus peculiariter per suum Spiritum in suos, tum efficacis vocationis, per quam ipsis innotescunt illa dona, sic, Deum suæ electionis quâ suos elegit, dilectionis, quâ suos diligit, aut illius doni quod peculiariter in suos confert, pœnitere non potest, ut nec efficacis vocationis quâ evocatos è mundo suos, ad se vocat, ipsisque facit innotescere sua dona, vel quod idem est & ut paucioribus rem efferam, electio, dilectio, efficax vocatio, dona sunt adeo immutabilia, ut in quos semel conferuntur ab iis nunquam postea auferantur: at *Israelitas* Deus in patribus ipsorum elegit, dilexit & efficaciter vocavit, ut essent sibi populus, manent ergo electio, dilectio & efficax vocatio cæteraque id genus dona Dei genti *Israeliticæ* reliqua cum Deo, vel quod idem est, *Israelitæ* etiam adhuc manent propter electionem in patribus dilecti: Hinc igitur veniunt nobis observandi

duo, Prius, quòd hæc mens Apoſtoli ſit, gentem *Iſraeliticam*, ex quo ſemel in patribus electa, dilecta, efficaciter ad DEUM vocata eſt, nunquam poſtea à DEO rejectam aut rejiciendam, ſed ſemper manere populum DEI in reliquis electis, ut *Eliæ* & *Pauli* diebus, & diebus futuræ revocationis ipſorum: eſtque hoc id quod expreſſè aſſerit Apoſtolus ſupra, *verſ.* 2. *Non abjecit DEUS populum ſuum, quem præcognovit.* Alterum quod hîc obſervandum venit hoc eſt, quòd obdurati & Apoſtatæ in gente *Iſraeliticâ*, quanquam ſæpè fuerint pleraque multitudo illius populi, ut à *Pauli* diebus in hunc diem manent; tamen ex mente Apoſtoli nunquam ſunt cenſendi gens *Iſraelitica*, ſed ſicut ſupra loquutus eſt, rami ex trunco *Iſraelis* arefacti, & per infidelitatem ſuam defracti.

30. His *verſ.* duobus continetur quintum argumentum, quo probat Apoſtolus *Judæos* revocandos ad DEUM ſalutis ſuæ. Argumentum eſt à fine apoſtaſias ſeu defectionis *Iſraeliticæ*, *Iſraelitæ* non paruerunt DEO, ſed defecerunt, in hunc finem ut ipſi poſtea conſequerentur miſericordiam. Ab hoc fine ſic arguit Apoſtolus. Quicunque eo fine fiunt contumaces, ut poſtea miſericordiam conſequantur, illi conſequentur: Hæc propoſitio ἀυτοπιστ seu per ſe manifeſta omittitur: Aſſumptio illuſtratur comparatis: quemadmodum *Gentes* prius DEO immorigeræ & non obſequentes, poſtea miſericordiam ſunt conſequutæ, ſic *Iſraelitæ* nunc immorigeri & inobedientes Euangelio, iterùm miſericordiam conſequentur ad obedientiam Euangelii, & participationem ſalutis in IESU CHRISTO, Ergo *Iſraelitæ* facti contumaces miſericordiam conſequentur, & revocandi ſunt

ad

ad DEUM salutis suæ. *Sicut autem & vos quondam non paruistis Deo.* Protasis est & pars prior similitudinis quæ duo continet. 1. Defectionem *Gentium: Gentes* non paruerunt DEO. 2. Eventum defectionis: Quod ad priorem & *Gentium* apostasiam, ipsa illustrata est adjuncto temporis (*quondam*) hoc est, à conditâ turri Babylonicâ usque ad ἐνσαρκωσιν seu incarnationem Filii DEI, *nunc estis misericordiam consequuti.* Hoc alterum est quod protasi comprehenditur, & eventus apostasias *Gentium*, *Gentes* post defectionem suam ad definitum tempus, sunt consequutæ misericordiam. *Per istorum contumaciam.* Misericordiam *Gentium* & eventum defectionis ipsarum illustrat Apostolus adjunctâ suâ occasione, quæ fuit contumacia *Judæorum*, quâ nimirum rejicientes Euangelium *Judæos* DEUS deseruit, translata ad *Gentes* oblatione gratiæ per Euangelium.

31. *Sic & isti nunc.* Apodosis est & pars altera similitudinis, seu Syllogismi Assumptio, quæ similiter duo continet, Primum apostasiam *Israelis*, *isti*, nempe *Israelitæ* non parent DEO, quæ ipsa similiter temporis adjuncto illustratur, illi non parent DEO, *nunc*, hoc est, veniente CHRISTO & sub Euangelio revelato usque ad introductam plenitudinem *Gentium*, *Ut per vestram misericordiam & ipsi misericordiam consequantur.* Alterum hoc, quòd in apodosi continetur, finis nempe seu eventus apostasias *Judæorum*, misericordia nempe consequenda, quæ suâ adjuncta occasione illustratur: *Israelitæ* revocati consequentur misericordiam per misericordiam ipsarum *Gentium*: *Gentium* autem misericordiam intelligo hanc quam ipsæ ve-

niente Euangelio consequutæ sunt, occasione obdurationis *Israelitarum*, hoc est, gratiam quam acceperunt ad credendum Euangelio prædicato, & amplectendum IESUM CHRISTUM oblatum eâ prædicatione ad justitiam & vitam; cujus quidem gratiæ exemplum cernimus *Antiochiæ*, *Act.* 13. 48, 49. ubi *Judæis* obloquentibus & præ indignatione ringentibus, *Gentes* audiunt, & audito gaudent, & præ gaudio laudibus efferunt sermonem DEI, ita ut per totam regionem ab iis personet & perferatur hæc eadem gratia adhuc in *Gentibus* credenda. Per hanc gratiam seu DEI misericordiam in *Gentes* collatam dicit Apostolus *Judæos* misericordiam consequuturos, ubi tempus venerit revocationis ipsorum & misericordiæ consequendæ, quia per hanc misericordiam DEUS suo tempore *Judæos* provocaturus est ad æmulationem, hoc est, ad amplectendam eandem cum *Gentibus* misericordiam; qui finis est misericordiæ in *Gentes* collatæ supra in *vers.* 11.

32. *Conclusit enim* DEUS, &c. Sextum est & ultimum argumentum, quo probat Apostolus *Israelitarum* revocationem, à fine DEI concludentis sub contumaciâ, qui hic est, ut ipse ipsorum qui contumaces sunt misereatur, & hinc Apostolus sic argumentatur: Quoscunque DEUS sub contumaciâ concludit, ut ipse ipsorum misereatur, illi misericordiam consequuturi sunt & revocandi ad DEUM salutis suæ: at DEUS concluſit sub contumaciâ omnes, *i. e.* non modo *Gentes* olim, sed jam *Judæos* quoque, ut ipse omnium, *i. e.* non modò *Gentium*, sed ipsorum etiam *Judæorum* misereatur, Ergo ut *Gentes* consequutæ sunt misericordiam, & introductæ per Euangelium, sic *Israelitæ* misecordiam

ricordiam consequuturi sunt & revocandi ad Deum salutis suæ; sola Assumptio in Textu ponitur, quia reliqua manifesta sunt: Conclusio autem illa, quâ Deus omnia concludit sub contumaciâ, est efficax operatio Dei, secundum æternum suum decretum, quâ per infinitam suam sapientiam & scientiam efficit, ut omnes non modo in *Adamo* per ipsius lapsum, sed etiam postea, *Gentes* primùm, *Judæi* deinde, ita contumaces evaserint, ut ipse Deus semper justissimus maneat, adeoque ipsa justitia sit, ut nullatenus ipse sit contumaciæ aut peccati, vel *Gentium* vel *Judæorum* author, quatenus peccatum est, sed quâ utrorumque contumaciam efficit medium suæ misericordiæ in Jesu Christo manifestandæ, quam quicunque contempserint vel è *Judæis* vel è *Gentibus*; illi, ut qui ad eum contemptum præordinati, sint in æternum perituri ad gloriam justitiæ ipsius in judicio: quam utramque & misericordiam & justitiam Apostolus proposuit nobis contemplandam supra *vers.* 22. cùm admonet quemque, dicens, *vide igitur benignitatem & severitatem Dei*, quemadmodum etiam *vers.* insequenti admiratur sapientiam, cognitionem, & Justitiam Dei in benignitate & severitate, seorsim relucentem.

33. Hinc ad finem *Cap.* sequitur conclusio epiphonematica disputationis de defectione *Israelitarum*, vocatione *Gentium*, & *Israelis* revocatione introductâ *Gentium* plenitudine, quæ à principio Capitis noni huc usque continuata est: Epiphonematis autem duæ partes sunt, Prima continet assertionem sapientiæ divinæ, scientiæ divinæ, & divinæ justitiæ in omni administratione suâ *vers.* hoc 33. Assertio hæc est, Deus ipse est

ipsa

ipsa sapientia, ipsa cognitio & ipsa justitia; Hæc autem Assertio exornatur geminâ exclamatione, quâ in Deo Apostolus admiratur sapientiam, scientiam, & justiam. *O profundas divitias tum sapientiæ, tum cognitionis DEI!* Prior exclamatio est, quâ & exaggerat & miratur Dei, tum sapientiam, tum scientiam: Exaggerat autem duobus modis; absolutè, dum ponit divitias sapientiæ & divitias scientiæ, pro sapientiâ & scientiâ Dei, quâ exaggeratione notare vult, Deum ipsum sapientiæ divitem, scientiam autem Dei esse divitias scientiæ, adeoque Deum divitem scientiæ. Sic enim solet alibi Apostolus exprimere Dei essentialem scientiam, ut *Colos.* 2. 3. ubi dicit quòd omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis sint absconditi in CHRISTO, quemadmodum in ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, ut ibidem dicitur *vers.* 9. comparatè autem exaggerat Dei hanc scientiam & sapientiam, dum dicit divitias sapientiæ ejus, divitias scientiæ ejus profundas esse, & quasi sapientiæ & scientiæ abyssum, tam Angelo quam homini, adeoque omni creaturæ imperveſtigabilem, quid enim sit tam in Angelo, quam in homine novit Deus, nec opus habet, quis dicat ipsi, *Ioan.* 2. 25. at in immensam sapientiam ejus, & scientiā ejus non potest penetrare vel homo vel angelus; miratur deniq; exclamando, *O profundas divitias quam inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus viæ imperveſtigabiles.* Per judicia Dei intelligo divinæ mētis consilia, & prima effecta sapientiæ & scientiæ, maximè autem accommodata ad concludendum omnes sub contumaciâ, ut omnium misereatur Deus; Per vias autem intelligo divinæ mentis executiones, & secunda effecta

sapientiæ

sapientiæ & scientiæ Dei, maximè in concludendo omnes sub contumaciâ, ut omnium misereatur Deus. Est itaque ista secunda exclamatio, quâ Apostolus cum sanctâ admiratione asserit & consilia Dei & executiones consiliorum, sive in concludendo sub contumaciâ, sive in miserendo, ita esse homini inscrutabilia, ut quanquam homo nequeat rationem videre, semper tamen sint justissima & sapientissima.

34. *Quis enim cognovit mentem Domini*, &c. Testimonio Scripturæ ex *Isaiæ* 40. 13, 14. confirmat priorem partem assertionis suæ, nimirum profundas esse supra omnem creaturam divitias & sapientiæ & cognitionis Dei. Producit enim Apostolus Prophetam, & interrogando urget omnem creaturam negatione penetrationis in mentem DEI, cùm enim dicit, *Quis enim cognovit mentem Domini, quis fuit ei à consilio?* Extorquere vult omnibus Angelis & hominibus confessionem, quod nullus. Ita igitur ex Prophetâ arguit Apostolus: nemo vel Angelus vel homo penetravit unquam cognitionem mentis Dei, aut ipsi à consilio esse potuit in rebus gerendis, admirandæ igitur sunt divitiæ & sapientiæ & cognitionis Dei.

35. *Aut quis prior dedit ei, & reddetur ei.* Probat quod dixit supra *vers.* 35. in alterâ parte exclamationis, Deum esse justissimum adeoque ipsam justitiæ regulam in omnibus suis, & consiliis & consiliorum executionibus, quanquam consilia ejus sint inscrutabilia & viæ ejus inpervestigabiles: Argumentum ductum est à definitione justitiæ, nam justitia posita est in reddendo quæ prius data sunt: etenim justitiæ est, danti δικαίως & prout postulat æquitas reddere. Cujus justitiæ cùm

duæ

duæ sint species, justicia distributiva & justitia commutativa, utrique commune est quod diximus, nam distributiva nil tribuit nihil merenti, sed merenti prius distribuit, prout res postulat, præmium aut pœnas: Commutativa autem in contractu voluntario & legittimo pro re per commutationem accepta postulat dari justum pretium; Quare, cui nihil ante tributum est, uti liberrimus agens ipse nequit injustitiæ insimulari, in suis sive consiliis, sive erga alios viis & actionibus. Sic igitur arguit Apostolus: cui nemo vel Angelus vel homo aliquid dedit prius, ut reddatur danti, is nequit in suis vel consiliis vel eorum exequutionibus injustus esse, sed est justissimus, at Deo nihil a quopiam datum est, vel dari potuit, vel ab Angelo, vel ab homine prius, ut ipsi à Deo fieret redditio, Ergo nulli Deus injustus est vel Angelo vel homini in suis sive consiliis sive consiliorum exequutionibus. Assumptio in Textu est, omne præripiens meritum cuivis creaturæ, quæ duntaxat creatura sit, & ab omni vindicans injustitia Deum in suis, tam decretis vel ad vitam vel ad mortem, quàm executionibus æterni decreti: quod ipsum iste idem Apostolus respondit in eadem disputatione supra *Cap.* 9. 20, 21. *Imo vero O homo, tu quis es, qui ex adverso respondas DEO? Num dicet figmentum fictori, cur me tale feciſti? An non habet potestatem figulus in lutum suum, ut ex eâdem massâ faciat aliud vas quidem ad decus, aliud ad dedecus?* Quibus verbis asserit Deo suam justitiam, quicquid ex adverso obganniant peccatores, & ex eodem isto fundamento quòd sit liberrimus agens & debitor nulli.

36. Probat

36. Probat proximam Assumptionem, & quòd nemo dederit Deo prior, ut reddatur ipsi: Argumentum sumptum est ab effectis Dei duobus, & fine utriusque junctim. Prius effectum est Creationis, omnia sunt ab ipso efficiente. Secundum est conservationis, nam sunt per eum, ut Deum providentiæ & administratorem rerum omnium. Finis utriusque est ipsius gloria expressa his verbis εἰς αὐτον in ipsum, hoc est, propter eum & ejus gloriam, *Ipsi sit gloria.* Secunda hæc pars est Epiphonematis uti in *versum* 23. observavimus. Hæc continet celebrationem divinæ laudis, quæ hic affertur duarum partium, Una continet prædicationem, quâ Apostolus nomine Ecclesiæ totius tribuit gloriam Deo suo. *Ipsi sit gloria in sæcula:* Amplificat gloriam, quam Deo tribuerat adjuncto suo, nempe, quod in æternum & duratura sit, & debeat ab Ecclesiâ celebrari *Amen.* Altera pars celebrationis divinæ gloriæ, quæ continet agnitionem qua Apostolus nomine uniuscujusque membri Ecclesiæ approbat gloriam quam prædicavit, ut justissimè Deo suo attributam & in æternum tribuendam.

Caput

Caput duodecimum.

HActenus Isagoges hujus της ἐν Χριστῳ ἀληθειας, & compendii Christianæ Religionis pars prior fuit, in commendatione Euangelii & confirmatione hujus propositionis, quòd Euangelium sit potentia DEI ad salutem cuivis credenti; in quâ quidem confirmatione Apostolus de duobus disputavit. Primum de Justitiâ illâ quâ coram Deo homo justificatur, Deinde de vitâ illam insequente; & de utrâq; utroq; modo καταστευαστικως, ϗ ἀναστευαστικως, de justitiâ quidem, quod ea sit per fidem Euangelii à *vers.* 18. *Cap.* 1. ad 20. *vers.* 5. *Cap.* Unde ad principium Capitis octavi Objectionibus è Lege petitis respondit omnibus, quæcunque adversus illam justitiam fidei adferri possent: De vitæ autem πληροφορια & evitandæ condemnationis certitudine, quam habent, saltem inchoatam, quicunque justificantur per fidem Euangelii *Cap.* 8. disputavit, & objectionibus à populo Legis seu *Israele* κατα σαρκα petitis adversus illam vitæ viam, à principio noni Capitis ad hunc usque locum, & principium Capitis duodecimi respondit; jam deinceps sequitur pars altera Isagoges hujus, quæ tota est posita in hortatione ad vitam Euangelio dignam, seu quæ conveniat justo & vitam expectanti ex justitiâ fidei, quæ est DEI justitia in IESU CHRISTO.

1. *ADhortor igitur vos.* Hæc hortatio infertur ex præcedente doctrinâ, ut conclusio ex antecedente, aut ut effectum è suâ causâ, id quod notat Apostolus

Apostolus in principio hujus Capitis per particulam illativam ἀν *igitur*, ad nos docendos, quòd conversatio isti sæculo conformis, & sincera professio Euangelii sint ἀσυσατα & consistere nequeant, ut oporteat subducat se â conversatione hujus sæculi, quicunque secundum sinceram professionem Euangelii hîc vivat vitam novam, uti hinc speret vitam æternam, & contra, quod nondum sincerè speret vitam æternam, necdum cæperit novus homo esse, & in terris etiam vivere illam vitam Dei quæ nova vita dicitur, aut professionis sit Euangelicæ, quicunque se non subduxit à conversatione hujus sæculi: id qnod & alibi expressè dicit Apostolus, *Col.* 3. 1, 2, 3. *vers.* ubi connectit cum primâ resurrectione desiderium, & proinde spem eorum quæ nobis reposita sunt in illâ vitâ sempiternâ, & subjungit (*nam mortui estis*) & postea *vers.* 5. (*mortificate igitur*, &c.) quare, nisi mortificatus mundo, nemo potest Deo vivere aut vitam agere dignam Euangelio. Hæc altera pars Isagoges constat propositione duobus primis *vers. Cap.* duodecimi & expositione propositionis à *vers.* 3. *Cap.* duodecimi ad *vers.* 15. *Cap.* 15. & in duobus hisce primis *vers.* proponit Apostolus hanc suam hortationem ad vitam Euangelio dignam, duobus modis, τροπικῶς & per Allegoriam è Lege petitam, *vers.* 1. Deinde propriè & apertis verbis *vers.* 2. Allegorica propositio hæc est, sistite corpora vestra hostiam Deo, quam primò & argumentis suadet & amplificat. Argumenta tria sunt, quorum primum sumptum est ab efficiente causâ instrumentali, notata verbis jam citatis, Ego *Paulus* Apostolus hortor vos, sistatis corpora vestra hostiam Deo; est enim hortatio Euangelica per præcones Dei instrumentum novæ obedientiæ

quo DEus ordinariè efficit, ſui, ſua corpora ſiſtant hoſtiam DEO: quæ quidem hortatio, quandocunque conjunctam habet authoritatem Apoſtolicam, non parvi momenti eſt ad perſuadendam obedientiam: Sic igitur iſthic argueret *Paulus*, Ego Apoſtolus CHRISTI IESU, authoritate Apoſtolicâ vos hortor, ſiſtatis corpora veſtra hoſtiam DEO, Ergo ſiſtite DEO hoſtiam, corpora veſtra. *Fratres.* Secundum hortationis argumentum eſt à participatione communis gratiæ, quam notat Apoſtolus communi ſuâ & ipſorum fraternitate, Quicunque enim in CHRISTO fratres, ii etiam in CHRISTO ſimul ſunt filii DEI, & ſi filii, etiam hæredes, cohæredes cum CHRISTO, & in ipſo participes communis gratiæ: cùm igitur fratres appellat, hoc eſt, participes ejuſdem gratiæ cum ipſo per CHRISTUM IESUM, oſtendere vult quòd illa communio ſeu fraternitas in communi gratiâ perſuaderet ipſis obedientiam, efficeretque apud ipſos, ut, quemadmodum ipſe, ſic ipſi ſiſterent ſua corpora DEO hoſtiam. *Per miſerationes DEI.* Οἰκτιρμοὶ *miſerationes* duo notant: Primum effecta miſericordiæ, hoc eſt, internos affectus ex miſericordiâ promanantes, Deinde affectus illos tanquam matrum amantiſſimarum tenerrimos: Intelligit igitur Apoſtolus per miſerationes DEI hoc in loco, DEI tanquam patris amantiſſimi affectus tenerrimos (ut ita loquar ἀνθρωποπαθῶς) erga nos ſibi in CHRISTO reconciliatos, eoſque omnes à miſericordiâ divinâ procedentes. Sic enim pſaltes miſerationes Dei *Pſal.* 103. 13. *verſ.* definit, dum dicit, quòd quemadmodum pater miſeretur filiorum, ſic JEHOVA miſeretur timentium JEHOVAM: eſt itaque hoc tertium

argumentum

argumentum propositionis Allegoricæ & quæ suadet ipsis, sistant sua corpora hostiam Deo: Argumentum à fine sumptum est; sic, sistite corpora vestra hostiam Deo, per miserationes Dei, *i. e.* ut manifestum fiat, cum vestris ipsorum conscientiis, tum aliis in Ecclesiâ, misericordiæ Dei filiis, vos esse participes illarum miserationum: vel dici potest quòd hoc argumentum his verbis ductum sit ab efficiente causâ; sic, quandoquidem Deus vobis est misericors communicatione Euangelii & gratiæ ejus in Filio suo, uti ante demonstratum, atque ita se ostendit affectu esse erga vos paterno eoq; tenerrimo, *Isaiæ*, 49. 14, 15. ideo vos pro actione gratiarum propter tantum beneficium & miserationes filiorum Dei vobis communicatas in Iesu Christo, Sistite vos Deo hostiam; *Duo* hinc nota, unum, ut quis vult se ostendere, quod sit vas misericordiæ & particeps miserationum Dei, sic se offerret hostiam Deo, vivam, sanctam & acceptam. Altera observatio quòd si quis sit particeps miserationum Dei, fieri nequit quin ipse se offerat Deo hostiam: est enim ea vis miserationum Dei alicui communicatarum ut efficiant eum cui communicatæ sint Dei miserationes, se offerat Deo hostiam vivam, sanctam & acceptam. *Ut sistatis corpora vestra.* Hactenus argumenta propositionis tria, jam sequitur ipsa propositio τροπικος ut dictum enunciata. Sic, sistite corpora vestra hostiam Deo: forma loquendi Allegorica est & è Lege sumpta, nos siquidem seu corpora nostra comparamur tauris, bobus, agnis, hœdis, cæterisque animantibus quæ sub Lege Deo offerebantur, & nova nostra obedientia, quæ effectus fidei est & sanctificationis, comparatur animantium mactandorum

ſtandorum conſecrationi illi, quâ illa animantia antequam mactarentur, ſiſtebantur JEHOVÆ ad altare, adeóque ipſa imperfectæ noſtræ obedientiæ acceptatio in IESU CHRISTO, acceptationi ſacrificiorum comparatur: nam quæ multa in Lege dicuntur de hoſtiis Deo offerendis, ut umbræ erant filii Dei, qui pro noſtris tranſgreſſionibus in crucis altari oblatus eſt, ut nos Deo ſic reconciliaret; ita vetus illa & animalium hoſtia typus erat hoſtiæ poſtea Deo offerendæ in omnibus *Gentibus* per novam obedientiam & gratiarum actionem, *Mal.* 1. 11. Itaque per corpora in propoſitione hîc Synecdochicâs intelliguntur homines ipſi toti, è corpore & animâ compoſiti, nam totum hominem CHRISTUS redimit & Patri reconciliat, totum Spiritu ſanctificat, 1*Theſſal.* 5. 23. Homo igitur, non corpus duntaxat, ſed ſe totum Deo ſiſteret hoſtiam, inculpatè vivendo, quare pro toto homine Apoſtolus hîc ponit alteram partem hominis, membrum pro integro; Ratio, quòd quanquam è corde ſit, quòd hominem vel polluit vel arguit purum, quemadmodum ſcriptum eſt, *Ex abundantiâ cordis os loquitur*, & alibi quòd furta, homicidia, ſcortationes & quæcunque polluunt hominem è corde ſint; tamen in corporis actionibus potiſſimum, quia ipſæ, corporis oculis ſubjiciuntur palam, vel glorificatur Deus, vel probro exponitur ipſius nomen. *Vivam.* Tertia pars hæc hujus verſus eſt, quâ hortationis propoſitionem ſuis argumentis munitam, deinceps amplificat, & duobus modis: Primum adjunctis qualitatibus hoſtiæ offerendæ, Deinde definitione oblationis hujus quâ corpora noſtra Deo ſiſtimus hoſtiam: Adjunctæ qualitates hoſtiæ tres ſunt. Primùm, oportet ſit viva hoſtia

quam

quam offerimus Deo, Deinde sancta, Tertiò accepta. Per primam qualitatem distinguitur hæc hostia Christianorum ab illâ animantium quæ sub Lege fuit; nam quæ fuerant oblatæ bestiæ, mactabantur & proinde fuerunt mortuæ hostiæ, at nos hortatur Apostolus ita nos offeramus Deo, ut vivamus oblati: eadem qualitas, nostræ novæ obedientiæ sacrificium Eucharisticum distinguit à propitiatorio sacrificio Christi, ille enim se obtulit per mortem Deo ἐις λυτρον & ut esset nostræ Redemptionis pretium, verum quod ad nos, jubet Apostolus offeramus Deo hostiam vivam. Vitam autem hanc intelligo novam illam quæ nobis est per regenerationem Spiritus, & quæ *Gal.* 2. 20. vocatur vita Dei. Jubet itaque Apostolus attendamus nobis ipsis, studeamusque ut nos Deo offerentes sentiamus in nobis ipsis vitam Dei inchoatam & procedentem. *Sanctam.* Secundâ qualitate secernitur hostia Christianorum ab hostiis *Gentium*, in quibus & Religio & vita cum hominibus (quæ duæ partes sunt novæ obedientiæ seu oblationis hîc mandatæ) pollutionis plenissima fuit, à quâ jubet Apostolus attendant Christiani, ut sua hostia sit separata & sancta quemadmodum & *Eph.* 4. 17. ad 25. fusè obtestatur Apostolus: est enim sanctificatio, sive personæ sit, sive rei, à pollutione pereuntis mundi separatio: quæ quidem sanctificatio hostiæ seu à pollutione separatio obumbrata fuit sacrificio Legali, quod, Dei mandato, oportuit esse absque maculâ & integrum, *Deut.* 15. 21. & munditie sacrificium offerentium & afferentium, nam nisi puris purificatione Legali, nefas cuiquam sub Lege sistere sese, *Num.* 9. 6. ubi die decimoquarto primi mensis arcentur à celebran-

do Paſchate JEHOVÆ qui immundi eſſent ex hominis cadavere, & differuntur in diem menſis ſecundi decimumquartum ut prius mundati ſe ſiſterent JEHOVÆ. *Acceptam DEO.* Tertia hæc qualitas eſt quâ diſtinguitur hoſtia verè Chriſtianorum ab hoſtiâ, hoc eſt, cultu, & vitâ eorum omnium quicunque ſunt extra CHRISTUM IESUM, ſive ipſi Idololatræ ſint, extra ſeptum viſibilis Eccleſiæ, ſive hæretici aut omnino hypocritæ in ipſius gremio, qui & ipſi & ipſorum Religio & vita ſunt omnia abominationi & deteſtationi DEO, *Mal.* 1. 10. Nulla mihi delectatio in vobis, ait JEHOVA, exercituum, & munus acceptum non habeo de manu veſtrâ quicunque non in CHRISTO, quia nimirum & impuri offerentes & impurum illud quodcunque offertur, ut *Tit.* 1. 15. ubi cum dixit Apoſtolus quòd μεμιασμενοις & pollutis nihil purum ſit, ſed pollutam eſſe ipſis ipſorum & mentem & conſcientiam, ibidem definit quos μεμιασμενους pollutos vocat, nempe ἀπιστους, eos omnes quicunque per veram fidem non ſunt CHRISTO inſiti: quia igitur qui in CHRISTO IESU non ſunt inſiti, ii polluti ſunt, & pollutum illud eſt quicquid offerunt, ideo nec ipſi accepti ſunt, nec quod offerunt munus, ut Propheta loquitur: quanquam igitur acceptatio iſta & tertia qualitas quâ Chriſtiana hoſtia fit accepta DEO, ſequatur utramque præcedentem, quâ ipſa viva & ſancta eſſe jubetur Apoſtolo; tamen neutrius, nec vitæ, nec ſanctitatis in nobis inchoatæ propriè effectum eſt iſta acceptatio, ſed CHRISTI per fidem à nobis apprehenſi, ipſa ſiquidem nova noſtra vita & inchoata ſanctificatio neutra coram DEO poteſt conſiſtere propter ſuam utriuſque imperfectionem, niſi

velata

velata IESU CHRISTO & perfectione ejus; non igitur quia viva est & sancta hostia hæc Christianorum, vita videlicet & sanctificatio inchoata, ideo fit ipsa accepta Deo, sed quia in CHRISTO est, quicunque vitâ novâ & verâ sanctitate est præditus, ideo & vita & sanctitas & munus acceptum est.

Rationalem illum cultum vestrum. Amplificatio altera est hostiæ à Christianis offerendæ, petita à definitione illius hostiæ; hostia DEI populi sub Euangelio seu Christianorum si quæritis quid sit, est cultus DEI populi seu Christianorum rationalis: in quâ quidem definitione cultus vester seu populi DEI est commune genus, officium DEO præstandum à DEI populo significans, secundum utramque Legis Tabulam jam inde ab initio mundi & usque ad mundi finem. Την λογικην cùm dicit λατρειαν & rationalem istum cultum, differentiam ponit, quâ distinguitur cultus populi DEI quo jam sub Euangelio DEUM colunt, ab eo quo sub Lege coluerunt DEUM; ille siquidem externus fuit & statis locis, temporibus & carnalibus ceremoniis circumscriptus, at hic internus est in spiritu & in veritate; quam differentiam DOMINUS notat *Ioan.* 4. 20, 21, 22, 23. in disputatione cum Samaritanâ proponente DOMINO quæstionem controversiæ inter *Samaritanos* & *Judæos*, unà cum utriusque partis argumento: dicebant *Samaritani* colendum DEUM in monte *Garizim*, *Judæi*, *Hyerosolimis*, hæc controversia fuit, & prioris partis argumentum, quòd ibi patres Deum coluerunt, posterioris autem quòd sic ex Lege oporteat adorare, *Deut.* 12. 16. comparato cum 2*Sam.* 24. 18. quo priore jubetur Dei populus Deum colere in eo loco quem

ipſe ſibi elegerit JEHOVA ex omnibus tribubus *Iſraëlis*, & poſteriore delectum facit areæ *Aruunæ Jebuſæi Hieroſolymis*. Ad hanc mulieris propoſitionem reſpondens DOMINUS, juſtificatis hactenus *Judæis* in eâ controverſiâ, docet diſcrimen cultus divini futurum deinceps ab illo tempore, à cultu temporis præcedentis, hoc nimirum quòd hactenus Deum coli oportuerit *Hieroſolymis*, ut *Judæi* dicebant, ſed deinceps venire tempus, imo eſſe tempus (intelligit hîc ſub Euangelio) quo non aſtringeretur cultus Dei vel monti *Samaritano*, vel *Hieroſolymis*, ſed fore ut colentes Deum, colant ipſum ſpiritu & veritate ubivis locorum. Hunc igitur cultum Dei in ſpiritu & veritate qui abſque omni reſtrictione eſt loci, temporis aut ceremoniarum carnalium, vocat hîc Apoſtolus rationalem cultum, quem totum comprehendi dicit in oblatione quâ quiſque Chriſtianus ſeipſum offert JEHOVÆ hoſtiam.

2. *Et ne vos configurate ſæculo iſti.* Altera propoſitionis pars diverſis illuſtrata & fine. *Et ne configurate vos ſæculo iſti.* Prior pars diverſorum quâ interdicit fratribus, hoc eſt, omnibus qui cum ipſo ſocii eſſent & participes Juſtitiæ fidei & vitæ per CHRISTUM ſecundum Euangelium, συσχηματισμον & configurationem cum præſenti ſæculo: ubi per præſens ſæculum & τον αἰωνα τουτον per Metonymiam adjuncti pro ſubjecto, intelligo homines iſtius ſæculi eos quos vocat Apoſtolus 1*Cor.* 2.14. animales, hoc eſt, qui præter dotes naturæ, ut ipſa nunc corrupta eſt, nullas habent & παλιγγενεσιας, ſeu novi partus per ſpiritum, ſunt planè expertes. Sic enim *Jud.* in ſuâ Epiſtola *verſ.* 9 definit hominem animalem ſeu ψυχικον, τον το πνευμα μη εχοντα

hominem

hominem Spiritum CHRISTI non habentem, Deinde per συσχηματισμον hunc & configurationem quam interdicit, intelligo studium sese conformandi, mente, affectibus, voluntate & externo quoque actionum & verborum habitu, ad illos qui animales sunt & naturæ duntaxat corruptæ filii: Interdicit itaque in primâ hâc parte diversorum conformitatem cum non renatis sive in verbis, sive in actionibus, tam internis & animi, quàm externis & corporis, quam interdictionem simul cum fundamento vide fusè explicatam 2*Cor.* 6. 14, 15, 16. *Sed transformate vos per renovationem mentis vestræ.* Altera pars diversorum qua fratribus commendat studium accrescendi spiritu seu renovatione mentis (quæ accretio in renovatione mentis, est accretio interni hominis) & accretionem illam ostendendi vita dissimili vitæ hujus sæculi seu mundi hujus, ut eam vocat Apostolus, *Eph.* 2. 2. Est itaque sensus horum verborum idem cum sensu obtestationis illius, quam legitis *Eph.* 4. 17. & 23, 24. *vers. Hoc itaque dico & obtestor per Dominum, ne amplius incedatis sicut reliquæ Gentes incedunt, in vanitate mentis suæ, Sed renovemini spiritu mentis vestræ, & induite novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniâm veram.* Τὸ νοος igitur & mentis nomine intelligo id ipsum qnod Apostolus supra 7. 25. intelligit eâdem voce cùm dicit, *Ipse ego quidem servio Legi Dei.* Id quod ipse ibidem supra interpretatus est 22. *vers.* κατα τον ἐσω ἀνθρωπον quod ad interiorem hominem attinet: mens igitur hoc in loco est homo interior, qui *Eph.* 4. 24. dicitur homo novus, hoc est, universa & tota hominis natura, quatenus

tenus ipſe renovatus eſt, ſeu ut Apoſtolus loquitur, conditus eſt denuo ad juſtitiam & ſanctimoniam veram: ἀνακαίνωσιν autem & renovationem intelligo, non qua ὁ νοῦς & interior homo renovatur magis indies, ſed quâ nos ipſi renovamur primùm, ita ut fiamus interni homines & creaturæ novæ; niſi malis nomen mentis hîc intelligere eodem modo quo accipitur, *Epheſ.* 4. 17. nempe mentem veterem, & qualis fuit *Gentium* ſine DEO; cui expoſitioni convenire videtur quod hîc additum (*veſtræ*) quia qualis *Gentium* jam mens eſt, & eorum qui adhuc hærentes ſunt in naturâ & ſine DEO, talis etiam renatorum fuit mens, antequâm renovarentur, quare cùm alloquens renatos dicit. *Transformemini per renovationem mentis veſtræ.* Mens ipſorum non malè intelligitur ea ipſa quam habuerunt antequam renovarentur; ſic ſi acceperimus, ἡ ἀνακαίνωσις & renovatio iſta erit, non noſtri ipſorum, ut naturales ſumus, in mentem ſeu novum hominem, ſed erit τὸ νοῦς mentis ipſius veteris in mentem novam; alioqui tranſformatio erit noſtri ipſorum μεταμόρφωσις transfiguratio, quâ ſpiritu renovati, naturam prius impuram, nos cogitatione, verbo, facto immutemus ita, ut diſſimiles fiamus mundo & nobis ipſis cùm in mundo fuerimus, aſſimilati DEO hoc eſt denuo conditi ad DEI Imaginem in juſtitiâ & ſanctimoniâ verâ: Notanda hîc tria, Primum quod noſtri renovatio à mente incipiat: unde ſequitur quòd ante renovationem quemadmodum externæ actiones corporis, verba & cordis affectus, & ipſum velle, ita mens ipſa & carnis ſapientia, ut eam vocat Apoſtolus, *Rom.* 8. 7. inimicitia ſit adverſus DEUM, & veterem hominem ſapiat, donec ſpiritu renovetur

vetur: Unde refellitur & ἡγεμονικον Philoſophorum, quo menti in homine, etiam naturali, tribuitur puritas in præſcribendo, tùm etiam Pelagianorum & Papiſtarum, & Semipelagianorum, libertas arbitrii; nam ſi mens ipſa renovanda eſt, non eſt in homine vel lux mentis libera à peccato, aut voluntatis arbitrium niſi peccato obnoxium. Secundò hîc notandum eſt, quòd Apoſtolus dum hîc jubet nos transfigurari & transformari, ſeu transfigurare & transformare nos ipſos, non tribuat tamen nobis ipſis, vel transformandi nos ipſos, vel nos ipſos non configurandi iſti ſæculo vim ullam aut poteſtatem: nam omnis vis noſtri reformandi à Spiritu Sancto eſt, ſed hortatur nos Apoſtolus duabus aliis de cauſis, Primùm ut incitet nos ad ſanctum uſum mediorum Spiritus Sancti; *v. g.* Spiritus Sanctus nos renovat per miniſterium Verbi; ideo ad frequentandum Verbi miniſterium ut eo renovemur, excitat his hortationibus Apoſtolus. Deinde hortatur, quia ipſa iſta hortatio, ubi Spiritui Sancto viſum per ipſam hortationem operari, potentia eſt ſeu potens & efficax DEI inſtrumentum, ad nos renovandos; addere item licet & cauſam tertiam, hortatur nos ad nos ipſos renovandos Apoſtolus, quod tamen opus eſt ſolius DEI in CHRISTO per ſuum Spiritum, ut nos excitet ad agendum cum DEO pro efficiendo illo opere; quemadmodum ſcribitur, petenti dabitur, & pulſanti tandem aperietur. Tertiò hîc obſervandum, quod ex mente Apoſtoli, hoſtiæ Chriſtianæ, & quam juſſit DEO offeramus vivam *verſ.* ſuperiore, duæ ſunt partes; Una in noſtri reformatione ſeu noſtræ mentis renovatione poſita eſt, quâ DEO conformamur, & condimur denuò ad imaginem ejus

in

justitiâ & sanctimoniâ verâ; Altera in μεταμελείᾳ posita est, quâ dissimiles efficimur isti sæculo & abstinemus à viis mundi hujus, & vitæ quæ est secundum principem, cui potestas est aëris, ut Apostolus loquitur, *Eph.* 2. 2. *Ad hoc ut probetis.* Finis utriusque præcedentis tum transfigurationis nostræ, quâ efficimur mundo in vitâ dissimiles, tum ἀνακαινώσεως τοῦ νοὸς & renovationis, quâ efficimur novæ creaturæ: In hunc enim finem & renovamur & à mundo secernimur, ut probemus, quæ sit voluntas DEI: ubi per voluntatem DEI, intelligo eam Lege patefactam de novâ obedientiâ renatorum: Sic enim exponit Apostolus, 1*Thes.* 4. 1, 2. ubi postquam iis revocasset in memoriam, quæ mandata dederat novæ obedientiæ, mandat magis indies excellant in praxi eorum, subjectâ hâc ratione, quòd voluntas DEI sit ipsorum sanctificatio, materiâ deinde sanctificationem definit abstinentiam à fornicatione & omni alio inquinamento, quocunque posset pollui vas cujusque ipsorum, hoc est, vel corpus vel cor: in utroque renato DEUS habitat per Spiritum, & utrumque renatis veluti vas est & scrinium, in quo sunt repositi thesauri spiritualis gratiæ, ut ipse Apostolus loquitur 1*Cor.* 4. 7. τὸ δοκιμάζειν, & voluntatem istam DEI probare tria significat. Primum συνιέναι intelligere DEI voluntatem, hoc est, & quæ ipsa sit nosse, & ab omni eo quod obtruditur specie voluntatis DEI, cùm voluntas DEI non sit, posse distinguere, sic Apostolus interpretatur hanc vocem, *Ephes.* 5. 17. Secundò τὸ δοκιμάζειν probare voluntatem DEI est eam intellectam approbare, Et tertiò approbatam eligere seu amplecti: nam etiam ὁ ψυχικὸς animalis homo

& in-

& intelligit & intellectam approbabit, sed amplecti nequit, ut de *Medeâ* testatur classicus Scriptor. Video meliora proboque, deteriora sequor. Ideoque Apostolus hîc probationem voluntatis DEI istam subnectit velutí finem proprium renovationis mentis nostræ, & à præsenti sæculo malo separationis. *Bona illa & accepta.* Voluntatem DEI illustrat triplici Epitheto (ut & hostiam Christianam præcedente *vers.*) Primùm, quod bona sit, seu tota sit rerum bonarum, adeo ut quicquid fieri velit à renatis DEUS, id ipsum bonum sit. Secundò, quod accepta sit, hoc est, quòd rerum similiter DEO acceptarum sit, adeo ut quicquid fit à renatis secundum voluntatem DEI, id DEO acceptum sit in IESU CHRISTO, & pro suo cultu habeatur; Unde Apostolus passim dùm hortatur ad officium renatos, argumentum hoc adhibet quod Deo acceptum, *Philip.* 4. 18. *Coloss.* 3. 20. 1*Tim.* 2. 3. His autem duobus, quod bona sit & accepta Deo, voluntatem Dei Apostolus distinguit ab omnibus hominum præceptis in Religionis negotio, quibus quicunque parent opinione divini cultus, nec bene agunt, nec quod agunt acceptum est DOMINO, id quod testatur DOMINUS ipse *Mat.* 15. 9. *vers.* dum dicit omnem eum cultum inanem esse: *Perfecta,* Tertium Epitheton divinæ voluntatis, quo ipsa distinguitur ab omni hominum de officio sive scientiâ, sive arte, sive traditione aliâ quâcunque, quæ omnis imperfecta est: cùm contrà divina voluntas Lege patefacta omnibus modis absolutâ sit, & perfectissimè homini ostendat quid vel agendum vel omittendum, quod officium sit, & quænam sit officii transgressio.

Vers. 3. Hactenùs propositio fuit, sequitur explicatio

catio propoſitionis, quæ tota poſita eſt in variis de officio præceptis juxta ſanam Euangelii doctrinam: nam nos ipſos ſiſtere Deo hoſtiam eſt Deo uniri & transformari per renovationem mentis noſtræ à formâ ſeu figurâ iſtius ſæculi: & probare quæ ſit voluntas Dei ſancta illa, bona & accepta, eſt vi Spiritus regenerantis, non ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum incedere, ſeu officioſè vivere & ut dignum eſt Euangelio: Explicatio itaque oblationis noſtræ vivæ, ſanctæ & acceptæ conſtat exhibitione præceptorum, quibus vita præſcribitur Euangelio digna, quæ omnia ſuperſtruuntur authoritati, quam habet ipſe per gratiam Apoſtolatus ſui; ſunt igitur expoſitionis hujus duæ partes. Prior continet generalis fundamenti loco, authoritatem præcipientis. Altera Præcepta vitæ Euangelicæ; Authoritas quidem connectitur cum primo Præcepto, & ſubſternitur quaſi præcepti fundamentum illis quibus primùm præcepit, nempe, Paſtoribus in Eccleſiâ Dei Euangelicâ: Ita tamen ut magis quàm manifeſtum ſit, quod reliquorum deinceps præceptorum ſit itidem fundamentum, quod patet ex *verſ.* 15. *Cap.* 15. ubi concludens omnia hæc Præcepta, παῤῥησιας ſuæ & libertatis in iis exhibendis aſſignat hanc ipſam cauſam τὴν χαριν δοθεισαν ἐμοι ἀπο τ̃ Θεȣ gratiam nempe Apoſtolatus & fidelitatis in eo, quam ipſi Deus dederat cum participatione fructus per communem fidem. λεγω γαρ edico igitur. Vox γαρ nota eſt iſthic illationis methodicæ: Cùm enim propoſuerit Apoſtolus duobus verſibus præcedentibus dicere de vita digna Euangelio, Jam & deinceps ordine de eâ præcipit vitâ quæ Euangelio digna: vel poteſt accipi particula γαρ pro cauſali notâ, quaſi diceret Apoſtolus

stolus, Ego & propono, & cum authoritate præcipio, de vitâ digna Euangelio, quia mihi data est ad Apostolatum gratia. Utut particula γὰρ accipiatur, sive illativè, sive causaliter, verbum λέγω dico sive edico, authoritatis est & proprium Imperatoris in exercitu seu Ducis inter milites, ideoque *Paulus* in Christianâ militia Præfectus quasi dux à DOMINO suo ad præcipiendum aliis quod ipsorum sit officium, juxta verbum communis DOMINI & sui & ipsorum, loquitur cum Cœlesti authoritate, *Edico cuivis versanti in vobis per gratiam quæ mihi data est.* Ratio hæc est, quâ ostendit quòd ista ipsius authoritas edicendi cuivis inter ipsos versanti, *&c.* non sit usurpata, sed legittima ut quæ innitatur gratiæ Apostolatus ipsi à Deo concrediti, quaque præcludit viam omni æmulorum blasphemiæ si qui vellent, ipsi, dum præcipit sobrietatem in sapiendo, objicere arrogantiam. Sic igitur arguit, Gratia mihi data est ad Apostolatum, igitur non usurpata aliqua sed concredita Apostolatus authoritate edico, quæ deinceps scribo & commendo vobis. *Cuivis versanti.* Substrato fundamento authoritatis & gratiæ, præcepta sequuntur quæ duplicia sunt. 1. Communia. 2. Specialia. Communia dico quæ ex communi Lege & simpliciter debentur, ut invicem diligere. Specialia verò quæ debentur quidem sed non simpliciter, verum propter specialem aliquem aut à nobis ipsis aut à fratribus respectum ; verbi gratia jam sub Euangelio omnia sunt pura puris nec est Lege prohibitum quolibet vesci, at qui putat aliquid impurum esse, id ipsi impurum est, & suæ æstimationis respectu tenetur non vesci Deinde alterius etiam respectu ut infirmi fratris, nempe, ne ipse scandalo afficiatur

ciatur. Quare veſci ex Lege liberum eſt, ſed ſi ſine fide aut cum ſcandalo quis veſcatur, jam veſci malum eſt: Prioris generis præcepta proſequitur Apoſtolus hinc ad principium *Cap.* decimiquarti, & duplicia ſunt pro duplici officio, quod ſecundum ſanam doctrinam Euangelii incumbit omnibus Euangelium profitentibus, quod rurſus duplex officium ex duplici oritur relatione ipſorum; nam ſinceri profeſſores Euangelii primùm ſunt membra Eccleſiæ DEI & hactenus tenentur ad mutua officia quæ conveniunt membris ejuſmodi corporis, Deinde membra ſunt politiæ & Chriſtianæ Reip. & hactenùs quoque incumbunt ipſis officia: De Officiis quæ debemus tanquam membra Eccleſiæ, præcipit Apoſtolus hoc *Cap.* duodecimo reliquo, de iis autem ad quæ tenemur ut membra Reip. Chriſtianæ Capite deinceps decimotertio: Priora autem officia, & quæ membris Eccleſiæ incumbunt profitentibus Euangelium, duplicia ſunt, Primo enim ſunt officia προεστωτων & eorum qui aliis in Eccleſiâ invigilant, ſub quibus etiam continentur eorum officia quibus invigilant, Analogiâ & proportione reſpondentia ſuperiorum officiis. De his præcipit hinc ad *verſ.* 9. & quemadmodum duo ſunt hominum genera qui aliis invigilant, jam ſub Euangelio in Eccleſiâ CHRISTI, quidam enim laborant in verbo & alii alio modo curam gerunt, 1 *Tim.* 5. 17. Sic præceptionis hujus ſunt duæ partes, Prior docentes reſpicit, altera alios, alio modo in CHRISTI Eccleſiâ curam gerentes; Utraque ab Apoſtolo amplificatur verbis jam citatis, & junctim communi objecto, nam quemque quovis modo in Eccleſiâ CHRISTI ſub Euangelio aliis invigilantem, hic vocat Apoſtolus τον

ὁυλα ἐν ἀυλοις seu versantem inter ipsos, exemplo *Schelomonis*, qui 1*Reg*. 3. 7. notat Regis officium, processu & regressu inter subditos: est itaque hoc in loco ὁ ὢν versans in Ecclesiâ, ipse qui exit & regreditur, ut curam gerens, in conspectu DEI & Ecclesiæ ipsius, *Ne sapiat supra quod oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem.* Prior pars præcepti, & quæ docentes respicit, illustrata, Primùm diverso, vel si lubet contrario, nam sapere ad sobrietatem & sapere supra quâm oportet, contraria sunt, hîc tamen insignita diversorum notis, non hoc sed illud: est itaque præceptum datum hic docentibus hoc. Docentes in Ecclesiâ sobriè sapiunto & non supra quam oportet. Hic excessus τὸ φρονειν sapiendi, quem isthîc Apostolus interdicit, non est doni ipsius, quasi donum sapientiæ cuivis detur supra quam oporteat dari, qui error fuit *Festi*, & adversus *Paulum* objectio, *Act*. 26. 24. *Paule, multæ literæ te ad insaniam adigunt*. Nam sapientiæ donum (ut dona alia quæcunque) datum cuique à Spiritu CHRISTI, 1*Cor*. 12. 13. qui cuique dat pro bonâ voluntate suâ, & cujus voluntas ita regula est justæ mensuræ ut in ipsius dono nec excessus nec defectus deprehendi possit, sed in debitâ mensurâ pro ratione recipientis, Unde quæ hîc dicuntur data dona cuilibet pro voluntate Spiritus CHRISTI, alibi dicuntur data, *Eph*. 4. 7. pro mensurâ doni CHRISTI, ad nos docendos quòd cuique det Spiritus debitâ mensurâ; non est itaque hîc excessus in dono, sed in æstimatione hominis ambitiosi & sibi arrogantis, supra quàm oportet & quidem variè: quidam enim arrogant sibi sapientiam, quam nullam habent, ut *Act*. 19. 12, 13. filii *Sceva* septem arrogabant

sibi

ſibi ſcientiam ejiciendi dæmonia & conjurandi, quos tamen nullam accepiſſe eventus indicat *verſ.* 14. alii accepto quidem ſapientiæ dono putant majore menſurâ ſe accepiſſe, quam acceperunt, qui error fuit *Aaronis* ipſius & ſororis *Miriam* obloquentium *Moſi*, *Num.* 12. 2. *An tantum per Moſen loquutus eſt* JEHOVA, *nonne eſt etiam per nos loquutus.* Verè quidem dicunt per ſe loquutum JEHOVAM, & donatos ſe dono Prophetiæ, ſed hîc falluntur, quòd pari menſurâ ſe donatos putant cum *Moſe*, id quod ex JEHOVÆ reſponſo ibidem 6. 7, 8. *verſ.* patet; Alii tertiò gloriantur de accepto dono, quaſi non acceperint, ut illi 1 *Corin.* 4. 7. reprehenſi ab Apoſtolo iſto nomine. Denique ὑπερφρονειν & plus quam oportet ſapere dicuntur qui vel πολυπραγμονες ſunt & putant ſe poſſe per ſuam ſapientiam omnia, etiam ad quæ à DOMINO minimè vocantur, vel qui ſuâ abrepti opinione ſapientiæ, in fidei negotio & Religionis exquirunt & putant poſſe ſe invenire quæ minimè à DOMINO in Verbo revelata ſunt. Ut paucis itaque complectar: qui ſuperbiunt vel de dono quod non habent, vel de dono accepto quaſi non acceperint, qui πολυπραγμονες ſunt, & inquirentes in non revelata, hi omnes hoc loco ab Apoſtolo dicuntur ὑπερφρονειν & ſupra quàm oporteat ſapere. *Prout cuique Deus partitus eſt menſuram fidei.* Hactenus prior pars præceptionis contrario eſt illuſtrata, iſta ſecunda eſt ejuſdem illuſtratio à definitione ſobriæ ſapientiæ, nam φρονειν εις την σωφροσυνην & ſapere ad ſobrietatem, eſt ſapere pro menſurâ fidei, quam DEUS dedit cuique: fides hoc in loco non eſt fidei regula, ſine ſcripto, & ſolo verbo ab Apoſtolis tradita, ad quam exigenda ſit non modo

modo cujusque professio & doctrina, sed ipsæ etiam Scripturæ & Apostolorum ipsorum prædicationes, ut falsò & absque authoritate Papistæ asserunt, cùm Scriptura ipsa sacra sit illa regula fidei, nec ipsa est exigenda ad aliam regulam; sed per fidem hîc intelligitur fidei notitia, seu DEI per fidem in IESU CHRISTO, quam DEUS cuique dedit è verbo scripto per operationem sui Spiritus unde 1 *Corin.* 12. 7. quæ hîc fides dicitur ibi φανερωσις τε πνευμα]& Spiritus manifestatio appellatur, seu cognitio fidei manifestata è Verbo scripto per Spiritum Sanctum: Hæc fides & DEI in CHRISTO cognitio non datur eâdem & pari mensurâ omnibus, ne docentibus quidem, sed cuique data sua & propria mensura prout cuique dare eam DOMINO visum est: Sapere itaque ad sobrietatem, est in profitendo & docendo Ecclesiam, sese sobriè & cum modestiâ continere intra mensuram indubitatæ cognitionis DEI, quam DEUS gratis per suum Spiritum dedit cuique certissimam, quæ confirmari possit authenticâ aurhoritate scripti Verbi. Prior pars ergo præceptionis hæc præcipit docentibus in Ecclesiâ, cùm non eadem sit omnium illuminatio ex Verbo, sed quisque cognoscat pro mensurâ datæ cognitionis, præcipit, inquam, ne quis vel profitendo præsumat de cognitione supra mensuram. vel docendo exhibeat quicquam, nisi quod ex Verbo Dei scripto ut veritatis canone sit certissimè cognitum.

4. Immoratur Apostolus in explicandâ definitione sobriæ sapientiæ quam attulit in fine *vers.* præcedentis, illustratque quòd in eâ dictum est, non eandem fidei mensuram, DEUM esse partitum cuique: Argumentum illustrationis ducitur à similitudine explicatâ, cu-

jus

jus πρότασις habetur hoc *verſ.* 4. eaque duarum partium. *Quemadmodum enim in uno corpore multa habemus membra.* Pars prior Protaſeos: nos habemus in uno corpore multa membra, humanum corpus intelligit & corpus τὸ ἔξω ἀνθρώπε. *Membra verò omnia non eandem habent actionem.* Pars altera ἀπόδοσις eſt de diverſo officio & dono ad officium uniuſcujuſque membri à cæteris: quam utramque diverſitatem ſeu diſparitatem, tum officii, tum doni exprimit hic Apoſtolus diſpari actione cujuſque membri; membra externi corporis non habent eandem actionem omnia, ſed unumquodque ſuam propriam & ab actionibus reliquorum membrorum diſparatam; unde ſequitur (cùm actio pro officio eſſe debeat, & officium quodque ex dono ſit) quod cujuſque membri in externo iſto noſtro corpore, ſuum ſit proprium & donum & officium, ac diſparatum à dono & officio alterius cujuſpiam in corpore membri. Itaque in protaſi hoc ſubſternit quaſi illuſtrationis fundamentum, quòd cùm multa ſint membra in uno corpore, unumquodque habeat ſuum à DEO donum, & pro dono officium, & pro officio actionem, quibus ſingulis unumquodque membrum in corpore ab aliis diſtinguitur.

5. Apodoſis comparationis, cujus ſimiliter ſunt duæ partes, *Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto.* Pars prior Apodoſeos: ut multa ſunt membra in uno iſto noſtro externo corpore; ita nos multi ſumus unum corpus myſticum in IESU CHRISTO: cujus vide fundamentum, 1*Cor.* 12. 13. quod nimirum nos omnes qui in CHRISTO ſumus, per unum Spiritum baptizati ſumus in unum corpus: In CHRISTO autem dicitur

hoc

hoc fieri, cùm quia ipse caput est, *Ephes.* 1. 22. tum quia ab ipso, ut Capite Ecclesiæ, est iste unus Spiritus datus cuique membro, tanquam fons novæ vitæ, seu vitæ Dei in singulis, & omnium spiritualium donorum quæ illius vitæ sunt propria: Denique multos hîc intellige singulos in Christo, maximè autem docentes, nam de iis hîc loquitur Apostolus potissimùm, ut ex sequenti inductione patet: & quidem singulis, sicut supra patuit ex definitione, ubi dictum quod cuiq; hoc est unicuique & singulo docenti, Deus partitus sit mensuram fidei. Aliter tamen accipi potest ista membrorum multitudo pro multitudine cœtuum seu congregationum quæ in Christo junctæ, tanquam majorum in corpore membrorum. quomodo acceptam reperimus multitudinem membrorum Christi, 1*Cor.* 12. 27. *Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte.* Dum corpus dicit, cœtum intelligit, dum membra vocat, notat Ecclesiam illam *Corinthiacam*, membrum esse & singularem quendam cœtum, si cum aliis cœtibus & Christi Ecclesiis comparetur. *Singulatim alii aliorum membra.* Altera pars ἀποδόσεως quâ duo notantur; Unum quidem, quòd quisque in Christo sigillatim, potissimùm autem docens seu laborans in Verbo, sit seorsim in mystico Christi corpore suo dono instructus, ad suum in corpore officium & functionem officii; Deinde quod cujusque tum donum, tum officium, tum functio officii, ut ad bonum totius corporis refertur, sic referri debeat ad cujusque alterius membri bonum; ideoque dicit Apostolus quòd unusquisque membrum sit, non duntaxat corporis, sed etiam alterius cujusque membri in corpore, non quod

membrum membri ſit propriè, ſed quòd cujuſq; membri actio alterius cujuſque uſui inſerviat: oculus enim in externo corpore, etſi non ſit membrum pedis ſed corporis, quia tamen ſuâ actione inſervit pedi, quodam modo etiam ſit membrum pedis, nempe quod ad uſum; Itidem in CHRISTO quanquam quiſque corporis membrum dicitur propriè loquendo, tamen & alterius cujuſque membrum dici poteſt, quia quicquid doni accepit à communi DOMINO, id accepit ad uſum cujuſque membri.

Revertitur ad præceptum de verſantibus ſeu curam gerentibus in Eccleſiâ DEI, ejuſque ſubjicit partem alteram, in quâ altera præceptionis parte interdicit iis omnibus qui quovis modo curam gerunt gregis CHRISTI, abuſum donorum, quæ acceperunt ad ædificationem & utilitatem Eccleſiæ DEI, ut alibi Apoſtolus teſtatur, 1*Cor.* 12. 17. φανερωσιν τε πνευματος datam cuivis habenti προς το συμφερον ad uſum nempe & utilitatem Eccleſiæ: Diſtinguitur itaque pars iſta præceptionis à præcedente, quòd ibi Apoſtolus interdixerit arrogantiam quando quis uſurpat quod non habet, ſeu ſapit ſupra quam oportet ſapere: at hîc interdicit abuſum accepti doni; Eſt itaque ſecunda præceptionis pars hæc, quiſque quovis modo curam gerens in Eccleſiâ DEI, rectè & fideliter utatur dono quod accepit ad uſum Eccleſiæ, & ne abutatur: Hujus ſecundæ partis præcepti generalem hanc propoſitionem omittit Apoſtolus quam tamen illuſtrat, & ſuâ cauſâ, & ſpeciali partium inductione. *Habentes autem diverſa dona ſecundum gratiam quæ nobis data eſt.* Cauſa ſecundæ partis præcepti, unde ſic arguit Apoſtolus, nos, qui verſamur in

DEI

DEI Ecclesiâ, & curam gerimus gregis CHRISTI, accepimus diversa dona, eaque profecta à Spiritu per gratiam, seu quod idem est, accepimus dona & quisque suum, idque gratis à DEO per Spiritum, nemo igitur abutatur dono, sed utatur quisque ad usum Ecclesiæ. *Sive prophetiam, prophetemus pro proportione fidei.*

7. *Sive ministerium, versemur in ministrando.* Altera secundæ partis illustratio est ab inductione, quâ revocat omnia dona curam gerentium in Ecclesiâ DEI ad duo genera, Unum προφητείαν nominat, Alterum διακονίαν. Prophetiam appello docendi donum, & διακονία dona complectitur reliqua, & eorum omnia dona quicunque non docentes, curam gerunt in Ecclesiâ. Sic utraque vox accipitur: τὸ προφητεύειν quidem seu προφητείας 1*Cor.* 14. 3. ubi Propheta dicitur qui loquitur hominibus, hoc est, Ecclesiæ DEI sive ad ædificationem, ut Doctor, sive ad exhortationem & consolationem, ut Pastor: Prophetia igitur hîc accipitur pro quovis docendi dono, (quanquam verum est quod alibi angustius accipiatur, *Ephes.* 4. 11.) & διακονία latius hîc accepta, comprehendit omnia officia in Ecclesiâ DEI à docendi munere reliquâ. Quomodo accepta vox διακονία est etiam 1*Tim.* 3. 8, *&c.* ubi Apostolus, postquam docuit quales essent Episcopi & docentes in Ecclesiâ, describit Diaconos, *i. e.* eos qui non docentes, alioqui curam gerunt in DEI Ecclesiâ, id quod patet ex eo quod in prioribus requirat, sint apti ad docendum: In Diaconis autem non item: quanquam verum est, vox διακονίας in Novo Testamento accepta invenitur, & latius pro omni munere Ecclesiastico, adeo ut Apostolos etiam comprehendat, 2*Corinth.* 41. &

anguſtius pro iis qui nec docentes, nec moribus Eccleſiæ invigilantes, curam gerunt pauperum duntaxat & ærarii Eccleſiaſtici, *Phi*: 1. 1. Utramque hanc partem inductionis illuſtrat Apoſtolus adjuncto modo, & ſubdiviſione partium: Primæ quidem partis adjunctus modus, qu'a generalis eſt, ideo generi adjungitur, poſtea repetendus in ſingulis partibus. Modus hic eſt ut qui acceperit prophetandi donum ſeu docendi, doceat pro Analogiâ & proportione fidei: Ubi per fidei analogiam licet intelligere eam, quam ſupra nominavit menſuram fidei, vel etiam articulos fidei è Verbo ſcripto collectos & comprehenſos eâ fidei confeſſione quæ jam inde ab initio Chriſtianæ Eccleſiæ recepta eſt, & quæ, quia doctrinæ Apoſtolorum conformis eſt, Symbolum Apoſtolicum appellari ſolet. Utcunque vox accipiatur, præcipitur Prophetæ ut in prophetando non aberret à communibus fundamentis, certò ſibi ex Dei Verbo intellectis. *Tum is qui docet in docendo, tum is qui exhortatur in exhortatione.* Prophetam ſubdividit in doctorem, ſic propriè dictum *Epheſ.* 4. 11. & Paſtorem, qui uterque tenetur pro proportione fidei docere, & paſcere gregem Christi: Doctorem intelligo qui ſimpliciter & ſincerè interpretatur Verbum ut ejus cognitio in Eccleſiâ conſervetur, Paſtorem autem qui ex cognitis verbi principiis alloquitur Eccleſiam in exhortatione, admonitione, reprehenſione *&c.* (quæ omnia hîc ſynecdochicas exhortationis nomine continentur) ſimulque ad conſolationem Eccleſiæ ulteriorem conjungit Sacramentorum ex præſcripto Verbi adminiſtrationem. *Qui diſtribuit, cum ſimplicitate, qui præeſt, cum diligentiâ: qui miſeretur, cum hilaritate.*

tate. Illustrat alteram partem inductionis seu διακονιαν cum subdivisione των διακονων seu ministrorum, cùm adjuncto modo ministrandi. Διακονοι seu ministri in Ecclesia triplices enumerantur hîc. 1. Qui distribuunt. 2. Qui præsunt. 3. Qui miserentur. Distribuentes intelligo eos qui angustissimè sumpto vocabulo, diaconi dicuntur & penes quos est cura ærarii Ecclesiastici, ut in ipsum colligant, & inde distribuant ad usum pauperum. Qui præsunt, vel præsidentes, intelligo eos, quos vocat Apostolus προισταμενους non laborantes in Verbo. 1*Tim.* 5. 17. qui nimirum ab Apostolo 1*Cor.* 12. 28. Gubernatores dicuntur; Hi sunt, qui cum doctoribus & Pastoribus invigilant Disciplinæ & moribus domus Dei. Tertii sunt miserentes, hoc est, opem ferentes miseris, & quos Apostolus vocat *vers.* citato, *ad Corinthios*, opitulatores, quorum nomine intelligo non privatos Christianos conferentes de privatis suis bonis in auxilium pauperum, quia Apostolus hîc loquitur de publicè gerentibus curam in Ecclesiâ. Hîc itaque miserentes intelligo eos. qui acceptis, ab Ecclesiastici ærarii custodibus, eleemosynis Ecclesiæ, eas accomodabant ad usum pauperum afflictorum & maximè ægritudine aliquâ affectorum: itaque in his miserentibus comprehensus est ille ordo Ecclesiasticus qui viduarum dicitur, *Act.* 6. 1*Tim.* 5. quamvis totus ordo hîc masculino genere efferatur; utpote in quo requirebantur mares non minus quam fœminæ, nam afflicti pauperes, maximè ægri, non modò opus habent viduis curatricibus, & quæ eos custodiant, sed insuper Chirurgis & medicis, aliisque similibus viris ad consolationem suam in suis ægritudinibus, requisitis: Hæc subdivisio Diaconorum

conorum eſt. Altera amplificatio Diaconorum ſumpta eſt ab adjuncto modo διακονιας & miniſtrandi. Hîc autem modus adjunctus, quia non communis eſt ut ille docentium fuit, ſed proprius in ſingulis Diaconorum ſpeciebus, ideo non γενικως generi ſubjectus eſt, uti ſupra audivimus Prophetiæ dono ſubjectum modum prophetandi, ut nimirum ſit κατ' αναλογιαν της πιστ& & pro fidei proportione, ſed ſingulis Diaconorum ſpeciebus ſuus modus διακονιας & miniſtrandi ſubjicitur. 1. In diſtribuentibus, requiritur ſimplicitas in diſtribuendo. 2. In præſidentibus, diligentia, in invigilando moribus populi. Et 3. hilaritas in miſerentibus: Simplicitatem intelligo diſtribuentium, ſinceritatem eam, quâ fit ut nihill collatum ad uſum pauperum detineant, nec quicquam erogent κ προσωπολη$ιων, ſed pro neceſſitate recipientium & ex mandato Preſbyterii, maximè cùm προσωπολη$ια iſta turbârit CHRISTI Eccleſiam jam inde ab ipſius infantiâ, *Act.* 6. 1. ubi diſſidii primi in Eccleſiâ Chriſtiana notatur occaſio, contemptus viduarum Græcarum in miniſterio: diligentia Preſbyterorum non docentium eſt virtus, & modus miniſtrandi legittimus, ſignificatque ipſorum in attendendo ad mores populi ſedulam aſſiduitatem, ſeu aſſiduam ſedulitatem, utpote quibus magis incumbat ad mores attendere, quam ipſis miniſtris, & in Verbo laborantibus, ſiquidem hi diſtracti ſunt ab eâ diligentiâ doctrinæ & Verbi miniſterio, id quod innuere vult *Petrus*, *Act.* 6. 2. *Non eſt bonum ut relinquamus ſermonem Dei, & miniſtremus menſis.* Virtus miſerentium propria eſt hilaritas, quia ipſis res eſt in ſuo miniſterio cum afflictis & calamitoſis, qui, ſi videbuntur inter miniſtrandum auſteri & faſtidientes

fastidientes calamitatem eorum quibus ministrant, augebunt afflictionem iis quibus esse debent solatio; ideoque requiritur ut quod præstant ministerium afflictis hilariter præstent, & ita ut mitigent afflictis afflictionem.

9. Hactenus officia curam gerentium in Ecclesiâ CHRISTI ordinaria, & perpetua æquitate fovenda, ad usque secundum adventum DOMINI: Ex his diximus colligenda gregis officia ἀναλογως, nempe si Doctor docet pro proportione fidei, etiam pro proportione fidei Ecclesia disceret & proficeret in cognitione Euangelii pacis; & si Pastor hortabitur pro proportione fidei monebit, minabitur, ministrabit Sacramenta, ministrabit disciplinam, cum Presbyteris non docentibus, etiam pro fidei analogiâ obsequi debet grex, & amanter, propter opus uti alibi Apostolus gregi præcipit, 1 *Thes.* 6. 12, 13. nec Diacono deesset duplex honor in Ecclesiâ, nempe honor Christiani hominis primùm, Deinde suæ διακονιας & ministerii, sive cum simplicitate distribuat, sive misereatur cum hilaritate. Sequuntur jam officia communia simul gregi & curam gerentibus, quorum omnium fons & origo est amor, seu dilectio.

Dilectio esto minimè simulata, Quæ & qualis esse debeat dilectio in omnibus, tam grege quàm curantibus gregem, his verbis describitur, à disparato; Dilectio suâ naturâ simplex & sincera est, ut è corde prodiens, uniformiter conspecta in ore & actionibus. Simulatio dilectionis seu dilectio apparens in ore vel actionibus, quæ ipsa à corde minimè prodit, aliena est à verâ dilectione: ideo mandat hîc Apostolus dilectio sit minimè simulata; sed quatenus se patefacit quis vel verbis

vel

vel actionibus diligentem, ea tenus illi teſtis ſit interna conſcientia, quod corde diligat: Huc facit & illud, 1 *Joan.* 3. 18. filioli mei, ne diligamus verbo aut linguâ, nempe duntaxat, ſicut ſimulatè diligentes, ſed etiam opere, id majus eſt, quàm ſolo verbo dil gere & inſuper ἀληθεια veritate ipſâ, quæ in corde ſita eſt: hoc fundamentum eſt communium officiorum; Sequitur propoſitio generalis duarum partium. 1. *Eſtote abhorrentes â malo.* 2. *Agglutinati bono.* Quæ propoſitio è *Pſalmo* petita eſt 34. 15. *verſ.* verſionis Tremellianæ, & ſummam Legis complectitur duabus partibus, quarum prior eſt mali interdictio, Poſterior continet præceptum de bono faciendo, Unde ſequitur notandum nobis, quòd duplex officium ſit, ad quòd nos aſtringit ſincera dilectio, & quòd duplex peccatum ſit officio dilectionis contrarium à quo debeamus abhorrere quicunque non ſimulatè diligimus. Prius officium ab Apoſtolo hîc dicitur talis boni operis præſtatio, quâ manifeſtum ſit cernentibus, quòd nos præſtando ſimus agglutinati bono; Alterum officium eſt abhorrentia & tale mali odium, quod quicunque ſpectant in actionibus noſtris, iidem cernant ſic nos à malo ſeparatos ut ab eo toto animo abhorrentes ſimus: peccatum contra hinc elucet duum generum ſeu duplex, Unum eſt in efficiendo quod malum eſt, quod augetur ſi in efficiendo conſpicitur in nobis efficientibus delectatio in malo eo quod efficimus, cui contraria eſt abhorrentia à malo, quæ poſtulatur in ſanâ Euangelii doctrinâ: Alterum peccati genus eſt boni præſtandi omiſſio, vel etiam frigida præſtatio, ex quâ, quicunque cernit opus, facilè colligit bono minimè nos agglutinatos.

10. Hactenus

10. Hactenus fundamentum fuit Christiani officii, dilectio non simulata. Hactenus etiam propositio fuit, duarum partium. 1. Abhorrere à malo. 2. Agglutinari bono. Jam sequitur propositionis explicatio, in quâ Apostolus, quanquam Lex Dei Decalogo comprehensa veniat veluti lucerna pedibus Euangelium amplexis, non tamen κατ' ἐντολην & secundum ordinem præceptorum decalogi procedit præcipiendo officium, sed tabulas in manus accipit, & prout ferunt Legis tabulæ, officia imponit Christianæ Ecclesiæ: hæc quidem duplicia sunt, quædam absque χρεια & respectu particulari communia, à *vers.* hoc 10. ad *versum* 13. Alia cum particulari χρεια & respectu à *vers.* 13. ad finem *Cap.* Prioris generis præcepta triplicia sunt, nam prima secundam Legis tabulam respiciunt *vers.* decimo: Altera utramque *vers.* 11. quæ tertio loco, primam *vers.* 12. Præcepta absoluta primi generis & quæ secundam Legis tabulam respiciunt, duo sunt, prout duplicia sunt officia quæ populo Dei commendat secunda Legis tabula: nam secunda tabula præcipit quæ hominibus debentur in Domino, & quidem dupliciter vel γενικως & ab unoquoque unicuique, vel ἐν μερει quæ quis alteri præstare debet, pro loco suo & conditione: *Fraternâ charitate alii ad alios amandos propensi.* Prius præceptum, quod secundam Legis tabulam respicit, paucis & veluti compendio complectens postrema secundæ Legis tabulæ præcepta, de vitæ, honestatis, bonorum, famæ studio, quod quisque amanter sic in sese foveret erga alterum, cujuscunque status aut conditionis, ut ab appetitu aut concupiscentiâ contrariâ abstinere debeat; cujus præcepti fundamentum notat

Apostolus

Apoſtolus fraternitatem illam quam habent communem in IESU CHRISTO, amplexi Euangelium: Eſt enim hoc diſcrimen charitatis Legalis & Euangelicæ, (nam & Lex abſque Euangelio urget charitatem) quòd Euangelica charitas fraterna qnidem dilectio ſit, ſed fratrum renatorum in IESU CHRISTO, cùm Legalis illa tantùm ſit fratrum κατα σαρκα & in carne. *Honore alii alios præeuntes.* Secundum præceptum, ſecundam Legis tabulam reſpiciens, quod κατ' ἐυαγγελιον & Euangelico ſenſu extendit veluti Commentarium in primum ſecundæ tabulæ præceptum: nam ibi Legaliter quiſque inferior ſtatu, conditione, ætate & quovis modo κατα σαρκα, jubetur honorem exhibere ſuperiori, at Apoſtolus Euangelicè proponens præceptum, jubet judicio charitatis quiſque in CHRISTO, alterum in Chriſto pariter exiſtentem, putet priorem ſe & ſuperiorem & propter gratiam internam honoret: Ita enim ipſe ſe interpretatur Apoſtolus multis in locis. *Philip.* 3. 17. *Conſiderate eos qui ita incedunt, ſicut nos habetis pro exemplari.* 1 Theſſ. 5. 12, 13. *Precamur vos, fratres, agnoſcatis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & admonent vos, ut quàm maximë charos ducatis propter opus ipſorum.* Heb. 13. 17. *Obedite ducibus veſtris & obſequimini.* Quibus omnibus in locis ad Eccleſias ſcribens, & ipſos in Eccleſiis δυνασας ac potentiores, mandat tamen ſe ſubmittant propter gratiæ præconium ſeu gratiam ad prædicandum Euangelium datam, præconibus Euangelii quantumvis humillimis & contemptæ κατα σαρκα conditionis, ſed generalius hoc probat illud Apoſtoli, *Oneſimum* commendantis ſuo hero & commune præceptum,

ptum, *Ephes. 6. 9. Vos Domini justa facite servis* ἀνιεντες την ἀπειλην *remissis minis, scientes vestrum etiam ipsorum Dominum esse in Cœlis, nec personæ respectum esse apud eum.* Quibus verbis Apostolus apertissimè mandat etiam potentissimis in Ecclesiâ Dominis, observandam, fovendam & pro mensurâ honorandam, gratiæ mensuram in humillimis famulis.

11. *Studio minimè pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Sequuntur utramque Legis tabulam respicientia præcepta tria. Primum de studio. Alteram de zelo secundum scientiam. Tertium de objecto seu scopo, quem respicerent Christiani continenter in omni & studio & zelo: Studium appello, Christiani hominis sedulam diligentiam externam in exequendis officiis sive primæ sive secundæ tabulæ. Hoc mandat Apostolus sit serium, sed κατα μειωσιν ne teneras conscientias Christianorum offenderet, loco serii studii jubet evitent reatum pigritiæ in exequendo illa hominis Christiani officia. Zelum voco ardorem internum propellentem externa corporis membra, ad hoc ut sint arma justitiæ, ad gloriam DEI, sive in primæ, sive in secundæ Legis tabulæ praxi: Hunc professus est aliàs supra 11. 3. & hoc zelo defenditur ex *Psalmis* factum DOMINI, *Mat.* 21. 13. in evertendis mensis, & ejiciendis mercaturam facientibus in domo DEI. Tertium præceptum utrique priori adjectum, est veluti ἐπανορθωσις quâ Apostolus mandat & præcipit Ecclesiæ, ipsi sibi attendat & in studio & in zelo, quia & studium cernitur extra DOMINUM & zelus quoque: Itaque vult attentè observent, ut quicquid studio, quicquid zelo effecerint in eo omni, DOMINO serviant, videantque ne vel interno ardore

vel

externo ſtudio, ad quippiam ferantur niſi præeunte & Spiritu & Verbo DOMINI.

12. *Spe gaudentes, in afflictionibus tolerantes, in oratione perdurantes.* Præcepta ſuccedunt tertio loco, primam Legis tabulam reſpicientia & illa quidem tria numero. Primum eſt gaudium Spiritus Sancti, cujus fundamentum notatur ſpes non pudefaciens. Alterum de tolerantiâ ſeu patientiâ in afflictionibus. Tertium de precibus fidei cum gaudio & patientiâ continuatis; ſpes ponitur pro fundamento gaudii, quia tametſi jam filii, jam hæredes, jam cohæredes cum IESU CHRISTO, nondum tamen cernitur quid futuri ſimus; & quanquam omnia noſtra ſunt, quicunque ipſi ſumus IESU CHRISTI, jure tamen habemus duntaxat, nondum facto, ſed ſperamus & ſpe minimè pudefaciente futurum omnia poſſideamus facto. Itaque dum hîc ſumus, noſtri gaudii materia non eſt futura poſſeſſio, ſed ſpes futuræ poſſeſſionis ut ſupra *Rom.* 5. 2. gloriamur ſub ſpe gloriæ DEI: tolerantia commendatur nobis in afflictionibus, tum quia afflictio ſeu crux ſors eſt filiorum DEI in iſtâ vitâ, tum quia nequit eſſe aut cerni tolerantiâ, niſi ubi tolerantis eſt perpeſſio: Unde Apoſtolus, *perpeſſio facit patientiam.* Tertium præceptum veluti monitio ſubjicitur utrique præcedenti, ne vel gaudium oblivionem, vel afflictio rejectionem precum afferat, à quo utroque malo Chriſtianis cavendum eſt, nam & in proſperis facile ſegneſcimus, & in tentationibus opus habemus celeuſmate illo Apoſtolico, *Philip.* 1. 28. ne ullâ in re timeatis vobis, ab iis qui ſe opponunt & alibi *Phil.* 4. 6. ſed preces veſtræ audiantur coram DEO continuatæ cum gratiarum actione.

13. *Uſibus*

13. *Usibus sanctorum communicantes, hospitalitâtem sectantes.* χρεῖαι præcepta sequuntur quæ pro duplici χρεία & respectu qui ipsa contrahit & particularia reddit, duplicia sunt, est enim ista χρεία & respectus particularis postulans officium vel in aliis à *vers.* 13. ad 19. vel in nobis ipsis, illinc ad finem. In aliis autem χρεία & respectus à triplici oritur fundamento, primùm â diversâ hominum qualitate cum quibus vivitur, *vers.* 13, 14. Deinde à diversâ animi affectione in iis cum quibus vivitur *vers.* 15. Tertio à diversis effectis *vers.* 16,17,18. Quod ad primum,& diversam hominum qualitatem cum quibus vivimus, partitur Apostolus omnes homines in sanctos & insectantes διωκοντας: ubi obiter nos notare vult, quòd quicunque non sunt una nobiscum participes Spiritus Sancti ad sanctificationem, ii omnes sunt διωκονται & sanctorum persequutores; id quod etiam patet ex primâ prædicatione Euangelii, *Gen.* 3 15. Unde Apostolus videtur accersere istam hominum distributionem; nam quemadmodum omnes homines dividuntur in semen serpentis & semen Ecclesiæ, sic dicitur apertè quod perpetuum bellum sit futurum & persecutio à semine serpentis adversus semen Ecclesiæ, donec tandem conteratur serpentis caput, quod multis explicat Apostolus, *Apoc.* 12. De officio in sanctos duo dat præcepta, Unum sanctæ κοινωνιας & communicationis, quâ pro mensurâ collatæ in nos beneficentiæ succurrimus sanctorum indigentiæ & fratrum necessitatibus. Alterum est pręceptum hospitalitatis erga alios exercẽdę.

14. *Benedicite iis qui vos insectantur, benedicite, inquam, & ne imprecamini;* περὶ τῶν διωκοντων & de officio nostro erga insectantes præceptum unicum est,

bene

bene dicamus iis, quod auget Apoſtolus iteratione (benedicite, inquam) & contrarii inhibitione, ne imprecemini: quo ſtudio & ſeriâ hujus officii commendatione Apoſtolus vult nos docere duo, unum quod carne reliquâ, & τῇ φύσει naturâ noſtrâ corruptâ propenſi ſumus ad maledicendum perſequentibus. Alterum quod zelo DEI & robore Spiritus obniteremur huic corruptioni carnis potiſſimùm, & ipſis etiam inſectantibus ſtudeamus benedicere, ut ſi modò ſic fert DEI voluntas, noſtrâ benedictione ipſi ex ipſorum maledictione extrahi poſſint & adduci ad DEUM benedictionis noſtræ.

15. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* Altera in aliis χέσις, & reſpectus urgens nos particulari officio oritur ex diverſâ animi affectione, & interno motu quem cernimus in iis cum quibus vivimus; Pro quo quidem motu Apoſtolus partitur omnes homines in gaudentes & flentes, hoc eſt, vel lætitiâ affectos vel dolore; & præcipit, Chriſtiani utriſq; ſint συμπαθεῖς & pari cum ipſis affectione animi, ut cum gaudentibus gaudeant, & fleant cum flentibus.

16. *Eodem animo inter vos mutuò affecti,* &c. Tertia χέσις & reſpectus perſonarum cum quibus vivimus ex effectis oritur: pro quibus partitur Apoſtolus omnes homines, in vel bono nos afficientes, ut ejuſdem corporis membra, vel malo, ut in diverſo corpore nobis oppoſitos. Officium Chriſtianum utriſque præſtandum proponitur ab Apoſtolo, duobus modis; Seorſim *verſ.* iſto 16. & principio ſequentis, & junctim in fine *verſ.* 17. & *verſ.* 18. officium iis præſtandum, qui ſunt ejuſdem corporis membra & nobis benefici

ſeu

seu ad bonum adjutores triplex est in isto versu propositum. Primum est ὁμονοια & consensus animorum in omni bono, nam alioqui το ὁμοφρονειν seu το αὐτο εἰς ἀλλήλους φρονειν & concordes esse in malo, non modò non est Christianum officium, sed conspiratio contraria officio; Præcipit itaque Apostolus evitent lites & jurgia, cujusmodi ex carne & corruptâ nostrâ naturâ cernuntur oriri passim inter homines: *Non elate de vobis ipsis sentientes, sed humilibus obsecundantes,* Secundum officium fratribus & ejusdem corporis nostri nobiscum membris præstandum, est vera humilitas & vitatio superbiæ, Christianæ humilitati contrariæ, cujus quidem officii duæ partes hîc ab Apostolo distinguuntur oppositæ duplici superbiæ quæ in hominibus cernitur; Prior pars est non altè de sese sentire & suis donis: Altera est humillimis, & in Ecclesiâ minimis membris sese submittere & obsecundare ad eorum in communi gratiâ ædificationem; cùm contrà superbiæ sint itidem hæ duæ partes, Una, altior de se & suis donis æstimatio. Altera, contemptus & rejectio infirmorum fratrum: Hoc officium si cum præcedente conferatur prioris causa est, nam ut superbia abrumpit concordiam, sic Christiana humilitas eandem & efficit & effectam conservat. *Ne estote prudentes apud vos metipsos.* Hoc tertium officium est & vitatio αὐθαδειας qua quis sibi placet in suis opinionibus, quæ contraria est Spiritui discretionis, quo quis modestè & sapienter discernens de tam suis, quam aliorum fratrum mentis conceptibus, id eligit & tenet quod verè bonum est, Nam prudentem esse aliquem apud semetipsum est sic inflari opinione suæ prudentiæ ut nequicquam sapere putet

putet aut patiatur æstimari nisi id quod ipse sapit & opinatur. Hanc ἀυθαδειαν licet vel hîc ut separatum vitium accipere, vel etiam ut tertium gradum & supremum superbiæ illius, quam diximus contrariam humilitati Christianæ. Malo tamen priore modo accipere, ut vitium sit contrarium peculiari officio Christiano seu dono Christiano, quod dicitur spiritus discretionis, sicut supra notatum.

17. *Nemini malum pro malo vicissim reddentes.* Officium sequitur quod ab homine Christiano præstandum malo ipsum afficientibus, & ut supra diximus, in alio quam ipse est corpore mystico ipsi opposito, corpus quod oppositum est mystico corpori Iesu Christi, est illud quod supra nominavimus serpentis semen, & ut *Ioannes* loquitur, viperarum progenies, filii ex patre Diabolo, &, ut sic loquamur, mysticum corpus Satanæ. Hi sanctis & membris IESU CHRISTI nequicquam possunt nisi malum facere, hos tamen ipsos malo afficientes, & quasi ex opposito corpore oppositos, jubet Apostolus hominem Christianum Christianè accipere, & officiosè, & officium quod his vult præstari proponit κατα μειωσιν, & per inhibitionem neglecti officii, *Ne malum reddite afficientibus malo vos.* Pro eo quod diceret & dicit postea, afficientes vos malo, accipite, bonum faciendo ipsis; unà tamen in hoc officio præscribendo vox est, quæ dignissima notatu, non enim dicit Apostolus, *ne malo seu impio reddite malum vicissim pro malo*, sed jubet *nemini* reddatur malum pro bono, quo quidem innuere vult quòd non modò mali sint & improbi illi ex opposito corpore Christianis oppositi, qui hominem Christianum malo afficiunt

ciunt, sed etiam quòd Christianus Christianum afficiat malo, & ejusdem corporis mystici in Iesu Christo membra, unum alteri nocebit, ut *David Uriæ*. Ideoque Apostolus ad hoc officium extra impios & oppositos extendendum, mandat, homo Christianus nemini sive impio sive fratri malum reddat pro malo vicissim, & certè rationi quàm maximè consentaneum est, ut si quis ignoscit impio facienti malum, idem ignoscat & magis fratri per infirmitatem injuriam facienti. Hactenus officium fuit hominis Christiani, tum beneficis, tum malo afficientibus seorsim præstandum, sequitur officium præstandum utriq; junctim, quod duplex est. *Procurantes honesta coram omnibus hominibus*. Hoc prius est quo mandat Apostolus, homo Christianus ita se honestè gerat in omni suâ conversatione & facto, ut omnibus hominibus, sive in Ecclesiâ, sive extra Ecclesiam, sit ipse absque accusatione aut reprehensione in suo facto: Ita tamen ut quod honestè procurat & facit, sic faciat, ut authoritate verbi Dei se possit sistere cuivis examinanti probo vel improbo, & in eo faciendo cum fiduciâ pergat, paratus respondere pro honestate facti, cuivis exigenti rationem ab ipso: sic γένεσις extendo præceptum, non negans tamen, privatim ipsum pertinere ad studium illud quo homo adnititur acquirere ista externa bona vel sibi vel aliis. In hoc potissimùm jubet Apostolus, homo Christianus cernatur honestus & piis & impiis: Praxin vide in ipso Apostolo, 2*Cor*. 8. 21. ubi suum studium in collecta facienda per Ecclesias *Gentium* pro sublevandâ paupertate sanctorum in *Judeâ* (de quâ præmonuit *Agabus Actor* 11. 28.) tuetur hoc ipso Christiano officio, quod nimirum in ea

collecta facienda, honesta procuraret coram DEO & hominibus.

18. *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes.* Alterum hoc præceptum est quòd homo christianus præstaret junctim & pio & impio: Christianus homo cum omni homine tum pio, tum impio viveret pacificè. Sic *Abraham*, *Gen.* 14. 13. pacifice vixit cum Syris *Eschol* & *Aner* fratribus, sic *Isaac* cum *Abimilecho*, sic *Seber* Proselyta cum *Jabine*, sic ipse *Paulus* factus est omnibus omnia, ut cum omnibus pacificè vivens, ex omnibus aliquos lucrifaceret CHRISTO: hoc tamen præceptum pacificè vivendi Apostolus hîc restringit restrictione geminâ, quâ obiter nos admonet, quòd vita ista non sit vita pacis nostræ, nec sumus hîc pacificè victuri cum omnibus hominibus modo sancto, quia nostra vita cum DEO in CHRISTO reposita est in Cœlis; Prima restrictio hæc est. *Quantum in vobis est.* Sensus est, certum est quòd perturbata sit pax vestra in hâc vitâ (dixit enim supra esse quosdam persequentes & afficientes malo filios Ecclesiæ) Sed occasio perturbandæ pacis ne à vobis procedat (ait Apostolus) sed quantum in vobis est etiam cum improbis pacem colite. Altera restrictio præcepti his verbis exprimitur, cùm dicit Apostolus, *Si fieri potest.* Quo vult innuere quòd non possit fieri, quin pacis nostræ perturbandæ occasio à nobis ipsis Christianis procedat: quia nobis in CHRISTUM credentibus, cum fide, retinenda oris confessio est, quam neutram vel fidem in CHRISTUM, vel confessionem ejus patietur cum pace mundus improbus: itaque mandat Apostolus, homo Christianus propter mundana

hæc

hæc non turbet suam pacem: Interim admonens quod si Religione urgeatur ab improbo mundo, non deserat vel fidem vel professionem propter mundi pacem, quia sæpè fieri nequit, quin occasio ab ipso procedat, quanquam causa in improbis hæreat fidem persequentibus: & hinc nobis dat Apostolus hæc observanda; Primùm, quòd fieri nequeat in mundo hoc improborum, quin occasio pacis Ecclesiæ perturbandæ procedat ab ipsâ Ecclesiâ & filiis ejus, si enim potuisset Ecclesia omnem suæ pacis perturbandæ occasionem evitasse, dixisset Apostolus, pacem habete cum omnibus, nec addidisset, si fieri potest: sed conditionem addens hanc, si fieri potest, innuere vult quòd non possit fieri ut manens Dei Ecclesia aut filius Ecclesiæ quispiam, pacem habeat cum mundo. Sic *Noahum* oportuit cum mundo contendere, vel non persistere in spe quòd servaretur in aquis improbos submergentibus; Sic *Mosen*, vel Deum offendere oportuit, vel *Pharaonem*, & sic *Abimelech* vel officium *Davidi* negasset, vel occasionem *Sauli* præbere oportuit, & suæ cædis & familiæ; quod dignum est notatu ut sancti possimus distinguere inter causam & occasionem turbandæ pacis Ecclesiæ. Occasio aliquando ab ipsâ Ecclesiâ: sed causa semper hæret in reprobis, ut occidendi *Achimelechi* occasio ab ipso *Abimeleco*, & officio quod *Davidi* sanctè præstitit, sed causa in *Saule* hæsit qui non potuit audire vocem ullam de officio *Davidi* præstito, propter malè inclinatum ipsius animum adversus *Davidem*. Unde sequitur aliud discrimen inter causam & occasionem perturbandæ pacis Ecclesiæ: Causa semper cum peccato conjuncta est, sed occasio esse potest sine peccato, quia fieri

alioqui non possit, quin vel deserat officium, vel det improbo mundo occasionem perturbandæ suæ pacis. Unde jubet Apostolus, si fieri possit, pacem colite; significans sæpe id non posse fieri, retento officii tramite in quo persistere oporteat. Deinde notandum ex Apostolo illhic, quòd quandocunque occasio perturbandæ pacis vitari possit sine peccato, vitanda sit, sic enim Apostolus ait, quantum in vobis est pacem colite, hoc est, quoad potestis vitare occasionem perturbandæ pacis vestræ sine peccato, vitate: & notatu hoc dignissimum est tertiò, quòd nequeat Christianus facere id quod sine peccato non potest facere, sic enim Apostolus hîc negat in nobis esse aliquando vitare occasionem perturbandæ pacis nostræ, quia id sæpè fieri nequit sine peccato nostro.

Hactenus σχέσις fuit & respectus in aliis pro quâ varie commendavit Apostolus Christianis officia, sequitur jam σχέσις altera & respectus qui in ipsis cernitur Christianis quos ob id Apostolus vocat sibi dilectos, & pro quâ schesi seu respectu in ipsis existente, incumbit iis officium aliis præstandum in Domino, & ut benè audiat Euangelium De I quod ipsi profitentur, etiam inter externos cernentes præstitum ab iis officium. Pro hoc respectu qui in ipsis cernitur Christianis, Apostolus Christianos dividit in duo genera, quidam sunt affecti injuriâ, alii petuntur ut injuriâ afficiantur: Utrisque incumbit pro suo statu & conditione officium Christianum quòd proponit Apostolus ut supra, separatim primùm *vers.* 19. & 20. Junctim deinde *vers.* ultimo. *Non vos metipsos ulciscentes.* Hoc officium est separatim Christianorum injuriâ affectorum, quod proponit

nit καὶ ἄφεσιν καὶ θεσιν per inhibitionem & diversum mandatum: Inhibitio est ne ipsi ab aliis acceptas injurias ulciscantur; id quod φυσικῷ ἀνθρώπῳ & mundo JEHOVAM nescienti consuetum est & quotidianum, ulcisci nempe vicissim acceptas injurias. *Sed date locum iræ.* Hæc thesis est & pars altera diversorum quâ Apostolus affirmativè ostendit Christianis quodnam officium ipsis incumbat, quandocunque ipsi afficiuntur injuria; Officium est dare locum iræ; quod quidam accipiunt de propriâ ipsorum ira, ut sensus sit, Christiani injuria affecti parcant iræ suæ, ne per eam provehantur ad vindictam præsentem injuriarum, qui mos est & consuetudo perennis mundi. Alii accipiunt de irâ DEI, ut sensus sit, ipsi acceptis injuriis non irascerentur ad vindictam, sed permitterent maleficos non resipiscentes iræ JEHOVÆ, ita ut sua ira iræ JEHOVÆ locum det, tribuaturque JEHOVÆ gloria ulciscendi improbos in irâ suâ justissimâ: Sunt qui iram intelligunt adversarii ipsius & injuriam afficientis, ut sensus sit, quòd Christiani longanimes sint quemadmodum Pater ipsorum longanimis est, expectans etiam maleficos & injuriam facientes multa lenitate, si forte DEUS dederit resipiscentiam: Puto ego selectis verbis his, *Date locum iræ.* Hunc triplicem sensum ab Apostolo comprehendi, nam omni hoc triplici sensu junctim confirmatur officium dandi locum iræ, per argumentum quod subjungit Apostolus. *Scriptum enim est, Mea est vindicta, ego rependam. dicit Dominus.* Authoritate DEI è Lege petitâ, *Deut.* 32. 35. confirmat Apostolus utramque & ἄφεσιν & θεσιν, sic, Ultio injuriarum solius JEHOVÆ propria est qui promittit fore rependat, & præstabit pro-

miſſum, Ergo Chriſtiani & qui credunt in Jehovam, non ulciſcerentur ipſi ſuas injurias, Ergo parcerent ſuæ iræ ut locum dent Deo iraſcendi improbis, ſi non reſipuerint, & ulciſcendi in irâ ſuâ juſtiſſimâ injurias ab iis illatas ſuo populo : id quod ipſius proprium eſt ut fert citatæ Scripturæ authoritas.

20. *Itaque ſi eſurit inimicus tuus, ciba eum : ſi ſitit, da illi potum.* Inimicum hic intelligo hoſtem Chriſtianorum qui ipſos petit ut afficiat injuriâ : itaque præceptum eſt, quod ſeparatim incumbit homini Chriſtiano, qui ab hoſte petitur ut afficiatur injuria : Officium hoc eſt, ut homo Chriſtianus hoſti ſic ad injuriam petenti occurrat benefaciendo : ſed τὸ γενικὸν & generale præceptum proponit Apoſtolus in duplici particulari officio & è Scripturâ petito : Si eſurit hoſtis tuus, hoc eſt, qui tibi vellet præripere & vitam & victum, occurre ipſi cibando eum, & miniſtrando neceſſaria neceſſitati ejus : ſimiliter ſi ſitit, da ipſi potum : Hoc præceptum duplici argumento confirmat Apoſtolus, Primum enim ipſum infert è ſuperiori præcepto per argumentum à majori ad minus, Chriſtianus homo non ulciſceretur acceptas injurias, Ergo quod minus eſt, non occurreret hoſti, hoſtiliter injuriam facere volenti, injuriam inferendo, ſed beneficium dando loco injuriæ : Hanc deductionem notat Apoſtolus in principio *verſ.* per vocem οὖν itaque. *Hoc enim ſi feceris, carbones ignis coacervabis in caput ejus.* Secundum hoc eſt argumentum præcepti, Allegoricum & ex Scripturâ deſumptum, unde & præceptum deſumebatur, *Pro.* 25. 21, 22. quâ quidem Allegoriâ notat Spiritus Sanctus, quòd homo Chriſtianus ſi benefecerit malefacere

malefacere cupienti, ipsum hostem & malefacere cupientem si non resipuerit, reddet benefaciendo ἀναπολογητον inexcusabilem, atque ita exaggerabit ei iram in diem iræ & judicium in diem justi judicii DEI; nam ut ignis carbones capiti impositi excruciant hominem cujus capiti imponuntur; sic beneficium hominis pii præstitum inimico, ipsum & in vitâ torquebit suæ injuriæ & ἀναπολογησιας conscientia, & in æternum torquebit exaggeratione iræ DEI & judicii si non resipuerit; exemplo est *Davidis* justificatio per *Saulem* semel atque iterum expressa hosti per beneficium. 1*Sam.* 24. 18. 26. 21.

21. *Ne vincitor ab eo quod malum est, sed vince bonitate malitiam.* Præceptum de officio quod junctim incumbit Christiano homini tum passo injuriam, tum petito ab hoste ad injuriam: Utrique incumbit junctim non vinci maleficio, vel ejus qui malefacit, vel ejus qui voluerit malefacere, sed homini Christiano incumbit vincere utriusque malitiam bonitate suâ: Vinci malo est maleficio improbi induci ad vicissim illi malefaciendum. Vincere autem malitiam bonitate, est ita hostibus, sive malefecerunt nobis, sive voluerunt malefacere in posterum, supereminere ut ipsi evidentiâ bonitatis nostræ & præstiti officii cogantur sincerè nos justificare, ut *Saul Davidem.*

Caput

Caput decimumtertium.

HActenus & *Cap.* 12. præscripsit Apostolus Christianis officia Christiana quæ ipsis incumbunt quatenus ipsi sunt membra Ecclesiæ IESU CHRISTI; Jam, quia Christiani officiosè viverent in mundo & absque scandalo apud externos.

Hoc *Capite* 13. præscribit eis officia ab illis præstanda in Repub. Quæ ut illa superiori Capite, partim σχετικα sunt & orta à particulari respectu ad *vers.* 7. partim communia hinc ad *vers.* 11. Unde ad finem *Capitis* communi quasi conclusione claudit præceptiones suas de moribus utriusque generis, tum quæ Christianis conveniunt ut sunt membra Ecclesiæ, tum quæ conveniunt ipsis ut sunt membra Reipub. Sunt itaque *Capitis* 13. hæ tres partes; Prima de particulari officio Christianorum in Repub. Altera de eorundem in Rep. communi officio. Tertia continet communem conclusionem præceptorum de moribus. σχεσις & respectus aliorum ad alios in Rep. gemina est, nempe superiorum una ad inferiores. Altera inferiorum ad supereminentes quovis modo. Pro hâc χεσει distributa Repub. in superiores & inferiores, Apostolus apertè præscribit officium inferiorum quod ipsi præstare debent erga superiores: Ex quâ quidem præscriptione elucet evidentissimè etiam quæ sint officia à superioribus præstanda suis subditis in Rep. Christianâ: Si enim ut potestati à DEO ordinatæ ego præsto obedientiam superiori & præsidi meo, ipse etiam præses, mihi qui supereminet, tenetur mihi

præsidere

præsidere & suam in me potestatem exercere non ultra quam ipsi institutum à Domino. Quemadmodum igitur peccat homo Christianus & Christianum officium ab ipso præstandum violat, si non paruerit superiori, justa, & in Domino præcipienti; sic peccat & ipse superior, si injustè præceperit & non in Domino, nec ipsi ab inferiori præstanda obedientia; & quidem propter conscientiam, hoc est, ne injusto superioris præcepto & impio, præstando obedientiam, peccet contra Dominum & proinde contra conscientiam: Sicut igitur propter conscientiam parendum est superiori, ut ait Apostolus, ita propter conscientiam neganda est superiori obedientia quandocunque ipse discedit in præcipiendo ab obedientiâ Dei, qui solus supremus est, & cujus unius voluntas ita regula est justitiæ, ut quicquid voluerit possit præcipere, & quicquid præceperit præstari debeat ab omni homine; quanquam igitur hæc κοινα præcepta proponuntur simplicia, & inferioribus duntaxat, tamen ἀναλογως & pro pari compensatione duplicia sunt, quemadmodum *Ephes.* 6. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9. Apostolus exprimit quintum Decalogi præceptum, unde & ista officia deducuntur.

1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto.* Anima synecdochicè ponitur pro toto composito, nimirum homine quemcunque Deus altero fecit inferiorem quovis modo, potissimùm in Rep. ut sensus sit, omnis homo subjectus esto ei, quemcunque ipsi in Repub. præfecit Dominus: Deinde subjectionis nomine ut quodam compendio, comprehensum est omne id officium quodcunque inferior quis, superiori suo debet in Domino. Est

itaque

itaque hoc unicum in iſto Capite præceptum σχεδικον ex quo expreſſo aliud ſequitur & ἀναλογως. Præceptum expreſſum, hoc eſt. Omnis anima, omnis homo inferior ſubjectus eſto, præſtet omne officium quod in DOMINO præſtare debet *Poteſtatibus ſupereminentibus*, *i. e.* iis quos ipſis præfecit DOMINUS, & Præceptum generale eſt de officio præſtando cuivis in Rep. ſuperiori, quocunque gradu ſuperior ſit, aut nomine appelletur, ut hunc locum exponit *Petrus*, 1 *Pet.* 2. 13, 14. ubi tamen notari dignum eſt, quod Apoſtolus non *potentes* ſupereminentes ſed *poteſtates* dicit, quo innuere vult Apoſtolus quòd homò Chriſtianus in ſuæ obedientiæ officio, ſanctè & ſapienter diſcerneret inter potentem & poteſtatem, hoc eſt officium ſuperioris & ipſum hominem qui gerit officium; & quidem in hunc finem triplicem. 1. Ut ne ipſi denegetur ſuperiori quod tali poteſtati ex ordinatione præſtandum eſt. Deinde ne ſe dedat homini, quamvis ſuperiori, obedientem homo Chriſtianus, ultra quam ferat poteſtas & DEI ordinatio, ut obedientia non ſit προσωπολημψια, & perſonæ reſpectus, ſed officium profectum à conſcientiâ poteſtatis à DEO ordinatæ. 3. Ut quando obedientia deneganda fuerit (quia potens excedit limites potentiæ ſuæ à DEO ordinatæ) tamen ipſa illa obedientiæ denegatio cum ratione fiat & reverenter propter reverentiam quam præſtare debet homo Chriſtianus poteſtati quâ veſtitus eſt, & quam præ ſe fert potens ille qui ultra limites poteſtatis conceſſæ præcipit. *Non enim eſt poteſtas.* Argumenta ſequuntur præcepti, quatuor; Primum eſt ab efficiente cauſâ *verſ.* primo reliquo & *verſ.* 2. Alterum eſt ab effecto magiſtratus, hoc eſt,

est, ab ipsius opere & fine operis *vers.* 3. 4. Tertium ab impositâ necessitate *vers.* 5. Quartum ab effecto ipsorum subjectorum *vers.* 6. Primum argumentum; ordinationi Dei, seu quod à Deo est, ei non est resistendum homini Christiano, at potestas omnis à Deo est, Ergo potestati non debet resistere homo Christianus, sed ipsi se submittere; Concluditur ipsum præceptum quidem, sed formâ negativâ, nam idem est, sive dixeris, quòd homo Christianus omni potestati subjectus esset, sive quòd nulli potestati resisteret: Quod ad reliquas argumenti partes attinet, assumptio est primo loco & in fine *vers.* 1. confirmata causâ, *i. e.* efficiente quæ est ordinatio Dei, & geminâ assertione ei ordinationi superstructa, quarum una proponitur per geminam negationem, *Non est potestas nisi à Deo.* Altera simpliciter & absolutè, *Quæ sunt potestates, sunt à Deo.* Cui utrique subjicitur fundamentum & causa, cùm dicit Apostolus, quòd à Deo ordinati sunt.

3. *Itaque quisquis se opponit potestati, DEI ordinationi resistit.* Propositio argumenti cum inclusâ conclusione: potestati non est resistendum, quia ordinationi Dei non est resistendum. *Qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem afferunt.* Propositionis confirmatio est ab effecto resistentiæ, quâ quis resistit ordinationi Dei, quod effectum est condemnatio: Qui restiterit ordinationi Dei, ipse sibi afferet condemnationem, hoc est pro mercede suæ resistentiæ reportabit condemnationem, Ergo homo Christianus & qui per Iesum Christum à Deo sperat salutem, non condemnationem, is non resisteret Dei ordinationi: & hîc etiam notatu dignum est quod Apostolus

dicit

dicit illos resistere ordinationi Dei, non quicunque se opponunt potentibus, sed quicunque se opponunt potestati, sic innuens quod quandoque resistentia justa fieri possit adversus potentem, *v. g.* non potuit regnum *Israeliticum*, recepto jam *Jeroboamo* Rege, restitisse potestati ejus, tamen eidem urgenti vitulos potuit restitisse; quæ resistentia non fuisset adversus potestatem, sed adversus potentem potestate abutentem; Potuit; Imo non modò potuit sic restitisse, approbante Deo & conscientiâ, sed etiam debuit, quod quia non fecit, ideo passim à Prophetis reprehenditur ipse populus *Israeliticus* ut defectionis reus coram Deo, quia non impedivit defectionem, quam quanquam à Regibus profectam impedire & potuerit & debuerit: Ista tamen superioribus impiis & Religionem conculcantibus facta resistentia, non fieret à quibusvis, aut quovis privato, sed ab ordinibus Regni & membris majoribus vel omnibus, vel aliquibus. Rectè igitur fecerunt *Israelitæ* privati, qui toto regno *Israelitico* Regi impio in apostasiâ suâ obsequente, ipsi Regi & regno non restiterunt, sed transierunt in regnum *Judæ*, 2*Chron.* 11. 16. ibi juxta Legem Jehovæ, Jehovam culturi bonâ conscientia: ut itaque non licet privatis resistere Magistratui etiam impia præcipienti, sed potius loco cedere & emigrare eo, ubi Deo possunt bonâ conscientiâ servire: Sic nec damnandi sunt regni ordines, & majora Reipub. membra, si quando restiterunt superiori, Ecclesiam & verum Dei cultum vastare cupienti, modo resistentiæ illius arma defensiva fuerint adversus tyrannidem, non offensiva & quæ petant superiorem; cujusmodi illa, ordinum *Galliæ*,

liæ, superioribus his annis, quibus se tuebantur, adversus Regem, Papismum urgentem, & ipsos persequentem propter purum DEI cultum. Quanquam itaque hujusmodi resistentes, propter conscientiam, à tyrannis ipsos propter DEI cultum persequentibus vocari soleant rebelles, & ut tales proscribi, non sunt tamen, ne ipsis quidem tyrannis persequentibus, vel rebelles vel hostes, sed subditi longe optimi: id quod luculenter apparet ex dissimili comparatione horum sic tyrannis resistentium, & eorum qui hostes vel rebelles potestati: Rebelles enim & hostes non sunt arma deposituri pro voluntate potestatis, quamvis justa offerentis, at hi se daturi fuissent obsequentissimos superioribus, si duntaxat ipsis permisissent JEHOVÆ servire.

3. Sequitur alterum argumentum, quod sic habet: quicunque DEI minister est ad bonum homini christiano, illi homo christianus subjectus esset, seu sese subjiceret, at magistratus est tibi (ait Apostolus christiano) minister DEI ad tuum bonum, ergo tu ipsi esses subjectus, & te sponte subjiceres: ad hoc argumentum transit Apostolus hoc *versu* tertio θεολημπτικως, & præoccupando id quod objici potuit à christiano homine: objectio sic habet, qui terrori est, ei ego me non possum subjicere, magistratus terrori est, nequeo igitur me subjicere magistratui: huic objectioni respondet Apostolus in principio hujus *versus* per distinctionem assumptionis, nempe quod verum sit magistratum terrori esse malis operibus & male operantibus: hæc una pars distinctionis est; Altera hæc, bonis operibus & bene operantibus non est terrori magistratus,

unde

unde Apoſtolus quaſi ſe convertens ad chriſtianum hominem, infert quaſi conſectarium hypotheticum, non eſt quod metuas magiſtratum ſi quod bonum eſt feceris, id quod probat Apoſtolus contrario, ſi quod bonum eſt feceris, laudem conſequeris à magiſtratu, ergo ſi quod bonum eſt feceris non eſt quod metuas magiſtratum.

4. *DEI enim miniſter eſt tuo bono.* Aſſumptio ſyllogiſmi ſeu argumenti ſecundi [*quod ſi*] ex aſſumptione infert conſectarium hypotheticum ut ſupra, *metue magiſtratum ſi quod malum feceris, non enim temere gladium geſtat.* Ratio conſectarii & metus illius qui malefacienti eſt à magiſtratu, à fine fruſtrato inſtituti magiſtratus; ſi malefaciens non metueret magiſtratum, temere geſtaret & fruſtra Magiſtratus gladium, at non temere geſtat, nam DEI miniſter eſt, Hanc aſſumptionem probat, Primum argumento ducto ab officio, eſt DEI miniſter ad iram ei qui quod malum eſt fecerit; Secundum argumentum à fine officii: ad hoc DEus magiſtratum aſciſcit ſibi miniſtrum ut ulciſcatur malefacientes, ergo non geſtat fruſtra gladium.

5. *Quapropter eſt neceſſe ſubjici.* Tertium hoc argumentum eſt, quo concludit Apoſtolus quod omnis anima ſe ſubjiceret poteſtatibus ſupereminentibus: argumentum ab adjunctâ neceſſitate eſt. Neceſſe eſt ſubjici, ergo omnis anima ſe ſubjicere debet, nam ad quod præſtandum neceſſitate urgemur, legittimè & honeſte, id à nobis debet præſtari libenter, cum itaque legittimâ & honeſtâ neceſſitate teneamur ad præſtandam ſubjectionem, nos poteſtatibus ſupereminentibus debemus ſponte & libenter nos ipſos ſubjicere: hujus argumenti ſola aſſumptio in Textu poſita, eſt unicum in hoc argumento

gumento τὸ ἀμφιβαλλόμενον & de quo possit dubitari. *Non solùm propter iram.* Confirmat assumptionem, & quòd necesse sit, nos subjiciamus Magistratui, productis in medium honestæ & legittimæ necessitatis hujus fundamentis: oportet subjiciamur Magistratibus, & necessitas subjectionis est, quia alioqui divinitus Magistratus armatur justâ irâ adversus non subjicientes: Ergo ad vitandam iram debemus nos Magistratui subjicere. *Sed propter conscientiam.* Alterum fundamentum, conscientiæ est: Conscientiam intelligo officii in subditis, quo ipsi tenentur juxta quintum Legis Præceptum se subjicere, idque amanter, potestatibus supereminentibus, propter mandatum Jehovæ, ita ut conscientia ista non data sit aut superstructa legibus humanis, sed Divino Præcepto; Unde sequitur quòd non ultra teneantur subditi parere Magistratui propter conscientiam quam quo usque ipse bonâ conscientiâ & authoritate Verbi Dei præsidet & præcipit: & præterea notatu dignum est, quòd ira Magistratus, nisi feratur contra immorigeros, officium negantes, juxta præceptum Jehovæ, non justa sit, nec legittima, nec timenda à subditis, sed per eam mediam, vi Divini Spiritus, transeundum sit Christianis in Christiana militiâ ad victoriam in Christo: Id quod cernitur in *Daniele*, qui per speluncam leonum conscendit ad victoriam cum tribus sociis, qui flocci fecerunt iram Regis præ divino officio, quanquam proposito fornace ignis immorigeris & septies incenso,

6. *Propter hoc etiam tributa solvitis.* Quartum est & ultimum argumentum quo confirmat Apostolus quod christiani se subjicerent magistratui: hoc desumptum

ptum est ab ipsorum effecto, solvunt tributa, & propter laborem ac ministerium, sic enim se habet argumentum. Cui solvitis tributa pro ministerio, & promovendo communi opere, ei vos subjiceretis in illo opere faciendo, at ipsi vos solvitis tributa magistratui pro efferendo communi opere gubernationis Reip. in DOMINO, ergo illi vos in illo opere faciendo subjiceretis libenter & amanter: Sola assumptio in Textu est & ipsa ἀυλοπις & ἀυλοπισω subjecta propositioni, quare citrà ullam ulteriorem probationem reliquit Apostolus ipsis concludendum quod ipsi se subjicerent potestatibus supereminentibus in DOMINO: quare in posteriore *versus* parte quod dicit; magistratus in hoc ipsum incumbentes esse, per *hoc ipsum* intelligit officium quod ex verbo DEI & in bona conscientia incumbit magistratibus præstandum; quod est sancte & in DOMINO rempublicam curare, & præesse & præcipere subditis:

7. *Reddite igitur omnibus quod debetis.* Secunda pars capitis quâ sicut & prima, unicum præceptum continetur de communi christianorum officio omnibus præstando in Repub. simul cum ipsis viventibus: præceptum hoc est, reddite omnibus & unicuique quod debetis: omnes nobiscum una in Repub. viventes, sunt vel nobis æquales, vel inæquales, inæquales sunt quicunque nobis superiores, quicunque item inferiores nobis: de his hactenus fuit in hoc capite particulare præceptum pro particulari σχεσει & respectu ad invicem: De his iisdem jam, & cæteris omnibus, quicunque in alterâ divisionis parte, & nobis æquales, dat Apostolus præceptum præstandum omnibus & singulis, ut concivibus nostris & in Repub. nobiscum cohabitantibus:

tibus: Præceptum est de universali justitiâ, cujus summa est hæc; Jus suum tribuite cuique, sensus itaque est, homo Christianus quisquis fueris, superior, inferior, vel concivibus æqualis, teneris tuâ Christi professione, cæteris omnibus & singulis in Repub. tecum concivibus; pro suo loco & gradu præstare hoc officium, ut nequicquam ulli debeas: Hoc officium Apostolus & confirmat (quòd nimirùm incumbat Christianis) & illustrat; Confirmatio breviter comprehensa est, illativa particula ἐν igitur. Illustratio subjicitur, & eam pluribus verbis prosequitur Apostolus. οὖν igitur: Hæc particula illativa ostendit hoc alterum in Capite præceptum, quod est de communi Christianorum officio, illatum esse ex præcedente disputatione, & officio κοινῷ, & particulari præcepto de officio inferiorum erga superiores, & quidem argumento, à pari consequutione in relatis, sic, Inferiores præstarent officium debitum superioribus, & vicissim superiores inferioribus, Ergo pari ratione, & æquales æqualibus & omnes omnibus debent reddere, quod debent officium. *Cui tributum debetur, tributum.* Sequitur communis præcepti illustratio gemina. Prior ab inductione est officiorum, quæ alii aliis debent; sed imperfecta & quatuor partium duntaxat, absque epilogo, quarum tres primæ è superiore disputatione desumptæ, officia continent ab inferioribus præstanda præsidibus & supereminentibus: nam tributum reddere est inferiorum, vectigal item & timorem, nam inferiorum est superiores timere, qui ordo ubicunque invertitur, cernitur ibi inversum & diabolicum officium, ut diebus Christi voluerant præsides *Judæorum* Ecclesiastici dixisse, *Io-*

annis Baptiſtæ baptiſma eſſe ab hominibus, ſed ne id dicerent diſtinebantur timore populi. Item Christum voluerant prehendiſſe in feſto Paſchatis, decreverunt tamen in Conſilio convocato id non faciendum, Ratio redditur, ne tumultus fieret in populo: Timebant ergo Dominum palam comprehendere, quia timebant ſibi ipſis à populo inferiori: Qui quidem inverſus timor arguit in ipſis abolitum officium. Nam ſi non fuiſſent ſtolidi Paſtores illi, quorum & exſiccatum brachium dextrum, & excæcatus oculus dexter, *Zach.* 11. hoc eſt, niſi ipſi ab officio deſciviſſent, non ipſis fuiſſet populus timendus, ſed ipſi fuiſſent timendi populo. *Cui honorem.* Quarta pars inductionis eſt, & triplici præcedenti abſimilis, nam ut priores inductionis partes continebant officium ab omnibus præſtandum ſupereminentibus, ſic hæc quarta continet officium commune, & ab omni Chriſtiano, omnibus & ſingulis Chriſtianis præſtandum; Nam omnium eſt, omnibus tribuere honorem, ſicut nos docet Apoſtolus *Cap.* ſuperiore *verſ.* decimo, dùm dicit de omnibus in genere Chriſtianis, & æqualibus & inæqualibus; *Honore alii aliis præite.*

8. *Nemini quicquam debete.* Secunda Præcepti illuſtratio eſt à pari in contrariis conſequutione, nam reddere & debere contraria ſunt; ſic igitur illuſtrat ſuum præceptum Apoſtolus, nemini debete quicquam, reddite igitur omnibus quod debetis; Illuſtratio ab illuſtriore ſumenda eſt: Hoc itaque accipit Apoſtolus ut cognitum & illuſtre, quod nemo alteri perſiſteret debitor alicujus officii: Unde planum facit quod præcipit, nempe qnod quiſque alteri redderet debitum, *Niſi hoc*

ut

ut alii alios diligatis. Epanorthoſis & correctio proximi interdicti, de nemini quicquam debendo; ſumpta eſt Epanorthoſis ab uno quidem officio & illo quidem communiſſimo, ut ſupra oſtendimus 12. 9. *Dilectio eſto & minimè ſimulata.* Propter hoc officium dilectionis commune, corrigit præceptum de interdicto debito, ſic oſtendens quòd diligere ſeu amare tale ſit in Chriſtianis officium, quod ſemper & perpetuò ſolutum, nunquam perſolvatur, ſed ſemper vel ſummè præſtantibus, hoc eſt maximè alios diligentibus maneat inſuper præſtandum: cujus rei ratio una eſt fundamentum hoc quod docet Apoſtolus, 1*Cor.* 13. ult. ubi dicit quòd *Charitas non deficiat, ſed maneat ſemper,* etiam ceſſantibus & fide & ſpe [*Nam qui diligit alterum, Legem implevit*] Altera hæc Ratio eſt Epanorthoſeos præter illam ex 1*Cor.* 13. Hæc ſumta ab effecto ſic diligentis, ut non ultra ſit dilectionis debitor: Effectum eſt ſic Legem adimplere, ut non amplius teneatur implens adimplere, qnod eſt ἐν τοῖς ἀδυνάτοις & rebus impoſſibilibus, nam qui vel perfectiſſimè Legem implevit, non deinceps liber eſt ab eâ adimplendâ, ſic ut non teneatur ultra adimplere eam: quia ſemper legittimè Chriſtiano vivendum eſt: Hinc igitur ſic arguit Apoſtolus, Quicunque ſic dilexit alterum ut non ultra teneatur ad eum diligendum, is ſic Legem adimplevit, ut non amplius teneatur ad implendam Legem, ſeu legittimè vivendum. At nemo eſt qui ſic implevit Legem, ut non ultra teneatur ad legittimè vivendum, Ergo nec ſic quiſquam dilexit alterum, ut non amplius teneatur ad ipſum diligendum. Legem hîc intelligit Apoſtolus eam quæ eſt de officio homini

præſtando ab homine, nam de hominis officio erga hominem hoc loco diſputat: Hæc autem Lex de officio hominis erga hominem ea eſt, quæ ſecundâ Legis tabulâ comprehenditur.

9. *Siquidem illud, non occides*, &c. Duobus argumentis probat propoſitionem proximi Syllogiſmi, & quod quicunque alterum diligit, implevit Legem. Prius ſumptum eſt ab inductione perfectâ; ſic, ſi omnia ſecundæ tabulæ præcepta hoc uno Præcepto comprehenſa ſunt, diliges proximum ſicut teipſum, tum ſequitur quòd quicunque alterum diligit ſic, ut non amplius diligere teneatur, is Legem impleverit. At prius verum: quòd hâc inductione patet, *Non mœchaberis, non occides*, &c. & ſi quod aliud ſecundæ tabulæ præceptum, hoc uno ſermone ſummatim comprehenditur, *Diliges proximum ſicut teipſum*: Ergo & prius verum eſt; Aſſumptionis ſola probatio in Textu expreſſè poſita eſt.

10. *Charitas proximum non afficit malo.* Altera probatio eſt Aſſumptionis, à diſparato dilectionis tali, quod totius Legis de hominis erga hominem officio tranſgreſſionem continet; quod diſparatum eſt proximum malo afficere; Unde ſic arguit Apoſtolus. Si charitas proximum non afficit malo, tum charitas ſeu dilectio eſt Legis impletio: At prius verum, Ergo & poſterius. Priore parte *verſ.* continetur Aſſumptio, *Itaque expletio Legis eſt charitas.* Altera pars *verſ.* & concluſio Syllogiſmi proximi, quæ eadem eſt cum propoſitione primi Syllogiſmi. Hîc eſt notatu dignum quod Apoſtolus definiat amorem, Legis expletione, quemadmodum *Ioannes* tranſgreſſione legis peccatum:

nam

nam sive de Lege officii hominis erga hominem loquamur, de quo Apostolus hîc loquitur, charitas erit ejus impletio, sive etiam de Lege officii hominis erga Deum, charitas erit ejus adimpletio; ut igitur peccatum est Legis transgressio, & utriusque ejus tabulæ, sic charitas est utriusque Legis tabulæ observatio, unde sequitur quod peccatum & charitas sunt duo sic adversa & opposita, ut uno posito tollatur alterum, & uno negato ponatur alterum.

11. *Atque hoc, scientes opportunitatem*, &c. Sequitur tertia pars *Cap.* & generalis conclusio præceptorum de moribus, quæ hactenus fuerunt à principio *Cap.* 12. Ad generalem conclusionem transit Apostolus per admonitionem illam de dilectionis perpetuo debito: nam dilectione, uti proximè probatum, veluti quodam compendio, comprehenditur omne Christiani hominis officium præstandum homini, sive in Ecclesiâ, sive in Republicâ. Apostolus igitur concludendo quòd semper diligendum sit, seu ab homine Christiano dilectionis officium, sit omni homini tanquam semper solvendo, nunquam absolutè persolvendum debitum, eâdem opera concludit quod homo Christianus omne præstaret officium omni homini cum quo vivit, sive in Ecclesiâ, & ut Ecclesiæ membrum, sive in Repub. & ut membrum Reipub. Et ut sic hunc locum accipiam, efficit respectus geminus hujus *vers.* 11. nam hoc *vers.* Apostolus unâ eademque opera probat, tum quod proximè probavit, nempe nemini quicquid esse debendum, nisi hoc ut alii alios diligamus, tum id quod deinceps conclusio concionis est *vers.* 12. & 13. nempe, abjiciamus opera tenebrarum; Et hic geminus respectus

hujus *verſ.* manifeſtus eſt, partim ex clauſulâ poſita in principio *verſ. Idque perſpectâ opportunitate.* Quâ repetit quod dictum à principio *verſ.* 8. nempe nemini quicquam debendum, niſi hoc ut alii alios diligamus, ut ſenſus ſit, idque moneo, ſeu & hoc dico, nemini quicquam debete, niſi hoc ut alii alios diligatis, perſpecta quæ nunc offertur opportunitate, nempe à vobis ipſis, quemadmodum à me Apoſtolo perſpecta & animadverſa eſt, nam participium plurale εἰδότες notat hanc καιρὸν & opportunitatis animadverſionem referendam eſſe etiam ad ipſos *Romanos*, ad quos ſcribit, *viz.* vos mecum ſcientes & animadvertentes præſentem opportunitatem, debetis nemini quicquam debere niſi ut alii alios diligatis. Hic prior reſpectus eſt hujus *verſ.* 11. Poſterior, & quo hic *verſ.* reſpicit ſequentia manifeſtus eſt ex particulâ in alterâ parte *verſ.* 12. poſita, οὖν, quæ notat monitionem ibi poſitam, *Abjiciamus opera tenebrarum*, deductam eſſe veluti ex antecedente, ex argumento ab eâdem opportunitatis animadverſione in principio *verſ.* 11. ut ſenſus ſit; ſcientes opportunitatem vos ſimul & ego, abjiciamus opera tenebrarum: In hâc igitur poſtremâ *Cap.* parte primo loco ponitur communis concluſionis argumentum *verſ.* 11. & principio 12. quod idem alterum argumentum eſt præcedentis præcepti, nemini quicquam debete niſi hoc ut alii alios diligatis. Secundo loco & medio *verſ.* 12. ponitur ipſa concluſio communis, quæ deinceps in fine *verſ.* 12. & duobus ultimis variè amplificata explicatur.

Perſpectâ opportunitate. Commune argumentum ſimul antecedentis & concluſionis communis quæ ſequitur;

tur sumptum est ab adjunctâ opportunitate, unde sic arguit Apostolus. Si jam tempestivum est nos à somno expergisci peccatorum, ad mutuo diligendum semper, & omne officium omnibus præstandum, tum in Ecclesiâ, tum in Repub. expergisceremur nos jam à somno peccati ad omne officium & mutuo semper diligendum, At prius verum est, Ergo & posterius. Somnum hîc intelligo mortem in peccato, interprete ipso hoc Apostolo, *Ephes.* 5. 14. ubi postquam ex *Isaiâ* citasset, *Excitare qui dormis*, subdit & vice Commentarii ex eodem Prophetâ, *Surge à mortuis*; Si excitare dormientem sit à mortuis resuscitare, etiam somnus dormientium in peccato est ipsa in peccato mors. Deinde expergiscentiam hîc intelligo resipiscentiam, quæ regenerationem insequitur, nam per eam qui dormit in peccato excitatur ad officium, & qui mortuus in peccato resurgit ad semper diligendum. *Nunc enim propius est salus quàm cum credidimus.* Ratio proximæ assumptionis & quâ probat jam tempestivum esse nos à somno expergisci. Argumentum probationis deducit ab adjunctâ salutis propinquitate *Nunc*, quæ proponitur & illustratur per comparationem majorum, salus nostra nunc est propior seu magis est prope nos quam cum credidimus: Ut intelligatur ista probatio, exponendum primò tempus est adverbio *νυν* notatum, Deinde illud, quo dicuntur credidisse, & tertiò videndum, quid salutis nomine significetur. Per *νυν* nunc notari puto tempus exorientis Euangelii: Per tempus illud quo credidisse dicuntur, notatum puto tempus Legalis ministerii & omne antecedens à primò factâ promissione in Paradiso, quo toto Euangelium habe-

bant

bant licet obſcurius, & promiſſiones etiam Euangelicas, quibus crediderunt fideles ſub Lege & ante Legem. Per ſalutem intelligo regnum Cœlorum & iſtius regni in nobis complementum quod & propinquaſſe dictum eſt exoriente Euangelio, quo clarè illud regnum revelatum eſt, & conſummandum eſt in altero DOMINI adventu. Itaque Apoſtolus hoc *verſ.* eodem modo argumentatur quo *Baptiſta Math.* 3. 2. appropinquat regnum Cœlorum, ſeu propius nunc eſt, veniente Euangelio, quam fuit in diebus fidelium ſub Lege & ante Legem, Ergo vos ſuperveniente tempore Euangelii reſipiſcite, ſeu ut loquitur hîc *Paulus*, tempeſtivum eſt vos à ſomno expergiſci & reſipiſcere: Hujus expoſitionis authorem habeo ipſum Apoſtolum, *Gal.* 3. 23. *Antequam veniſſet fides ſub Legis præſidio tenebamur concluſi in eam fidem quæ erat revelanda.* Ubi Apoſtolus docet credentes ſub Lege, promiſſionibus Euangelicis ſuſtentatos fuiſſe, uſque dum veniſſet clara fidei revelatio & manifeſtatio regni Cœlorum ut *Ioannes* loquitur, quo Cœlorum regno, ſeu quâ fidei revelatione clarâ, corroborantur fideles in CHRISTO jam ſub Euangelio, & conſervantur ad plenam ſalutem proximè inſecuturam; Ita ut jam magis prope nos ſit ſalus quàm fuit credentibus vel ſub Lege, vel ante Legem. Una eſt adverſus hanc expoſitionem objectio hæc quod Apoſtolus hîc ſcribat ad *Romanos*, *Gentes*, qui nunquam fuerunt ſub Legali Miniſterio, & proinde non poterant dici tunc credidiſſe. Ad hanc reſpondeo quod verum ſit Apoſtolum ſcribere ad *Romanos* Euangelium amplexos, quorum plerique è *Gentibus* introducti, non *Judæi* erant, ſed Apoſtolum eos hîc alloqui non

non jam ut *Gentes*, sed concives regni Cœlorum & membra unius illius Ecclesiæ, quæ jam inde à principio fuit, ipsisque tanquam Ecclesiæ membris dicere, quòd salus & Cœlorum regnum magis appropinquet ipsis, quàm illorum olim primoribus, non *Gentes* intelligens unde orti, sed fideles sub lege & ante Legem intelligens, quorum ipsi per fidem filii, ut ipse Apostolus asserit, *Galatas* pariter *Gentes* alloquens, *Gal.* 3.7. quicunque ex fide sunt (etiam *Gentes*) ipsi sunt filii *Abrahami*.

12. *Nox præcessit, dies jam appropinquat.* Noctem hîc intelligo tempus quod transegerant *Romani* ut *Gentes*, & in ignorantiâ veri DEI; Diem autem, illud tempus quo plenè renovati, facti sunt filii lucis, & illuminati verâ cognitione DEI in CHRISTO, ut sensus sit, nox, *i. e.* tempus ignorantiæ vestræ, præcessit, *i. e.* jam plenè præteriit, nisi quod in renatis & illuminatis, adhuc superstint nondum plenè mortificatæ reliquiæ prioris ignorantiæ & corruptionis, & dies ille plenæ liberationis vestræ, & ab ignorantiâ, & à corruptione naturæ, jam instat, & propediem affuturus est. Est itaque hoc secundum argumentum quo probat Apostolus jam tempestivum esse, ipsi à somno expergiscantur, à comparatione dissimili prioris status ipsorum in Gentilismo, & præsentis jam accepto Euangelio: Unde Apostolus sic arguit, si tempus ignorantiæ vestræ sic elapsum est, ut nihil illius ignorantiæ superstit præter reliquias, & si ita vos illuminati estis cognitione DEI in CHRISTO, ut vobis, & clarè exortus sit dies Euangelii, & in propinquo sit dies salutis vestræ, sequitur quòd vobis jam tempestivum sit à somno peccati expergisci & resipiscere. At prius verum, Ergo & posterius. *Abjiciamus*

igitur

igitur opera tenebrarum. Hæc concluſio commnnis eſt de Chriſtiani hominis officio præſtando & in Eccleſiâ & in Rep. deducta ex argumento quod jam præceſſit ex opportunitate, ut notat particula νυν igitur. Sic, ſi jam tempeſtivum eſt nos à ſomno expergiſci, debemus abjicere opera tenebrarum, & officioſè vivere ut filii lucis, tam in Eccleſiâ, quàm in Rep. At prius verum, Ergo & poſterius, Aſſumptio præceſſit, concluſio habetur verbis proximè citatis. *Et induamur habitu qui luci conveniat.* Sequitur illuſtratio communis concluſionis à diſtributione ſeu enumeratione partium abjectionis hujus, quâ abjicimus tenebrarum opera; Partes duæ ſunt: Prior eſt de habitu & internâ animi reformatione. Altera de inceſſu eſt, & externâ corporis actione, ſeu moderatione. Lucem hìc intelligo cognitionem Dei in Iesu Christo. hæc oppoſita eſt nocti & ignorantiæ Dei in Christo, de quâ dicit Apoſtolus *Eph.* 4. 18. *Gentes* habuiſſe cogitationem ſic obtenebratam, ut propter illam in ipſis ignorantiam abalienati ipſi eſſent à vitâ Dei. Prima itaque pars abjectionis operum ignorantiæ poſita eſt in acquirendo habitu, & conſuetudine agendi internâ, quæ luci & cognitioni Dei in Christo conveniat.

13. *Ut interdiu compoſitè ambulemus.* Altera pars eſt abjectionis operum tenebrarum, quæ inceſſum & externam actionem reſpicit: Inceſſus noſter & ambulatio, qui Chriſtiani ſumus, hoc eſt, externa corporis actio omnis eſſet compoſita & conformata Verbo Dei, & quæ luce & interdiu nobis conveniat. *Non in comeſſationibus.* Utramque partem præcedentis illuſtrationis, illuſtrat denuo diverſis, ſed κατ' ὑπεξαιρεσιν, in

priore

priore enim parte diverſorum, inductione partium incompoſiti inceſſus, illuſtrat inceſſum compoſitum, & qualis eſſet interdiu: Partes incompoſiti inceſſus, aut indecoræ externæ actionis enumerantur ſex, Commeſſatio, ebrietas, cubilia, quæ incompoſitæ ſunt corporis actiones, contrariæ tertio præcepto ſecundæ tabulæ, *non mœchaberis*: At protervia vox Metaphorica eſt & ſumpta à brutis animantibus, quæ ſe protervè opponunt hominibus utentibus: eſt itaque hæc quarta actio externa corporis incompoſita, contraria primo præcepto ſecundæ tabulæ. *Non in lite & invidiâ.* Duæ reliquæ actiones corporis incompoſitæ, contrariæ ſunt ſecundo ſecundæ tabulæ præcepto, Litem enim intelligo omnem externam corporis contentionem, & agitatam in hominibus controverſiam: Invidia, ſimultas eſt aliorum adverſus alios in corpore ſe exerens, vel geſtu, vel ſermone, vel aliquo alio externo modo.

14. *Sed induimini Domino Ieſu Chriſto.* Altera pars diverſorum eſt, quâ illuſtrat habitum illum lucis, quo præcepit Apoſtolus homo Chriſtianus induereṭur ſupra *verſ.* 12. & habitus hîc habet duas partes, quarum prior poſita eſt in induendo CHRISTO: Induere CHRISTUM eſt CHRISTO veſtiri ſic ut ipſe nobis ſit pro indumento & tutiſſimo & glorioſiſſimo, Duplex enim uſus indumenti eſt: Prior, tutela induentis adverſus externas aëris injurias: Alter, decus & ornamentum perſonæ indutæ; Dùm igitur præcipit Apoſtolus, induimini IESUM CHRISTUM, remittit nos, Primùm ad noſtri ipſorum conſiderationem & ad perpendendum, quæ ſit noſtra per naturam conditio, nimirum quod ſumus veluti fœtus expoſiti & objecti injuriæ multorum

externorum

externorum; Id quod docuit DEUS etiam veterem Eccleſiam per Prophetam ſuum, *Ezech.* 16. 5. Deinde quòd in probro ſumus, ut ibidem notat: quod utrumq; de nobis verum naturâ, & ut ſub peccato ſumus, nam & juſtitia & ira DEI & executionis juſtæ iræ & judicii ab ipſis imminentia, omnia hæc nobis τῇ φύσει naturâ adverſa ſunt, unde nil niſi ignominia & probrum poſiſciſci poteſt. 2. Per præceptum hoc Apoſtolus commendat nobis CHRISTUM & adverſus injurias externas induendum & ad repellendam ignominiam; Quod utrumque efficit DOMINUS IESUS CHRISTUS omnibus ipſum induentibus; Nam primùm & juſtitiæ ſatisfecit divinæ, & ſedavit iram, & hoſtes ſubegit, & Angelos, & homines, quicunque exequerentur juſtam DEI iram in nos, Imò omnia judicia nobis jure debita ipſe in ſe tranſlata ſuſtulit è medio, *Iſa.* 53. 5. ſic tutos nos reddit adverſus imminentia mala. Secundò ipſum induentes, ut ipſe glorioſus eſt, ſic ipſe glorificat & plenè glorificabit in illo die: Hæc igitur prior pars eſt habitus lucis. Altera eſt rejectio curæ carnis, quâ Chriſtiani ſe quaſi carne exuunt, nam carne ſimul veſtiri, & CHRISTO, & impoſſibile eſt, & ſi fieri poſſet, nec tutum foret, nec honeſtum induenti. Itaque qui vult habitu lucis veſtiri, ut CHRISTUM induat ad defenſionem & gloriam, oportet carnem exuat; ut quæ dedecori eſt, & conjuncta cum quàm plurimis judiciis. Carnem autem exuere definit Apoſtolus curam carnis ſic rejicere, ut cupiditates ejus explere minimè ſtudeamus, imò carni obniteremur, ut ambulemus in Spiritu: nam explere carnis cupiditates, eſt κατὰ σάρκα ſecundum carnem ambulare., facere quæcunque ſtudet faciendæ caro,

caro. Nam duo hæc contraria sunt, spiritus & caro, & contraria concupiscunt, *Gal.* 5. 17. Cùm itaque in filiis gratiæ, & verè Christianis, quamdiu hîc sunt, supersint carnis reliquiæ adversantes Spiritui, sic ut carnis cogitatione & operibus, propter infirmitatem nostram nequeamus esse liberi; Præcipit tamen Apostolus, sic incumbamus in partes spiritus, & sic carni resistamus, ut nunquam comperiamur carnis cupiditates explere, seu nos dedere ad serviendum peccato, quia sic irritatur spiritus ut deserat, aut saltem sic ad tempus abscondat se, ut brevis ille secundum carnem incessus desinat in immensum luctum; id quod severissimè evenisse legimus *Davidi.*

Caput decimumquartum.

HActenus præscripsit Apostolus homini Christiano officia ab ipso præstanda in communi corpore; & communia omnibus & σχετικα pro σχεσει & particulari statu ac conditione eorum quibus præstanda fuerunt: & quemadmodum corpus geminum est in quo homo Christianus vivit veluti membrum, ita duobus *Cap.* 12. & 13. proposita sunt præcepta de his officiis in communi corpore præstandis; Jam sequuntur hoc *Cap.* 14. præcepta, non corpori, sed aliquibus ad corpus accedentibus, pro suo statu & conditione præstanda: Hi sunt fide infirmi, ad corpus tamen Ecclesiæ accedentes, & in eâdem Repub. & corpore politico nobiscum existentes. Quare præ-

cepta

cepta in hoc *Cap.* ſubſequentia quodam modo communiora ſunt præcedentibus; utpote præſtanda & Eccleſiæ & Reip. unius ac ejuſdem membris: alio autem modo particularia magis præcedentibus, quia accedentibus ad corpus præſtanda ſunt, pro accedentium conditione, non autem corpori aut in communi corpore pro ὄχεσι ut ſuperiora: nam infirmi fide, non corpus ſunt vel Eccleſiaſticum, vel Civile, ſed in eâdem Rep. ſeu civili corpore membra quædam, ad commune Eccleſiæ corpus accedentia; id quod notare velle videtur Apoſtolus, dum in principio *Cap.* dicit *aſſumendos eos*, nam aſſumi, officium eſt propriè præſtitum accedentibus, & de hoc officio aſſumendi infirmos Apoſtolus hoc *Cap.* & principio ſequentis dat tria præcepta. Primum eſt de aſſumptione ipſâ à *verſ.* 1. ad alteram partem *verſ.* 13. Alterum eſt de non dando ſcandalo infirmis fratribus quos aſſumunt, inde ad finem *Cap.* Tertium in principio *Cap.* 15. ubi mandat, aſſumptis indulgeamus. A *verſ.* autem 5. *Cap.* 15. ad *verſ.* 15. ejuſdem, concludit hæc præcepta de officio infirmis preſtando.

1. *EUm verò qui fide eſt infirmus, aſſumite.* Alloqnitur ergo Apoſtolus fide firmos: unde hoc ſequitur, quòd credentium in IESUM CHRISTUM, aliqui ſunt fide firmi, alii ſunt infirmi fide, & utriſque his verbis Apoſtolus præſcribit officium Chriſtianum; firmis quidem expreſſè, infirmis autem Analogiâ, & per conſequens: Firmorum officium eſt, infirmos aſſumere, quemadmodum *Aquila* & *Priſcilla Epheſi* aſſumpſerunt *Apollon*, nihil præter *Ioannis* baptiſma cognoſcentem, *Act.* 18. 26. Infirmorum autem ἀναλογῶς & per conſequens officium eſt, ſe dare firmis aſſumendos

dos, hoc est, non respuere sed agnoscere officium illud assumptionis, ut divinitus profectum & ex Dei misericordiâ in ipsos collatum: nam frustra quis assumeret respuentes assumptionem: firmos fide appello eos qui ut fidem Euangelii amplexi sunt, sic edocti sunt fidelium in Christo libertatem, quod nimirum omnia pura puris, nec quicquam impurum puro, nisi putanti id impurum esse: quia nimirum Christus fidelibus omnia sanctificavit novo jure in ipso: Unde hîc idem Apostolus 1*Tim.* 4. 4. omnis creatura Dei bona est nec ulla respuenda si cum gratiarum actione recipiatur. Hanc fidei firmitatem, & libertatem in Christo divinitus docetur ipse Apostolus Iesu Christi *Petrus*, adhuc fide infirmus, *Act.* 10. nam ostensâ illâ visione divinâ de jam sanctificatis, quæ sub Lege impura erant, & dum ipse jubetur promiscuè mactare & vesci, respondenti ex istâ fidei infirmitate & Legis conscientiâ, id non posse præstare se, quod quæ offerebantur divinâ visione, pleraque erant Lege impura, & cujusmodi ipse Legis conscientiâ, hactenus nulla tetigerit, mactârit, ederit, dicitur divinitus quod illa omnia quæ Lege impura erant, jam sub Euangelio sanctificata sint fidelibus sic ut ad usum legittimum absque omni impuritatis conscientiâ possint recipi cum gratiarum actione: Fide contra infirmos appello, qui vel facto quidem in Christo initio nondum edocti sunt plene viam Domini, Sic infirmus fuit *Apollos* cùm ab *Aquilâ & Priscillâ Ephesi* assumeretur, vel eos voco fide infirmos, qui amplexi fidem Christi, nondum sic cognoverunt libertatem fidelium in Christo, quin teneantur conscientiâ prioris alicujus servitutis Religiosæ quæ præcessit

cessit revelatam illis fidei doctrinam. Sic *Act.* 11. 2. qui ex circumcisione Hierosolymis credebant, ex istâ ipsâ fidei infirmitate, contenderunt cum *Petro* tanquam contra officium transgrediente, quod ingrederetur ad *Gentes* & cum iis vesceretur. Hæc contentio orta est ex conscientiâ servitutis sub Lege, quæ præcessit fidem & quâ illicitum *Judæis* vel communiter vesci cum *Gentibus*, vel cum illis conversari. Utriusque infirmitatis Apostolus acerbè reprehendit *Galatas*, Primùm quòd ex fidei hâc infirmitate, spiritu incipientes vellent in carne perfici, *Gal.* 3. 3. & quidem contra libertatem quam habent fideles in DOMINO IESU CHRISTO, *Gal.* 5. 1. Deinde quòd amplexi quidem CHRISTUM sunt, sed suâ infirmitate effecerant, ut CHRISTUS nondum sit in ipsis formatus, unde *Gal.* 4. 19. dicit Apostolus se denuo parturire *Galatas*, & velle se iis adesse donec formaretur in ipsis CHRISTUS.

Est itaque hoc primum in hâc parte præceptum, quo præscribit Apostolus utrisque, & fide firmis & infirmis officium: Illis quidem expressè ut assumant infirmos fide utriusque generis; His autem & utroque modo infirmis, ex consequente nempe, dent se firmis assumendos: Assumere autem infirmum fratrem est nihil obstante infirmitate, eum veluti fratrem in CHRISTO amplecti, & ipsum leniter erudiendo, pro removenda infirmitate operam dare: sic *Aquila* & *Priscilla* *Apollon* amplexi ut fratrem, cum lenitate docuerunt perfectius viam DOMINI; Dare autem sese assumendos, duo ista complectitur, Primùm agnoscant, gratias agentes de beneficio hoc assumptionis ipsorum, & quod ipsos veluti fratres amplectantur firmi, Deinde libenter

libenter dent se infirmi erudiendos ab ipsis pro removendâ infirmitate suâ & supplendo defectu qui in iis fuit; In quo utrovis si peccaverint infirmi, jam transgrediuntur officium Christianum, & peccant contra illud ipsum principium quod in CHRISTO fecerunt. Unde Apostolus graviter objurgat aliquando, non recipientes eruditionem, *Gal.* 3. 1. imò adversus eos contendit, *Act.* 15. 1. Imò falsos fratres appellat, nuntios Satanæ, falsos Apostolos, seductores, 1*Cor.* 11. 12. & *Gal.* 2. 4. Unde patet quod διακρίσεις istæ, in quibus ferendi sunt infirmi fratres, non sunt tamen ἁπλῶς & absolutè διακρίσεις, sed κατὰ τι & ad tempus, hoc est, respectu infirmitatis credentium, de quibus spes est quod leni eruditione confirmari possunt; & tantisper duntaxat dum ferant illi leniter erudiri; si enim pertinaciter rejecerint firmorum officium in assumendo & erudiendo, jam desinunt esse infirmi fide, & illa ipsa quæ ante διακρίσεις, jam hæreses fiunt, & à firmis in fide resistendæ. Sic *Paulus* postquam infirmiorum gratia circumcidisset *Timotheum*, restitit in *Tito* circumcisioni, cujus propugnatores ut dictum, Satanæ emissitios appellat, & professores certiores reddit, quod si persisterent in professione circumcisionis, CHRISTUS in Euangelio oblatus nihil iis sit profuturus, *Gal.* 5. 2. Hinc iis responderi potest qui ex *vers.* hujus *Cap.* 2. & 5. insimulant violati officii, infirmis fratribus præstandi, eos qui acrius insectantur & reprehendunt vel festorum dierum, præter Sabbathum, observationem in Ecclesiâ Euangelicâ, vel hierarchiam surrogatam Synodis Ecclesiasticis, vel alia id genus quæ ipsi plenis buccis prædicant διακρίσεις. In quibus, aiunt illi, si quid vitii

ineſt, infirmitatis tantum peccatum eſſe, & tale, propter quod non turbanda pax Eccleſiæ acerbis reprehenſionibus infirmorum, ſed ipſi etiam ſic delinquentes, aſſumendi ſint, & ut fratres in CHRISTO amplectendi: Reſponſio his danda, talis eſt, quod vera dicant omnia, quamdiu ἀδιαφορα ſunt, quæ dicunt ἀδιαφορα, & fratres infirmi, quos dicunt infirmos: at ſi poſtquam aſſumpti ſunt hi infirmi, & amanter ex verbo DEI edocti infirmitatem ſuam, ſuæ tamen infirmitatis viam nolunt relinquere, nec illi ipſi jam amplius infirmi ſunt, ſed pertinaces & Hæretici, & ea pro quibus pertinaciter ſtant, primitus quidem ἀδιαφορα, quamdiu ipſi infirmi fuerant, jam non amplius pro adiaphoris habenda ſunt, ſed pro Hæreſibus, & à firmioribus ſeu fide ſincerioribus acerrimè reſiſtenda, & propugnantes tanquam falſi fratres rejiciendi; in quo quidem faciendo firmiores nec peccant, nec violant pacem Eccleſiæ reprehenſione pertinacium, ſed omne vitium hæret hîc in ipſis qui putari volunt infirmi, propterea quod negent pertinaciter, ſe dedere vel DEO, vel Verbo DEI, vel fratribus ex Verbo DEI leniter docentibus aſſumendos, quod ipſorum eſt officium, ut firmiorum eſt aſſumere. Sic *Paulus* tanquam hæreticos in Chriſtianiſmo inſectatus eſt contendentes pro circumciſione (quâ tamen ipſe uſus eſt infirmorum gratia in *Timotheo*) & adeo ut hoc unum prædicet fundamentum ſuorum certaminum, *Gal.* 5. 11. *Ego autem, fratres, ſi circumciſionem prædico, quid adhuc perſequutionem patior?* Quaſi dicat, non certamina mihi ſunt cum fidem negantibus & CHRISTI apertis hoſtibus, ſed cum Hypocritis qui CHRISTUM, & fidem, & docentes, & profitentes

fitentes, ſua tamen pertinaciâ admiſcent prædicationi Iesu Christi, quæ & Christum & Christi fidem enervant. Sic ipſe de his ipſis, de quibus agitur, Adiaphoris, *Gal.* 4. 10, 11. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos. Metuo de vobis ne fruſtra laboraverim in vobis,* prædicans Christum & Euangelium. *Non tamen ad certamina diſputationum.* Epanorthoſis eſt primi præcepti, quâ præoccupat eos qui aſſumunt ſibi quidem infirmos fratres, ſed id perperam ita faciunt, ut aſſumptio illa non minus ſit violatio divinitus præcepti officii, quàm ſi non aſſumpſiſſent; Imò magis, nam ad certamina diſputationum aſſumere infirmum fratrem magis obeſt infirmo, quàm ſi non aſſumeretur & proinde major hîc quam illic violatio officii: *Certamina diſputationum:* Hâc voce diſputatiònes eriſticas & contentioſas intelligit, quibus qui diſputant, ita utrinque ſtant pro ſuâ ſententiâ & ſæpè abſque evidenti ratione, ut cernantur utrique non veritatem quærere ex ſolidis veritatis fundamentis ad communem utriuſque ædificationem, ſed uterque victoriam de altero ad oſtentationem victoris, & victi dedecus: Hæc certamina diſputationum, ipſum agendi compendium eſt ſi quis vellet infimum fratrem pertinacem efficere, ideoque Apoſtolus, quaſi verba præceptionis ſuæ corrigens, interdicit firmioribus has contentiones, mandatque ne infirmos aſſumant ad certamina iſta, quia ſic violatur magis, quàm præſtatur officium.

2. *Alius quidem credit veſcendum eſſe quibuſvis* Explicat proximam Epanorthoſin, ſimulque præceptum de aſſumendis infirmis fratribus, exemplorum inducti-

one, quæ duarum eſt partium: Quarum prior habetur *verſ.* 2, 3, 4. Altera *verſ.* 5. & deinceps. In primâ parte hunc ſervat ordinem. Primum proponit exemplum fratris firmi qui aſſumeret, & fide infirmi qui aſſumendus eſt *verſ.* 2. Deinde præceptum ſubdit utrique de officio ſuo *verſ.* 3. Tertiò ſubdit argumentum officii ab infirmis præſtandi in fine *verſ.* 3. & *verſ.* 4. Exemplum hoc prius eſt de veſcendo vel non veſcendo, in quo monere Apoſtolus vult, quod poſtea monet hoc ipſo *Cap. verſ.* 17. Regnum DEI non eſſe poſitum: & quod utrumque proinde, ipſum quidem per ſe ἀδιάφορον eſt, & tantiſper manet quamdiu quis fide infirmus non edit niſi olera: Sin edoctus infirmitatem ſuam non reſipiſcit, ſed pertinaciter tuetur Regnum DEI poſitum in non edendo vel in edendo, non hoc, ſed illud, jam iſtud ipſum edere, & non edere, non amplius ἀδιάφορον eſt, ſed hæreſis & corruptio puritatis Euangelicæ. Exemplum hoc à *Judæis* petitum eſt, qui quanquam crediderant, conſcientiâ tamen ſui cultus ſub Lege, non putabant licitum quibuſvis veſci, ſed ſequendum Legis *Moſaicæ* interdictum de non veſcendis; Hos vocat Apoſtolus fide infirmos propter ignorationem libertatis Euangelicæ, & contra πίστεις credentes & fide firmos, qui ut fidem CHRISTI amplexi ſunt, ſic firmiter credebant quibuſvis licitè veſcendum eſſe in uſu legittimo, quandoquidem puris ſunt omnia pura ad uſum legittimum.

3. *Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeto.* Præcepta ſequuntur, quorum prius credentibus datur, & fide firmis, ne pro nihilo habeant, ſeu contemnant non edentes propter fidei infirmitatem: Unde mihi diſce

disce quòd contemptus fratrum infirmorum, quo fratres infirmi pro nihilo habentur, sit contrarius assumptioni illi infirmiorum, quam firmioribus *vers.* 1. præceperat, unde sequitur quod assumptio illa sit, ut supra dictum est, potissimum posita in debitâ fratrum infirmorum æstimatione.

Qui non edit, edentem non condemnato. Alterum præceptum ad infirmos spectans, unde sequitur quod 1. *vers.* propositum præceptum, quanquam expressè solos fide firmos obliget, ἀναλογῶς tamen & ex consequente ad ipsos pertineat fide infirmos; Quod autem infirmorum officium ponit Apostolus in non condemnãdo, docere vult quod violatio officii in infirmioribus sit posita in condemnando firmiores, & quòd proinde superba condemnatio absque ratione, fundamentum sit cur se non dedant assumendos à fide firmis, leniter ipsos & ex verbo docentibus.

Deus enim eum assumpsit. Sequuntur argumenta posterioris præcepti, & cur qui non edit, edentem minimè condemnaret: Unde docere nos vult Apostolus quod quanquam pro nihilo habere infirmos fratres, grave peccatum sit, infirmioribus tamen condemnare fide firmos peccatum sit gravius. Argumenta duo sunt, Prius est ab effecto DEI: Quem DEus assumpsit, hoc est, in CHRISTO fide apprehenso approbavit, eum homo non condemnaret edentem, libertate Christianâ utentem, & quibusvis vescentem: At quibusvis vescentem assumpsit DEUS, Ergo infirmus fide, & qui non quibusvis vescitur, non condemnaret quibusvis vescentem; Ubi obiter mihi observa quòd Apostolus quanquam expressè ratiocinatur cum infirmis fide, pro

præſtando officio, tacitè tamen argumentum obliget ipſos firmos ad officium præſtandum infirmioribus: quia ſi firmos aſſumpſit DEus, cur non & ipſi infirmiores aſſumerent?

4. *Tu quis es qui condemnas alienum famulum?* Secundum argumentum à diſparatis, nemo condemnaret alienum famulum, atqui veſcens quibuſvis, DEI famulus eſt, non tuus qui edis olera ex infirmitate fidei, non tu igitur qui non edis, condemnares edentem. *Proprio domino ſtat aut cadit.* Ratio propoſitionis, & cur alienus famulus non ſit condemnandus; ſi ſtat, ſtat ſuo domino, ſi cadit, cadit ſuo domino; Ergo ſui domini eſt, famulum ſuum, vel condemnare cadentem, vel ſtantem juſtificare, aut ſtabilire. *Stabilietur autem.* Epanorthoſis proximæ disjunctionis. *Stat aut cadit.* Imò etiam concluſionis, non tu igitur infirmus fide condemnares edentem, quanquam condemnandus eſſet, ſed dominus ſuus. Utrumque hoc ſic corrigit Apoſtolus, non cadet ſed ſtabilietur, non condemnabitur à ſuo domino, ſed juſtificabitur: *Poteſt enim Deus eum ſtabilire.* Ratio Epanorthoſeos à DEI potentiâ: poteſt eum Deus eum ſtabilire, ergo ſtabilietur: At dices argumentum non valere à poſſe ad eſſe, Reſpondeo id verum, niſi quando juſtitia eſſe poſtulat. Hoc enim poſito quod quis debeat hoc facere, argumentum validum eſt, ſi ipſe juſtus ſit, à poſſe ad eſſe, & præſtiturum eum quod poteſt præſtare; quanquam igitur DEus nulli ſit, vel eſſe poſſit debitor creaturæ, tamen cum ipſo juſtum eſt, firmiter credentes in CHRISTUM IESUM juſtificare propter IESUM CHRISTUM in quem credunt: iſta eſt ſecundum DEUM juſtitia & teſtimonium

nium habens Legis & Prophetarum, *Rom.* 3. 21.

5. *Alius quidem æstimat diem præ die, alius autem peræquè æstimat quemvis diem.* Secundum exemplum est, seu pars altera inductionis, quo illustratur præceptum primo *vers.* propositum, cum suâ Epanorthosi de fratribus infirmis assumendis non ad certamina: & hoc qnoque exemplum è Lege petitum, cujus præcepto secernebantur novilunia, variique dies festi à reliquis diebus in veteri populo, cujus quidem rei reminiscentia ita affecit *Judæos* etiam ad fidem Christi conversos, ut infirmitate suâ plerique omnes credentes, zelum retinerent Legis & veterum festorum, sic *Jacobus* & Presbyteri Hierosolymitani profitentur, *Act.* 20. 21. Conspicis frater (*Paulum* alloquitur) quot sunt millia *Judæorum* qui crediderunt, suntque omnes accensi zelo Legis; Hujus præposteri zeli pars aliqua fuit, diei præ die æstimatio, quæ quidem eo tandem pervicaciæ prorupit in *Judæis* credentibus, ut urgerent illi, etiam *Gentes*, Judaicorum festorum observatione, ut videre est *Galat.* 4. 10. *Dies, menses, tempora & annos observatis. Metuo de vobis, &c.* Hoc ostendit *Paulus Galatis*, & hoc malum illi Ecclesiæ obrepsit studio dictorum Judaizantium: ut igitur supra qui edit olera, sic hîc infirmus est qui diem æstimat præ die, & sicuti supra credens dicebatur, seu fide firmus, qui de libertate Christianâ persuasus, novit sibi licere, omnibus vesci, sic in hoc *vers.*, fide firmus est, qui de Christianâ libertate persuasus peræquè æstimat omnem diem, nec propter Legis ceremoniam, diem præfert diei. *Unusquisque in animo suo plenè esto persuasus.* Hæc monitio est data ab Apostolo communite

muniter utrique, & diem præ die æſtimanti, & illi qui omnem peræquè æſtimat: Monitio hæc eſt ut in utroq; genere unuſquiſque agat pro fidei menſurâ, & ſic, ut credat quod facit placere Domino: Hác quidem monitione Apoſtolus oſtendit utriſque, & æſtimantibus, & non æſtimantibus diem, quàm ſint propinqui malo, maximè niſi utrique ſibi caverint: nam ſi æſtimantes diem præ die fuerint edocti libertatem in Christo, jam non amplius poſſunt diem præ die æſtimare in Domino, & cum fidei certitudine, quia cognitæ veritati adverſantur: Itaque non amplius ſunt fideles infirmi, ſed oppugnatores cognitæ fidei & infideles: monet itaque hos Apoſtolus, quamdiu diem præ die æſtimant, examinent ſuam firmitudinem fidei, ne contrà lucem & fidem facientes, infideles reperiantur, & pertinaces in mendacio. Similiter firmos admonet, ne ſua libertas ſit ſuperſtructa fidei implicitæ, aut alienæ authoritati ſic, ut non habeant ſuæ libertatis certitudinem in ſeſe, ſic enim nec ipſi quidem firmi, ſed infirmi fuerint, imò malè agentes; Ut qui quod agunt, ſine fidè agant & certitudine in ſeipſis: Itaque vult Apoſtolus, uterque & firmus & infirmus quod agit, agat, pro ſuâ fidei menſurâ, & ſic, ut nec qui æſtimat diem præ die amplius id faciat, quam uſque quo edoceatur Chriſtianam libertatem, & quòd peræquè æſtimandus ſit omnis dies: nec qui peræquè æſtimat omnem diem, ita æſtimet, niſi edoctus Chriſtianam libertatem, certus ſit in ſuo animo quod rectè agit peræquè æſtimando omnem diem: Unde evidentiſſimè patet, quod, judice Apoſtolo, quiſquis credit, ſive firmus fide fuerit, ſive infirmus, de eo quod credit certitudinem habe-

ret

ret & plenè persuasus esset. Unde manifestum esse potest, si stare vellent pontificii divino testimonio, controversiam inter Papanos & Ecclesiam Christi de fidei justificantis certitudine, & persuasione gratiæ cessare posse. Sed ex hoc loco & quàmplurimis huic similibus aliis, asserit Ecclesia Iesu Christi, hanc certitudinem, contra Papanos.

6. *Qui diem curat, Domino curat,* &c. Prolepsis est & occupatio objectionis adversus proximam admonitionem: Diceret aliquis non posse fieri in controversiis de Religione, ut pars utraque opposita certitudinem habeat, quod Deo placeret: Hic in faciendo; Ille in non faciendo, id ergo impossibile est, & frustra datur illa admonitio utrique & edenti & non edenti, diem servanti & non servanti, sit uterque certus in suo animo, hoc est, fide persuasus ille, quod edendo, hic quod non edendo, ille diem æstimando præ die, hic omnem peræquè diem æstimando rectè faciat, & placeat Deo. Ad hanc objectionem respondet hoc *vers.* Apostolus antecedens argumenti falsum esse, & quòd quamdiu res manent διαφορα & credens maneat fide infirmus, possit etiam infirmiter credens certitudinem habere de eo quod credit, quemadmodum habet & fide firmus, de quo quod certitudinem habeat manifestissimum est, & responsionem hanc confirmat duobus argumentis in isto *vers.* Prius à fine petitum est; tam qui non edit, & diem præ die æstimat, propter fidei infirmitatem, quam qui fide firmus edit & omnem peræquè æstimat, quod facit vel omittit, id efficit, vel omittit Domino, hoc est, ut Dominus glorificetur in omittendo vel efficiendo. Alterum argumentum

ab

ab effecto petitum eſt certitudo fidei in tam curante, quàm non curante; tam non edente, quàm edente, Quod effectum eſt gratiarum actio, tam ejus qui facit, quàm qui omittit in curando vel edendo: gratias DEO agit de ſuo facto & omiſſione uterque, Ergo uterque apud ſe certus eſt quòd DEO placeat, & DEUM colat, ſive faciendo ſive omittendo.

7. *Nullus enim noſtrum ſibi vivit.* Nos intelligit credentes, ſive firmi ſumus ſive fide infirmi ſumus: Itaq; nullus noſtrum hoc loco, eſt idem quod nullus noſtrum credentium: Hoc igitur *verſ.* probat ab ipſo genere, finem illum unde proximè ratiocinatus eſt. Probationis argumentum ſic habet, Quiſquis vivit DOMINO, is quicquid agit in vitâ, vel omittit, id DOMINO agit, vel omittit, At omnes nos credentes DEO vivimus, Ergo ſive edimus, ſive non edimus, ſive diem curamus, ſive non curamus, id facimus vel omittimus nos credentes, DOMINO, ſive ut magnificetur DOMINUS: Aſſumptionis illuſtratio hoc *verſ.* 7. continetur, à fine contrario ſumpta, nullus noſtrum credentium ſibi vivit, hoc eſt, ut ipſe glorificetur, aut ipſi ſibi ſerviat, Ergo quicunque credimus, vivimus DEO: DEO vivere & ſibi vivere oppoſita ſunt & ἐναντία, ſive enim peccato vivit homo, ſive Satanæ in peccato, ſive voluptatibus ſuis, ſive avaritiæ (nam hæc omnia in Scripturis reperiuntur) iſta omnia hoc uno comprehenſa ſunt, cùm dicitur homo ipſi ſibi vivere: quia cuicunque vivit homo, qui non vivit DOMINO, fallitur hâc ſpecie, & ad ſic vivendum hoc prætextu inducitur quod ſibi vivit, hoc eſt, ad ſuum commodum, ad ſuam gloriam: Quare ſibi vivere & vivere DEO, ut duo contraria ab

Apoſtolo

Apoſtolo hîc opponuntur. *Et nullus ſibi ipſi moritur.* Contrarium habitum explicat pari conſequutione in privantibus, nullus noſtrum credentium ſibi ipſi moritur, Ergo pari ratione nullus ſibi vivit: niſi malis dicere quòd Apoſtolus ſicut habitum habitu illuſtrat, & Domino ſtare per hoc quod quis Domino vivit, ſic privationem illuſtrat ptivatione τὸ πιστεύειν κυρίῳ per τὸ κυρίῳ ἀποθνήσκειν Domino mori.

8. *Nam ſive vivimus, Domino vivimus, ſive morimur. Domino morimur.* Ipſa hæc aſſumptio eſt, amplificata pari conſequutione in privantibus, quemadmodum ejus illuſtratio *verſ.* ſuperiori à contrario ſumpta; Domino autem vivere, item Domino ἀποθνήσκειν mori, eſt ſic vivere, ſic mori, ut in vitâ noſtrâ & morte glorificetur Dominus, & Dei Nominis celebratio obverſetur nobis: *Sive igitur vivamus, ſive moriamur, Domini ſumus.* Conſectarium eſt, & ulterior concluſio pro propriâ concluſione Syllogiſmi proximi: Propria proximi Syllogiſmi concluſio eſt, Ergo qui edit vel non edit, æſtimat diem vel non æſtimat, quicquid in vitâ agit vel omittit, id agit Domino: Unde infert Apoſtolus tanquam ulteriorem concluſionem, quòd nos in vitâ & in morte, Domini ſimus, hoc eſt, ab ipſo duntaxat judicandi & non alius ab alio, nec quiſquam à ſeipſo: quia ut nemo ſibi vivit vel alteri, nemo ſibi moritur vel alteri, ſic nemo ipſe ſui ipſius eſt vel alterius, ſed ſolius Domini: ipſius enim ſumus cui vivimus, morimur, inſervimus, & ab ipſo ſolo judicandi in vitâ, morte & famulitio; Id quod docet nos Apoſtolus, 1 *Cor.* 4. 3, 4, 5.

2. *Ad hoc enim Chriſtus & mortuus eſt & reſurrexit*

rexit, & revixit. Proximum conſectarium, & quòd DOMINI ſumus, ſive cadentes, ſive ſtantes, ſive viventes ſive morientes, probat Apoſtolus novo argumento, à fine mortis, reſurrectionis & vitæ æternæ IESU CHRISTI, quæ utrumque inſequitur; CHRISTUS mortuus eſt, & poſt mortem reſurrexit, & poſt reſurrectionem vivit in æternum, in hunc finem ut mortuis ſimul & viventibus dominetur. Ergo ipſe omnium DOMINUS, omnes ſunt ipſius famuli in vitâ & in morte: Viventes hîc intelligo, ut ſupra, fideles quorum vitæ finis eſt DEI gloria & celebratio: Et mortem hîc videtur Apoſtolus latius extendere, non ad fideles duntaxat in morte, ſed etiam ad ſpiritualiter mortuos & morientes, quos etiam dicit Apoſtolus DOMINO mori, quia DOMINUS eſt, non alius quiſquam, à quo excidunt ſuâ morte ſpiritualiter morientes, & proinde ut cui ſoli peccant ſpiritualiter moriendo, ab ipſo ſolo ſunt judicandi.

10. A *verſ.* quarto hactenùs inhibuit Apoſtolus, quiſquam in Eccleſiâ de alio judicet, quiſquam alium condemnet, argumento ducto à jure IESU CHRISTI ſolius, qui omnium DOMINUS, & cujus nos omnes famuli, & cujus propterea unius eſt proprium, de omnibus judicare, damnandos damnare, juſtificandos juſtificare. Jam hoc *verſ.* 10. & inſequentibus ad alteram partem *verſ.* 13. id ipſum inhibet, argumento ducto à nobis ipſis, & illo quidem duplici. Prius ſumptum eſt ab eo quòd omnes nos ſiſtendi ad tribunal CHRISTI Judicis, nullus noſtrum ad tribunal alterius, & ſic arguit Apoſtolus. Si nos omnes ſiſtendi ſumus ad tribunal CHRISTI Judicis, nemo noſtrum tanquam judex

judex fratrem suum vel condemnaret vel haberet pro nihilo; At prius verum, Ergo posterius. *Tu verò cur condemnas fratrem, aut etiam tu cur pro nihilo habes fratrem tuum.* Conclusio Syllogismi exornata interrogatione Rhetoricâ quâ extorquet Apostolus omnibus credentibus hanc confessionem, quòd nemo fratrem suum condemnaret, nemo contemneret.

Omnes enim sistemur apud tribunal CHRISTI. Assumptio Syllogismi est.

11. *Scriptum enim est, Vivo ego, dicit Dominus.* Et confirma Assumptionem testimonio Spiritus Sancti per *Isaiam* edito *Cap.* 45. 23. Genu flectio subjectionem notat genu flectentis, debitam ei cui flectit genu, & oris confessio notat agnitionem illius subjectionis in genu flectente: hoc itaque Prophetæ testimonio duo ista notat. 1. Omnes subjiciendos Christo Judici: Deinde fore, cogantur omnes etiam ipsi impiissimi, agnoscere illam subjectionem justam esse & legittimam.

12. Secundum argumentum à nobis sumptum, & ratione quam quisque nostrum reddet Judici, ipse pro seipso, quando omnes sistemur ad tribunal Christi, & sic arguit Apostolus. Quicunque (quando ipse ad tribunal sistitur) de se ipso rationem redditurus est, is non alium judicaret ante tempus, sed de se esset sollicitus in tempore quomodo respondeat: at unusquisq; nostrum quando sistimur ad tribunal Christi, sumus ipsi de nobis rationem reddituri. Ergo nostrum nemo ante tempus, alius de alio judicaret, sed quisque potius de seipso esset sollicitus in tempore quomodo Judici respondeat.

Nempe ergo unusquisque nostrum de seipso rationem reddet Deo. Assumptio Syllogismi.

13. *Ne amplius igitur alii alios judicemus.* Conclusio est. Hactenus præceptum fuit de fratribus infirmis assumendis: Sequitur alterum, de non ponendo scandalo assumptis, illustratum effecto finito, & amplificatum correctione Rhetoricâ, comparatione majorum illustrata, sed notâ correctionis & diversorum, potius comparationis nota est, quâ amplificatur correctio, *Adhibete judicium*, effectum finitum quo præceptum illustrat. *Ut* hæc nota finis, *Ne offendiculum ponatis fratri aut scandalum*, propositio præcepti, in quâ Apostolus duabus utitur vocibus ad exprimendum quod interdicit firmioribus in Ecclesiâ, quarum prior προσκομμα id notat ad quod in itinere, ambulantium pedes sic impingunt ut impedimentum sit progressui in itinere. Scandalum contrà, animam magsi respicit; ut sensus iste sit præcepti, quod hîc Apostolus dat infirmioribus. nimirum ne vel internis vel externis actionibus infirmiorum fratrum obstaculum ponant aut impedimentum, dum progrediuntur in viâ salutis. Internis fit obstaculum per injectam dubitationem, externis autem autem actionibus, dum exemplo impellunt ad faciendum quod alioqui non facerent, vel ad omittendum quod alioqui non omitterent: quod utrumque dicit Apostolus malum esse, seu peccatum, quod sine fide fiat. Hoc præceptum non nudè proponit Apostolus, sed ad ostendendam obedientiæ difficultatem dicit, in hunc finem adhibendum judicium, ne vel animo, vel externis actionibus ponamus offendiculum infirmo fratri, &

judicium

judicium illud nostrum, magis hîc adhibendum quam in judicando alios, sive firmiores sive infirmos.

14. *Novi & persuasum habeo.* Judicium quod dixit adhibendum in hunc finem, ne scandalo frater infirmus afficeretur, explicat προληπτικως: Prolepsis autem duæ sunt partes: Prima, dicerent firmiores, edoctos se esse libertate Euangelicâ nihil esse impurum in usu legittimo, & proinde debere se sequi doctrinam Christianæ libertatis in quibusvis vescendis, utendo sanctè, nec hærendum sibi aut cessandum ab usu legittimo propter alterius in eo insciti am ac infirmitatem. Apostolus ad hujus objection is antecedens respondet per distinctionem; *Per se quidem nihil esse impurum.* Hoc est, in usu legittimo: quam distinctionis partem amplificat Apostolus adjunctâ suâ & notitiâ & persuasione, & utriusque efficiente causâ, Ego novi nihil esse impurum per se, & id ego persuasum habeo: Quam utramque & notitiam & persuasionem efficit mihi Jesus Christus qui mihi efficit jus ad omnia, sic ut omnia sint munda ad usum legittimum. *Sed ei qui æstimat aliquid impurum esse, id ei impurum est.* Altera pars distinctionis est: tamen aliquid ad usum impurum est κατα τι, infirmi status respectu & κατα συμβεβηκος propter opinionem illius qui putat aliquid impurum: nam putanti aliquid impurum esse, ipsa ipsius æstimatio id efficit impurum, non simpliciter, sed quod ipse impurum esse existimet.

15. *Verùm si propter escam frater tuus tristitiâ afficitur, jam non secundum charitatem ambulas.* Altera Prolepsis est; Diceret firmus, si id verum est quod nihil per se impurum est, sed tantùm per acci-

dens

dens, & reſpectu opinionis infirmiorum, culpa tota hæret in infirmis, in me nulla, qui Chriſtianâ utor libertate & quibuſvis veſcor, utpote puris: Ad hanc etiam objectionem reſpondet Apoſtolus per diſtinctionem ut ad ſuperiorem, nempe quòd hæreat culpa in infirmioribus, verum ſic, ut aliqua etiam ſit in libero rerum purarum uſu, nempe hæc: quod ſuâ libertate uſi, triſtitiâ afficiant infirmos; quâ quidem in re nullum reſpectum habentes infirmitatis ipſorum, impingant in communem charitatis regulam, quæ jubet diligendos proximos uti nos ipſos: in quâ quidem dilectione ſi non ambulant firmi, ſuæ libertatis abuſu, triſtitia afficiunt infirmos fratres. *Ne eſcâ tuâ illum perdito, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Hactenus judicium expoſitum eſt, ſequuntur argumenta præceptum confirmantia. Primum argumentum ſumptum eſt ab effecto dati ſcandali infirmis fratribus, quod effectum eſt infirmiorum fratrum perditio. Sic igitur arguit Apoſtolus hoc in loco; Quicunque non eſt eſcâ perdendus, huic non eſt ponendum ſcandalum quibuſvis veſcendo: at infirmus frater non eſt eſcâ perdendus, Ergo quibuſvis veſcendo, ei non eſt ponendum ſcandalum. Aſſumptio in Textu eſt, confirmata adjuncto pretio redemptionis infirmiorum. CHRISTUS pro infirmis fratribus mortuus eſt. Ergo eſcâ, utpote re viliſſimâ non eſt perdendus infirmus frater.

16. *Ne veſtrum igitur bonum blaſphemator.* Secundum argumentum eſt à fine non ponendi ſcandali fratribus infirmis; Fratribus infirmis non eſt ponendum ſcandalum, ut non blaſphemetur bonum noſtrum. Bonum noſtrum intelligit beneficium Chriſtianæ libertatis.

Ita

Ita liberè utendum est Christianâ libertate, ut libertatis illius beneficium non blasphemetur libero usu libertatis nostræ. Hinc sic arguit Apostolus, Usu Christianæ libertatis non est exponendum Christianæ libertatis beneficium blasphemiæ, At ponendo scandalum infirmis fratribus, in usu Christianæ libertatis, beneficium blasphemiæ exponitur, Ergo non est scandalum ponendum infirmo fratri usu Christianæ libertatis: Propositio in Textu est.

17. *Non enim est regnum* DEI *esca & potus.* Regnum Dei hic intelligo Dei cultum quo qui pii sunt, DEO serviunt, & quo patefit quòd DEUS regnet in ipsis, utpote ipsorum Rex. Est itaque hoc tertium argumentum præcepti à subjectâ materia regni DEI βασιλικὸς & per diversa propositum: dicerent enim firmi, nobis retinenda est libertas regni DEI, quicquid inde sequatur, nec hærendum est in perditione ullius, vel blasphemiâ nostri boni, sed respiciendum quid postulet libertas regni DEI, ut DEUS DOMINUS noster & Rex glorificetur in usu nostræ libertatis. Ad hanc objectionem respondet Apostolus καὶ' ἀρσιν, καὶ θεσιν ostendendo quòd in his, de quibus quæritur, esca, potu & adiaphoris reliquis, non sit positum regnum DEI, hoc est, non per se, vel colitur servatis his, vel neglectis negligitur cultus DEI, sed quod cultus DEI, quo innotescit quod DEUS Rex noster, & nos regnum ejus, sit positus in justitiâ, pace & gaudio Spiritus. Justitiam intelligo utramque illam, & imputatam, & inhærentem. Nam DEO servimus, & DEUS regnat in nobis per fidem, quâ prehendimus justitiam DEI ad salutem, hoc est, imputatam illam per fidem in CHRISTO,

& novam obedientiam, quâ indies accrescimus in inhærente justitiâ, tanquam effecto justitiæ imputatæ, donec ipsi quoque perficiamur, & plenè reformemur ad imaginem Dei: Pacem intelligo tranquillitatem illam pacatæ conscientiæ quæ profluit ex justitiâ Christi imputatâ; Studium etiam pacis cum omnibus hominibus habendæ quoad in nobis positum est, intelligo hoc loco pacis nomine: Gaudium Spiritus est effectum utriusque & justitiæ & pacis: In his dicitur positum regnum Dei, quia ex his innotescit, Quòd Deus Rex noster sit, & nos ipsius redempti. Sic respondet Apostolus prolepsi; Argumentum hinc pro præcepto confirmando tale est, Si in escâ, potu & cibo, reliquisque adiaphoris non sit positum regnum Dei, & cultus ille, quo innotescit quòd Deus regnet in nobis, hæc ἀδιαφορα pro ratione infirmorum Deo lucrifaciendorum, vel utenda sunt vel omittenda; At prius verum, cultus ille Dei nostri non est in eis positus, Ergo pro fratribus infirmis Deo lucrifaciendis utenda sunt vel omittenda. Assumptio in Textu est: *Sed justitia, pax & gaudium per Spiritum Sanctum.* Illustrat Assumptionem per diversa, trium partium, in quibus dicit positum cultum Dei spiritualem illum qui in Spiritu & veritate est, & quem hîc illustrat efficienti suâ causâ Spiritu Sancto, nam per Spiritum & justitia nobis est, & pax & gaudium: quæ ut Christus nobis suo sanguine comparavit, ita Spiritus est qui fide justitiam in nobis obsignat, & per illam operatur pacem, & per utramq; gaudium: Hæc tria, justitia, pax & gaudium cum in nobis augeantur, non rigido libertatis Christianæ usu, sed nostri ipsorum potius accomodatione

ad

ad ædificationem infirmorum fratrum in libero earum rerum usu, vel omissione, in quibus per Iesum Christum liberi sumus, vult Apostolus non ponamus scandalum infirmis rigidè usurpando libertatem nostram: quâ quidem in re & ipse nobis præit exemplo, 1 *Corin.* 9. 20, 21, 22.

18. *Nam qui per hæc servit Christo, gratus est* DEO, *& probatus hominibus.* Probat posteriorem partem diversorum, & quòd cultus Dei Spiritualis ille positus sit in justitiâ, pace & gaudio per Spiritum à duplici adjuncto; sic, Qui Deum colit prehendendo Christi justitiam, & justè vivendo, pacatâ conscientiâ & cum gaudio Spiritus, is & Deo acceptus est, & probatus hominibus; Ergo in justitiâ, pace & gaudio per Spiritum, positus est Spiritualis cultus regni: nec tamen asserit hîc homini meritum Apostolus vel à Deo, vel ab hominibus: nam quod ad Deum attinet, acceptationem cum eo operatur sola justitia imputata. Per homines hoc in loco intelligit Apostolus Dei Ecclesiam, quæ Spiritu prædita spiritualia potest discernere & discernit, ac per Spiritum agnoscit rectè fieri omnia, & omitti quæ liberè fiunt, aut omittuntur ad ædificationem etiam infirmissimorum membrorum in Ecclesiâ: nisi mavis hominum nomine etiam quosvis homines intelligere, sive in Ecclesiâ sive extra Ecclesiam, quibus innatum & per reliquas in naturâ κοιναις εννοιαις datum, pluris facere pacificos, quàm eos qui aliis scandalum aut offensionem præbent.

19. *Nempe igitur quæ ad pacem faciunt sectemur, & quæ ad mutuam ædificationem.* Pacem intelligit, amicam in Christo conversationem firmo-

rum cum infirmis, & infirmorum cum firmis; Mutuam ædificationem autem utriusque, & firmi & infirmi in CHRISTO tolerantiam & institutionem: Est itaque hoc quartum argumentum secundi præcepti à subjecto officii Christiani, eodemque disparato offensionis & scandali, sic, sequenda sunt & facienda Christiano homini, quæ ad pacem faciunt, & mutuam ædificationem; at infirmo fratri ponere offendiculum in rigido usu libertatis Christianæ, ad pacem & mutuam ædificationem non facit, sed scandalum infirmo fratri ponit. Ergo *&c.*

20. *Ne cibi causâ destrue opus Dei.* Opus DEI hîc intelligo principium boni operis in IESU CHRISTO, quod operatur DEUS in infirmis fratribus: de quo commendat Apostolus firmis, ne ipsi istud opus DEI destruant, urgendo infirmos agere quæ ipsis mala videntur, & proinde resilire à principio illo boni operis: est itaque hoc quintum argumentum præcepti de scandalo; non est id faciendum quo in infirmo fratre destruitur opus DEI, ipseque infirmus frater efficitur resilire à facto principio in IESU CHRISTO; at ponere scandalum illi libero usu cibi, potus aut similium, est in ipso destruere opus DEI, efficereque ipse resiliat à principio quod fecit in IESU CHRISTO, Ergo illo libero usu rerum indifferentium non est ponendum illi scandalum. *Omnia quidem pura, sed malum est homini qui edit cum offendiculo.* Prolepsis est quâ refellit Apostolus instantiam adversus proximam assumptionem, Omnia mihi pura sunt ad usum legittimum, diceret firmus: ego igitur quanquam infirmus offendatur, meâ libertate non destruo in ipso opus DEI, utpote qui benefa-

ciam

ciam purè utendo puris. Respondet Apostolus per distinctionem: Admitto genus, & omnia tibi pura esse, omnia licere, tamen κατ' αλλο non licet, quod in tuo esu & usu libertatis tuæ sit malum propter adjunctum scandalum infirmi fratris; quod igitur absolutè & simpliciter benefacere est, id ipsum tibi cedit peccato, si feceris cum infirmi fratris offensione: Est itaque illud, illud ipsum quod alibi de seipso dicit Apostolus, 1 *Cor.* 6. 12.

21. *Bonum est non vesci carnibus, neque bibere vinum.* Probat proximam responsionem & quòd quanquam quibusvis vesci purum sit, & licitum absolutè & per se, tamen per accidens & quando cum offendiculo conjunctum est, malum: Hanc inquam responsionem probat pari consequutione in contradicentibus; sic, non vesci, non bibere, non facere quippiam quo frater impingit, offenditur aut infirmatur bonum est, Ergo vesci quo frater offenditur, saltem per accidens illud, & respectu offensionis malum est: Antecedens hoc *vers.* in quo tria contradicentia, non vesci, non bibere, non facere, singula illustrantur suis subjectis; sic ut caro sit subjectum non vescendi, vinum sit subjectum non bibendi, & quicquam sit subjectum non faciendi. *In quo frater tuus impingit,* &c. In reliquâ hâc parte antecedentis Apostolus scandalum positum infirmis fratribus insigni exprimit gradatione à minoribus, nam impingere minimum est, offendi majus, infirmum fieri è maximis est. Est enim impingere, alieno exemplo labi, seu quid facere sine fide & conscientia benefaciendi, quod tamen ipsum benè fieret, si fides esset firma, & inde conscientia. Offendi autem est angi intrinsecus propter lapsum eum, qui tamen

nullus eſt, ſi fides firma eſſet, & conſcientia libera; Infirmari deniq; eſt fidem ipſam prius infirmam & conſcientiam per accidens impuram pedetentim deficere, ſic ut niſi ipſi ſuccurratur divinitus, penitus tandem extinguatur. Niſi mavis tria iſta ad diverſa referre ſic, ut infirmus impingat ſuo facto, quod nimirum facit exemplo firmioris, offendatur autem firmoris facto, & ex utroq; contrahat infirmitatem fidei.

22. *Tu fidem habes.* Concluſio ſecundi præcepti, conceſſione Rhetoricâ & Epanorthoſi exornata: te fidem habere ego libenter tibi concedo, attamen habe apud teipſum & coram DEO, non palam ad fratrum offenſionem. Fidei nomen hoc in loco accipitur pro ἐπιεικρόφεια & plenâ perſuaſione Chriſtianæ libertatis, ut ſit ſenſus Apoſtoli: Hujus mei præcepti quo mando judicium adhibeas ad hoc, ut non ponatur ſcandalum infirmo fratri tuo facto, hæc ſumma eſt & concluſio, quod concedam tibi, & fatear te perſuaſam habere Chriſtianam libertatem; tamen tibi ſatis ſit eam habere perſuaſionem coram DEO, hoc eſt, eâ te coram DEO approbari in uſu tuæ libertatis, cavendum autem vendites & oſtentes eam perſuaſionem ad offenſionem non habentium. *Beatus*, &c. Concluſionem illatam confirmat, maximè poſteriorem ejus partem & Epanorthoſin quâ firmum monuit Apoſtolus, ſuam Chriſtianæ libertatis perſuaſionem haberet coram DEO apud ſeipſum, non autem oſtentaret ad infirmorum offenſionem: Hanc inquam concluſionem ſeu Epanorthoſin confirmat duobus argumentis, quorum prius ſumptum eſt ex communi & omnibus recepta ſententia, ea hæc eſt, *Beatus qui ſe non condemnat in eo quod approbat.*

Quam Apostolus fide firmioribus sic accommodat: Si persuasionem Christianæ libertatis ostentatis ad offensionem infirmiorum, ipsi vos damnatis in eo quod approbatis rectè, Ergo ne ostentate id ad offendiculum infirmiorum fratrum, sed apud vos habete coram Deo: Antecedentis probatio ex præcedente est disputatione, in quâ concessit Apostolus omnia pura esse, omnia licita (unde sequitur quòd rectè approbavit Christianam libertatem) esse tamen per accidens peccatum in vescendo, si vesceretur cum offendiculo infirmi, Unde sequitur, quòd peccantes contra infirmos fratres usu suæ libertatis, se condemnarent eâ ipsâ libertate quam rectè approbarent.

23. *Qui verò ambigit*, &c. Secundum argumentum à detrimento infirmi fratris: si tuo ostentantis exemplo ederit infirmus frater, ipse edendo condemnatus est, Ergo ne persuasionem tuam ostenta coram infirmis, ut tuum illi exemplum imitentur sine persuasione. *Quia non edit ex fide.* Probatur Antecedens quia ipse non edit ut tu edis, persuasus quòd rectè faciat. *Quicquid verò ex fide non est, peccatum est.* Ratio sequelæ ex quâ cum præcedentibus in *vers.* isto, iste plenus efficitur Syllogismus, Quicquid ex fide non est, peccatum est, & eo condemnatur faciens: at quicunque ambigens edit, non ex fide edit, Ergo ambigens si edat, peccat & condemnatus est. In utroque argumento hanc disce condemnationem intelligendam, non illam à Deo abjectionem reproborum, sed conscientiæ condemnationem ex commisso peccato, ut sensus sit primæ generalis illius sententiæ, beatum eum esse qui non contrahit sibi malam conscientiam, in eo quod

novit

novit rectè factum; & in secundo argumento sensus sit conclusionis, quod qui ambigens edit, quia peccat edendo, contrahit ipse sibi malam conscientiam.

Caput decimumquintum.

Sequitur quatuor primis *vers.* hujus *Capitis* tertium & postremum præceptum datum firmis de suo ipsorum erga infirmos officio, cujus duo exhibet Apostolus argumenta; Prius est ab adjuncto debito, *vers.* primo. Alterum ab exemplo Iesu Christi, *vers.* 3. Inter utrumque intervenit conclusio *vers.* 2. 4 autem *vers.* objectioni occurrit, quæ oritur ex confirmatione secundi argumenti.

1. *Debemus autem nos*, &c. Prius argumentum, quod sic habet; ad quod faciendum tenentur firmi debito, & propter collatum in ipsos firmitudinis beneficium, ad id præstandum debent firmi adhibere sese, & intendere nervos: at qui firmi sumus, debemus imbecillitates infirmorum portare, hoc est, officio tenemur, & veluti debito propter collatum in nos firmitudinis beneficium infirmos non modo ferre, sed & ipsis succurrere, in portando onere infirmitatum suarum, Ergo ad hoc præstandum, qui firmi sumus, debemus nos ipsos adhibere, & intendere nervos: Assumptio habetur in principio primi *vers.* *At non indulgere nobis ipsis.* Assumptionis illustratio à contrario: non est officium firmorum ut ipsi sibi placeant seu

propter

propter suam firmitudinem sibi indulgeant; Ubi nota contrariorum more opponi ista, infirmorum infirmitates portare, & nobis ipsis placere, nam ἀνάγκη sunt, sibi placere, & imbecillitates infimorum portare: & quidem ita ἀνάγκη ut in eodem subjecto nequeant consistere, nec possit Christianus is esse, qui nimirum ipse sibi indulgeat, & non portet infirmorum fratrum infirmitates.

2. *Itaque unusquisque nostrum proximo placeat.* Conclusio primi argumenti, sed sic enunciata ut infirmos stimulet, firmos constringat & utrosque alteris obligatos doceat alteris placere: maximè tamen respiciat firmos, ut qui in majori sunt periculo sibi ipsis placendi, propter suam firmitudinem, quam sunt qui sibi conscii suæ infirmitatis, ut sensus sit: nos sive firmi sive infirmi, debemus nos ipsos sic comparare, ut non nobis ipsis, sed alii aliis mutuo placeamus, maximè tamen firmi infirmioribus: Est itaque conclusio directè contraria malo, quod hic reprehendit; nempe ut vescens quibusvis, non vescentem condemnet, ejusdemque est sensus cum propositione illâ *vers.* 3. *Cap.* 14. *Qui edit non edentem ne pro nihilo habeto, & qui non edit, edentem ne condemnato.* *In bonum.* Epanorthosis est conclusionis: Debent Christiani studium adhibere ut alii aliis placeant, non tamen in quibusvis, sed in iis duntaxat quæ bono sunt iis quibus placemus. *Ad ædificationem.* Definitio est boni quod Christianis obversari debeat in placendis aliis: Bonum est ad ædificationem; seu eorum quibus placemus in Christo ædificatio; Unde obiter dat notandum Apostolus quod homini Christiano nequicquam benefit, nec illam bo-

num

num in ipſum conferri poſſit, quo non ipſe in CHRISTO ædificetur: iſta etenim iſthic ab Apoſtolo veluti reciproca & æquè latè patentia proponuntur, Chriſtiano bonum eſſe, & ejus in CHRISTO ædificationi ſervire. Bonum quodcunque evenit Chriſtiano, eſt ejus in CHRISTO ædificatio: quod inde ſecundo loco inferre vult Apoſtolus, & concludere quod nihil ſit Chriſtiano bonum, quod non inſervit ejus ædificationi in CHRISTO.

3. *Etenim Chriſtus non placuit ſibi ipſi.* Secundum argumentum proximæ concluſionis, ab exemplo IESU CHRISTI: quomodo ſe geſſit IESUS CHRISTUS erga nos, eodem modo debemus & nos ipſos gerere erga alios ad invicem; At ille ſibi non placuit, ſed noſtra ſolus pertulit onera, debemus ergo nos alii aliorum onera portare & non placere nobis ipſis, Aſſumptio eſt in principio hujus *verſ.* 3. *Sicut ſcriptum eſt.* Confirmatio aſſumptionis à Scripturæ teſtimonio; Scriptum teſtimonium eductum eſt è *Pſalmo* 69. 10. ubi poſtquam *David* veluti typus Filii DEI ſuum zelum profeſſus eſſet erga domum DEI queritur, quod probra, probro DEUM afficientium, inciderent in ipſum, ipſeque probris afficeretur propter zelum domus DEI, ab iis qui domum DEI contemnerent, & DEUM probris afficerent: Hæc itaque Scriptura teſtatur, quod primùm *David* typicè; Deinde CHRISTUS propriè, non ſibi ipſi placeret, ſed ſubiret omnes blaſphemias impiorum, ſeu mundi impii, DEI domum contemnentis, & DEUM probro afficientis.

4. *Nam quæ ſcripta ſunt.* Prolepſis eſt quâ præoccupat Apoſtolus id quod prævidit objici potuiſſe, & objiciendum

objiciendum ab adversariis, adversus Scripturam proximè allatam. Concedatur, dicerent adversarii, de Christo propriè intelligendam eam Scripturam esse, quam *David* primitus de se enunciavit; tamen non probabit illa Scriptura, quod fecerit Christus id quod ab ejus exemplo concludis nobis faciendum, nempe quod ille infirmorum fratrum imbecillitatem portaverit, ut nos firmi ejus exemplo similiter portare debeamus, sed quòd propter zelum paternæ domus probra pertulerit improbi mundi, Deum Deique domum contemnentis; quare ab illo facto, quanquam non *Davidis* modo sed Iesu Christi, non sequitur quòd nos debeamus infirmis fratribus indulgere, aut eorum portare imbecillitates, sed potius placere nobis ipsis in libero usu Christianæ libertatis. Ad hanc objectionem respondet Apostolus quòd quanquam subjectum mutetur, & verum sit quod secundum istam Scripturam Iesus Christus probra pertulerit improbi mundi, Deum, Deique domum contemnentis; tamen manere vim argumenti & rectè sequi ab exemplo Iesu Christi non sibi placentis, sed propter Deum Deique domum, probra perferentis, quod nos debeamus infirmorum imbecillitates portare nec nobis ipsis placere; & responsionem probat à fine citatæ Scripturæ, & eorum simul omnium quæ ante scripta sunt de Iesu Christo; nempe hoc, quod scripta sunt ad nostram institutionem, & ut nos exemplo Christi sapiamus sanctè; videturque Apostolus hâc citatione Scripturæ, ad speciem quidem à proposito alienæ, occasionem captasse ulterioris argumenti, nam si Iesus Christus propter suum paternæ domus externæ & materialis zelum

patienter

patienter pertulit opprobria mundi improbi; ita nos propter zelum ſalutis infirmorum fratrum qui ſunt DEI ſpirituale ædificium, multò magis ferremus ipſorum infirmitates, & ut CHRISTUS non ſibi, ſic nec nos nobis placeremus. *Ut per tolerantiam.* Proximum finem, & ſapientiam quam nos diſceremus ex iis quæ ante ſcripta ſunt de IESU CHRISTO, explicat Apoſtolus ſuis partibus & ulteriore fine; Partes duæ ſunt, Quarum prior eſt [tolerantia] ſeu ſancta patientia, quâ ferendi ſunt, non modo fratres ad ipſorum ædificationem, ſed mundus inſuper improbus, ne cum improbis improbi evadamus & ſuperemur ipſorum malo, ut ſupra *Cap.* 12. 21. præmonuit Apoſtolus nam Chriſtianis neceſſaria eſt tolerantia, ſicut idem docet *Heb.* 10. 36. Ut voluntati DEI obſequentes reportent promiſſionem. *Et conſolationem Scripturarum.* Altera pars Chriſtianæ ſapientiæ, quæ diſcenda eſt ex iis quæ ante ſcripta ſunt de IESU CHRISTO, eſt conſolatio ſeu gaudium Spiritus in mediis ipſis perpeſſionibus, de quo ſupra Apoſtolus *Cap.* 5. 3. *etiam de afflictionibus gloriamur.* Hæc Chriſtianæ ſapientiæ hîc proponitur veluti pars ulterior quam tolerantia, Primùm enim patimur ſanctè, Deinde gloriamur ſanctè in perpeſſionibus: & Chriſtianæ ſapientiæ hæ partes eſſe dicuntur, quia nemo eſt qui novit vel ſanctè pati, vel gaudere in perpeſſionibus ſanctè, niſi qui Chriſtianus eſt verè, & ex CHRISTO didicit: Hæc conſolatio, Scripturarum eſſe dicitur, duabus de cauſis. Primùm quia ut Apoſtolus loquutus eſt in *verſ.* principio ex anteſcriptis de CHRISTO diſcitur omnibus, Deinde quia nuſquam niſi in illis ſcriptis cernenda eſt vera & ſolida conſolatio. *Spem*

habemus

habeamus. Hæc altera pars expositionis est, & finis ulterior quo explicat Apostolus nostram sapientiam quam ex antescriptis de Christo discimus, & quam dixit Apostolus positam veluti in suis partibus, in sanctâ patientiâ & gaudio Spiritus. Hic finis ulterior est, spes nempe illa non pudefaciens, *Rom.* 5. 5. Nota igitur hîc ex Apostolo totius Scripturæ geminum finem, sanctam sapientiam & spem non pudefacientem.

5. Hinc ad *vers.* 15. sequitur conclusio, & illa quidem gemina, una particularis & particulariter respiciens officium firmorum & infirmorum fratrum, de quo hactenus egit Apostolus *Cap.* 14. Altera autem communis est & respicit totam disputationem à *vers.* 16. *Cap.* 1. huc usque; Prior conclusio tribus *vers.* 5, 6, 7. continetur, amplificata adjuncto voto & sanctâ Apostoli optatione: Votum hoc triplicitèr amplificat Apostolus *Deus tolerantiæ & consolationis*. Hæc Dei descriptio è proximo *vers.* desumpta est à partibus ὑπομονῆς Christianorum; dicitur autem Jehova Deus tolerantiæ, non modò quia ipse longanimis est, & tardus ad iram, multâ lenitate perferens vasa iræ ad interitum coagmentata, sed magis & potissimùm hoc in loco, quia ipse solus est qui per suum Spiritum in suis operatur, eas quas diximus partes sapientiæ Christianæ. *Det vobis*. Hoc votum est Apostoli & optatio, det Deus vobis ut eodem modo inter vos mutuò affecti sitis: exoptat credentibus *Judæis* qui Romæ erant, simul & *Gentibus*, infirmis simul & firmioribus, sanctam ὁμονοίαν & eandem inter se mutuo concordiam, sic ut nec infirmi firmorum firmitudine, vel firmi infirmorum imbecillitate offendantur, sed utrique alteris

præstent

præſtent officium, firmi ferendo imbecillitates, & infirmi ſuaviter ſe præbentes firmis erudiendos. *Secundum Ieſum Chriſtum.* Secunda voti amplificatio eſt, ab adjuncto modo quo inter ſe mutuo eodem animo affectos eſſe exoptat: eodem ſint animo affecti exoptat Apoſtolus, non quovis modo, nec alio modo quàm qui ſecundum CHRISTUM IESUM eſt; Eſt autem ſecundum IESUM CHRISTUM τὸ αὐτὸ φρονεῖν & mutuo concordes eſſe, non aliud quàm quotquot ad CHRISTUM attinent, ſecundum Scripturas idem credere, & unanimiter agere, ſic ut concordia Chriſtianorum in IESU CHRISTO tota poſita ſit in ſancto omnium conſenſu ſecundum Scripturas in fide CHRISTI & fidei obedientiâ.

6. *Ut concorditer uno ore glorificetis DEUM.* Tertia voti amplificatio, à fine ſancto ὁμονοίας & concordiæ, qui finis eſt concors DEI glorificatio ab omnibus, eodem modo & quaſi uno ore. *Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Deſcriptio DEI, quem vult glorificent concorditer, à relatis ſumpta: DEUS quem volo glorificetis, eſt Pater ille DOMINI noſtri IESU CHRISTI. Hanc addit deſcriptionem, non modo ad avocandos Chriſtianorum animos à veteris Romæ πολυθεία & multitudine DEORUM, quos *Romani* prius more aliarum *Gentium* coluerant, ſed magis ut ipſos excitet ad concorditer glorificandum DEUM, commemoratione inſignis illius beneficii, quod habent à DEO quicunque CHRISTI, nam quicunque ſunt CHRISTI IESU, redduntur certiores quod & Deus Pater ipſorum ſit in IESU CHRISTO.

7. Hactenus prior concluſionis amplificatio, & votum

tum Apostoli. Hæc ipsa conclusio est de mutuo assumendis, & infirmis à firmioribus, & firmioribus sequendis ab infirmis concorditer. *Sicut & Christus assumpsit nos in gloriam Dei.* Conclusionis à simili illustratio, quæ quidem similitudo primùm & magis respicit firmiores, & eos monet, Deinde & secundo loco etiam infirmos. Similitudo sumpta est ab Iesu Christi Servatoris assumptione nostri: illaque amplificatur à fine assumptionis, qui est ut sicut ipse glorioſus est, sic nos in ipso participes fiamus gloriæ Dei, hoc est gloriæ illius, quam Deus iis in Christo dat, quos præcognovit, ut mirabilis fiat in sanctis suis glorificandis in illo die. Hæc similitudo, inquam, primùm respicit firmiores, quâ ipsi monentur infirmiores assumere, ut Christus nobis omni comparatione longe superior, assumpsit nos, ut fiamus in ipso & per ipsum gloriæ Dei participes. Deinde respicit infirmos, quia ut Ecclesia in gratiam assumpta sequitur Iesum Christum, sic ipsi infirmi, fratres firmiores, donec ipsi quoque perficiantur in gratiâ. Unde mihi nota, quòd gratia, quam nobis præstat Iesus Christus, & fidei obedientia quam per suum Spiritum operatur in nobis credentibus, esse debet & semper fuit *idea* seu exemplar omnis officii quod nos debemus alii aliis, & firmi infirmis, & infirmi firmioribus: ideo hoc argumentum à Christo & Ecclesiâ huic Apostolo valdè familiare est *Eph.* 5. 25. *Viri diligite uxores, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Et *vers.* præcedente 24. *Sicut & Ecclesia subjecta est Christo, ita & uxores suis viris subjectæ sunto in omnibus.* Sic *Philip.* 2. 5. ubi hortatur, unanimes sint, & quisquè in Ecclesiâ intentus in alterius bonum;

utitur

utitur hoc ipſo argumento. ſit idem affectus in vobis, qui fuit in Ieſu Chriſto.

8. *Illud autem dico, Ieſum Chriſtum miniſtrum.* Communis concluſio ſequitur totius præcedentis diſputationis, accommodata tamen ad hanc proximam concluſionem de particulari officio firmorum & infirmorum; id quod patet ex eo, quod in hac concluſione Ieſum Chriſtum miniſtrum vocet, nempe aſſumptionis illius noſtri in gloriam Dei, de quâ in amplificatione proximæ concluſionis dictum: His itaque verbis, *Illud autem dico*, continetur tranſitio, qua tranſit Apoſtolus à proximâ concluſione particulari ad communem concluſionem totius diſputationis ſuæ hactenus in hâc Epiſtolâ; ut verborum ſenſus ſit. Quod dico in jam dictâ concluſione, & in tota diſputatione præcedente ab initio, illud hoc eſt, quod Ieſus Chriſtus miniſter eſt & quidem Dei, Unde *Iſa.* 42. 1. dicit Deus de Chriſto, *Ecce ſervus meus.* Sic totius diſputationis hactenus, hæc ſumma concluſio eſt, quòd Ieſus Chriſtus, & ipſe ſolus ſit miniſter Dei ad ſalutem noſtram: ſic orſus eſt hanc diſputationem Apoſtolus, *Euangelium Ieſu Chriſti eſt potentia Dei ad ſalutem credentibus. Cap.* 1. 16. & ſic jam concludit totam diſputationem, Ieſus Chriſtus, Euangelio enunciatus, miniſter Dei eſt ad ſalutem credentibus, ut nos alii aliis ſimus ad ſalutem miniſtri, *Circumciſionis.* Ieſus Chriſtus neminem unquam circumcidit miniſterialiter, nec ullius unquam Sacramenti miniſter fuit, præterquam Sacramenti Cœnæ Dominicæ, cujus & author, ut omnium Sacramentorum, & miniſter eſt: quod ejus munus eſt proprium: quare cum dicatur hîc circumciſionis miniſter metonymia

mia est adjuncti pro subjecto, ut sensus sit, Minister Dei fuit ad circumcisos, hoc est, ad Ecclesiam Legalem seu populum Dei sub Lege: nam si quis malit hîc Synecdochen esse, & partem poni pro toto, circumcisionem, Sacramentum Legalis cultus, pro toto Legali cultu, non video quomodo id rectè possit asseri, cùm Iesus Christus venerit, non ad Legem dandam, sed ad Legem enunciandam, uti ipse loquitur *Isa.* 61. 1. verum est quod venerit ad Legem præstandam & plenè præstandam, ut ipse *Mat.* 5. 17. nos docet, sed non ut esset Minister Legis, verùm Minister Dei ad salutem Legalis populi. Venit igitur Iesus Christus Minister Dei ad salutem circumcisorum quicunquè crediderint, ut *Paulus* loquutus est in principio: Hoc itaque versu & sequentibus hinc ad *vers.* 13. amplificat hoc Ministerium Iesu Christi, quo ipse est Minister Dei ad salutem credentium; & quidem distributione ex objectis: Iesus Christus est Minister Dei ad salutem circumcisis, hoc *vers.* & non circumcisis, *versibus* sequentibus. *Pro Dei veritate.* Illustrat primam partem distributionis, & circumcisionis Ministerium, seu Christi Ministerium ad circumcisos; Argumentum illustrationis à fine petitum est; Missus est Christus ad circumcisos pro veritate Dei, hoc est, ut omnibus innotesceret, & manifestaretur, cum *Judæis*, tum *Gentibus* Dei veritas, hoc est, quòd Deus verax sit in omnibus promissis, quæ promisit ipse circumcisis, seu populo sub Lege. *Ut confirmaret promissiones patrum.* Hic sensus quem diximus, & quod veritas Dei manifestanda sit hoc ministerio, quo Christus est Minister circumcisionis, patet ex istâ exegesi subjecta præce-

denti fini, nam Ministrum esse circumcisionis pro veritate DEI, nil aliud est, exponente Apostolo, quàm Ministrum esse circumcisionis, ut confirmaret promissiones patrum, seu patribus factas.

9. *Et ut Gentes pro misericordiâ glorificent Deum.* Alteram partem distributionis sanctè reticet; quæ hæc est, IESUS CHRISTUS est Minister DEI ad salutem *Gentibus* non circumcisis; id quod ipse exprimit, *Rom.* 3. 29, 30. Unde *Rom.* 11. 12. *Abraham* pater dicitur & credentium in præputio, & circumcisionis; Cujus sanctæ reticentiæ hæ duæ causæ esse videntur: una ut vitaret offensionem *Judæorum*, quibus non quidquam magis incredibile, aut etiam offensivum, quàm si diceretur quod etiam *Gentium* DEUS esset, aut quod Messias eis mittendus esset ad salutem; id quod clarè cernitur, cùm ex *Petri* scrupulo, qui noluit nisi mysterio vocationis *Gentium* à DEO revelato sibi per visionem adire *Cornelium*, tum ex accusatione *Petri* dum rediret Hierosolymam, *Act.* 11. 2. Altera quòd præputii nullum fuerit Ministerium, ut circumcisionis fuit, donec CHRISTUS ipse Pastor ovium venerat, qui palantes & sine Ministerio vagantes *Gentes* in unum corpus congregaret cum populo circumcisionis: sic ipse ipsos circumcisos admonet, *Ioa.* 10. 16. Sic ergo secundam partem distributionis reticet, verùm ejus illustratio his verbis continetur eaque à fine sumpta ut superioris, ut plenus hujus loci sensus sit hic: IESUS CHRISTUS est Minister DEI ad salutem *Gentibus*, ut *Gentes* glorificent DEUM: quæ DEI glorificatio à *Gentibus* explicatur hîc causâ suâ efficiente quæ est misericordia DEI relucens in missione Filii Ministri promissi, etiam ad salutem

salutem ipsis. *Sicut scriptum*. Probat authoritate Scripturarum alteram partem distributionis, quod nimirum Christus sit Minister Dei ad salutem *Gentibus* ex fine quo illam illustravit, nempe ut *Gentes* Deum glorificent, pro misericordiâ in ipsos. Scripturæ quibus probat, quatuor afferuntur, Prima est *Psal.* 18. 49. Altera ex *Deut.* 32. 43. Tertia ex *Psal.* 117. 1. Quarta ex *Isa.* 11. 10. Quod ad primam Scripturam attinet, *David* ingreditur veluti typus Christi, & quidem in duobus hisce, Primum in victoriâ dè omnibus hostibus, iisque pernicioſissimis: Deinde in effecto illius victoriæ, quod climace quodam Rethorico expressum est: Profitebor tibi, quia victoriam dedisti, psallam Nomini tuo, quia victoriam dedisti, hoc est, glorificabo te, non oris modò professione beneficii, sed cantu quoque & exultatione. Postremò additur subjectum horum effectuum victoriæ; non in veteri tuo populo duntaxat, vel profitebor, vel psallam; sed in ipsis *Gentibus*, iisque terræ ultimis. *Davidi* res fuit cum *Saule*, quo sublato Deus dedit illi victoriam, & complementum divinæ promissionis, quapropter ille se obligat Deo suo ad duo, professionem Jehovæ tanquam unius veri Dei, & exultationem in Jehova, tanquam unico suo Liberatore; & illam utramque non tantum in hactenus dato regno, & intra fines populi Dei duntaxat; sed insuper in *Gentibus* quas vicinas Deus subjugavit *Davidi*. Hic typus est: Res typo significata, est homo Christus Iesus, cui pro homine liberando pugna fuit cum antiquo illo serpente, & omnibus ejus viribus, super quo datâ victoriâ à patre per inhabitantem Deitatem. Prout *David* ita ipse promittit

oris profeſſionem & exultatiouem, idque non in populo Dei veteri duntaxat, ſed in *Gentibus* etiam ad fines terræ ultimos. Eſt tamen notabile diſcrimen inter typum & DOMINUM ipſum typo ſignificatum: *David* promittit ſui oris profeſſionem & ſui cordis exultationem, hoc eſt, ſe quocunque proficiſceretur, & Jehovam Deum ſuum profeſſurum, & in ipſo exultaturum; at ad hominem Jeſum accommodata ſimilitudine ſenſus eſt, quod homo Ieſus Chriſtus evectus jam per potentiam Dei ſupra veterem ſerpentem & omnes ejus aſſeclas invitabit mundum ad profeſſionem Dei & exultationem in DOMINO: neutram ſuo ore duntaxat, quia ipſe ad patrem aſcenſurus, ſed ore & animis eorum quibus emolumentum ſpiritualiter foret ex ſuâ victoriâ; eoſque fore non *Iſraelitas* modo qui conſcientiâ victoriæ CHRISTI ſibi ipſis imputatæ profiterentur & exultarent, ſed ex omnibus *Gentibus* electos Dei ad ultimos fines totius terræ. Hoc itaque effecto profeſſionis & exultationis *Gentium* confirmat hic Apoſtolus efficacem earum vocationem, vocationiſque finem, quod nimirum in Chriſto Deus etiam dederit ipſis remiſſionem peccatorum ad ſalutem, ut ipſæ Jehovam pro miſericordiâ in Chriſto Ieſu celebrent.

10. *Gaudete Gentes cum populo ejus.* Hortatio eſt communis *Iſraeli* & *Gentibus* ut lætentur in Jehovâ propter communem ſalutem utriſque collatam poſt longam deſolationem in Dei vindictâ, quam *Iſraelitæ* ſicut & *Gentes*, ipſi ſibi induxerant ſuis in Jehovam tranſgreſſionibus: quod autem hic ſit ſenſus ex ſerie totius cantici manifeſtum eſt, *Moſes* enim jam cantico enarravit immenſa Jehovæ beneficia in *Iſraelem* & prædicit

ex principiis in suo regimine observatis per Spiritum Sanctum, miram *Israelitarum* ingratitudinem, quâ essent post modum irritaturi Jehovam Deum benedictionum in ipsos collatarum. Unde tertiò præmonet qnod quemadmodum hactenus & *Mosis* tempore rejectæ erant *Gentes* reliquæ, sic fore ut propter scelera scelerибus *Gentium* similia in populo *Israelitico* rejiciat tandem aliquando & *Israelem* Deus. Καὶ ἐπανορθωσιν quarto loco prædicit reliquias *Israelis* recolligendas ad Jehovam in promisso Messiâ quem ipse dixit Prophetam sibi similem excitandum ex ipso *Israele*, cujus beneficii recollectionis ut ostendat *Gentes* prius ejectas, fore cum *Israele* participes, his verbis hortatur & ipsas *Gentes* lætari in Jehovâ cum *Israele* recollecto. Unde *Paulus* ex *Mosis* hortatione recollectionem *Gentium* communem cum *Israelitis* ut ab utrisque celebretur Jehova pro misericordiâ in Iesu Christo colligit. Unum in hâc Scripturâ animadvertendum est quod multis interpretibus facessit negotium. In *Mose* est Asyndeton & defectus copulæ: ut verba sic ad verbum sonent, lætentur *Gentes* populi ejus, subintellecta copula (& populus ejus) quam copulam *Paulus*, ut hîc sicut ubique primas tribuit *Israeli* in isto effecto exultationis in Jehovâ, reddit (id permittente primi sermonis proprietate) per præpositionem (cum) lætamini *Gentes* cum populo ejus, præeunte vos in illo exultationis effecto, utrumque enim hoc receptum est in Hebræo Idiomate, & ut conjunctio copulativa *vau* sæpè desit, & quod eadem sive expressa, sive suppressa reddatur per præpositionem (cum) utrumque hoc animadvertit & sequitur in hâc Scripturâ *Paulus* docente ipsum

Spiritu Sancto qui in *Moſe* loquutus eſt, Unde eodem Spiritu duce reddit verba *Moſis*, lætamini *Gentes* cum populo ejus.

11. In tertiâ quoque Scripturâ Apoſtolus concludit cauſam ex effecto ſuo,& *Gentium* vocationem ad communem cum *Iſraele* ſalutem, ex eo quod longe ante Spiritus Sanctus per pſaltem *Pſal.* 117. hortatus ſit *Gentes*, ſicuti & *Iſraelis* populum, laudare Jehovam pro eâ ſalute : quæ laudatio,ſalutis collatæ effectum eſt.

12. In quartâ Scripturâ Propheticâ *Iſaias* prædicit duo. Unum : Ieſum Chriſtum Meſſiam, quando veniret, regnaturum in *Gentibus*, & quemadmodum *Davidi* ac *Schelemoni*, qui uterque in iſto fuit typus Chriſti, non modò *Iſrael* ſed & *Gentes* ſubjectæ erant, ſic ſceptro regni Chriſti,non modo *Iſraelem*,ſed & *Gentes* ſubjectas fore. Alterum quod prædicit eſt, *Gentes* Chriſto ſubjectas, ſpem poſituras in Ieſu Chriſto : ex quibus duobus ; Ieſu Chriſti adaucto regno in *Gentibus*, & *Gentium* ſpe in ipſo poſitâ concludit Apoſtolus recollectionem *Gentium* ad regnum Chriſti.

13. *Utinam verò Deus ſpei vos impleat gaudio & pace.* Confirmatâ jam per amplificationem concluſione, quod nimirum Ieſus Chriſtus ſit Miniſter pro veritate Dei enuncianda & circumciſis & *Gentibus*, hâc inquam vel potius hujus parte poſteriore (id eſt Chriſtum Dei miniſtrum factum ad *Gentes*) confirmata variis Scripturæ teſtimoniis, jam ipſam ſuam concluſionem amplificatam & confirmatam, pro ipſius in ipſorum cordibus operatione commendat Deo, optatque, Deus ipſos impleat gaudio & pace, hoc eſt, ſic ipſos renovet ut magis indies gaudeant pacificè inter ſe ipſos Deo vivere,

vere, nam impleri gaudio, est gaudere multum & internam respicit affectionem: pace autem impleri, est vitam multum pacificam nanciſci, & externam respicit conversationem. Est itaque impleri gaudio, magis indies gaudere pacificâ vitâ inter se ipsos, ex eo quod magis sentiant indies accrescere gaudium Spiritus Sancti in ipsis ex suâ ipsorum cum Deo reconciliatione. Hoc beneficium quod ipsis exoptat, variè amplificat Apostolus. Primùm efficiente causâ primâ, quæ est Deus spei ipsorum. Deinde adjuncto modo quo ipsis efficitur hoc beneficium, nempe τῳ πιστευειν credendo. Tertio fine ut spe abundetis, *&c.* Et quartò adjunctâ suâ persuasione, *vers.* sequente. Quod ad primam amplificationis partem attinet, appellat authorem gaudii & pacis Christianorum, Deum spei ipsorum, hoc est, Deum complementi pacis ipsorum cum ipso in vitâ illâ futurâ. Itaque vis argumenti ad persuadendum ex primâ istâ amplificatione maxima est, profluit enim & ab authoritate, quia à Deo exoptatur beneficium: & ab ulteriore beneficio futuro, quia spei Deus appellatur, hoc est, Deus complementi pacis ipsorum, quâ isthic inchoata gauderent, & quâ impleta plenè gaudebunt, quicunq; sunt Deo spei reconciliati in Iesu Christo. Ad alteram partem amplificationis venio & modum habendi beneficii quem solitarium hîc notat Apostolus in credendo positum, ad docendos nos quòd neque hîc inchoetur, nec postea impleatur, vel gaudium vel pax, nisi in Christo fide apprehenso & per Christum apprehensum fide. *Ut spe abundetis.* Amplificatio est voti Apostolici à fine suo. Optat, magis indies gaudeant & crescant gaudio & pace, seu magis indies gaudeant pacificè inter se

vivere,

vivere, ex conſcientia gaudii Spiritus Sancti in ipſis quæ oritur ex conſcientiâ reconciliationis & pacis ipſorum cum Deo. Hoc inquam exóptat iis in hunc finem, ut ſpe abundent, hoc eſt, ut magis indies accreſcat in iis ſpes adimplendi gaudii & pacis. *Per virtutem Spiritus Sancti.* Finem illuſtrat modo efficiendi, quem Apoſtolus hîc notat eſſe virtutem, hoc eſt, internam operationem Spiritus Sancti: Ut enim nec nobis gaudium eſt nec pax, vel hîc inchoata, vel adimplenda poſtea, niſi per fidem & ſpem; ſic nulla nobis eſt vel fides in præſentia, vel ſpes in poſterum niſi per virtutem & internam operationem Spiritus Sancti.

14. *Perſuaſum autem habeo & ipſe ego de vobis fratres mei.* Quarta illuſtratio optati, ab adjunctâ perſuaſione ſuâ. Ubi notandum obiter quod gaudium & pacem hîc uno nomine bonitatis comprehendat, ad ipſos docendos, quod nemini vel iſthic, vel impoſterum benè ſit, niſi ipſi qui gaudeat iſthic pacificè vivere ſub ſpe adimplendi & gaudii & pacis per Ieſum Chriſtum. Quod autem dicit ſibi perſuaſum eſſe quòd pleni ſunt, nil certius eſt quàm quod iſta plenitudo de quâ hîc loquitur Apoſtolus intelligenda ſit de menſurâ gratiæ, quam qui firmiores ſunt, aſſequuntur in iſtâ vitâ; cum alioqui plenitudo, ſi propriè loquimur, omnis ſpiritualis gratiæ, hîc duntaxat inchoata ſit, & perficienda reſervetur ad futuram vitam, quemadmodum ipſe de ſe hîc idem Apoſtolus profitetur.

Impleti omni cognitione. Plenitudinem bonitatis illuſtrat ſuâ cauſâ quæ eſt prior & ſuperior, plenitudo nempe cognitionis Dei in Ieſu Chriſto: nam donec mens illuſtretur hâc cognitione, certum eſt quod nedum

dum pleni bonitate possimus esse, sed ne incepti quidem esse potuit in nobis bonitas ista de quâ hic loquitur Apostolus, nempe vel gaudium in affectione, vel in vitâ pax.

Et qui possitis etiam vos monere. Effecto amplificat plenitudinem cognitionis, quod quidem effectum est mutua ad gaudium & pacem monitio ex cognitione profecta.

15. Hactenus Apostolus à *vers.* 16. *Cap.* 1. de justitiâ disputavit & de vitâ justificatorum, tum illa æterna, tum inchoata hic per novam obedientiam, & disputationem concluſit gemina conclusione 10. *versibus* proximè præcedentibus: Jam sequitur tertia pars Epistolæ qua quemadmodum prolixo exordio exorsus est Apostolus disputationem dictam de justitiâ & vitâ à *vers.* primo primi *Cap.* ad 16. Sic jam ab hoc *vers.* 15. *Cap.* 15. ad finem multifariâ & monitione & salutatione finem imponit eidem suo scripto. Non malè igitur dici potest quod in tertiâ hac Epistolæ parte, absoluta disputatione generali, jam particularia tractet: sed ea omnia verè sancta, & talia quæ respondent generali disputationi: & hæc duplicia sunt, vel enim Apostoli ipsius propria sunt hoc *Cap.* reliquo, vel alios respiciunt *Cap.* insequente. Quod autem ad priora attinet & quæ Apostoli propria sunt, ea duplicia sunt: Primo enim præcavet *Romanorum* offensionem, alioqui fortasse & aliquibus exorituram ex præcedente scripto, à *vers.* 15. ad *vers.* 23. Secundò quemadmodum in exordio; sic jam in clausulâ Epistolæ captat *Romanorum* benevolentiam ad quos scribit. Offensam præcavet duobus modis, primùm succinctâ & brevi professione suæ

eum

cum ipsis societatis; Deinde authoritatis confirmatione. Quod ad societatem attinet, eam profitetur dum asserit se fratrem scribere fratribus, & pro fratribus ipsos se habere ad quos scribit: nam qui fratres sunt fieri nequit quin multifariâ societate inter se conjuncti sint. Sunt enim ejusdem parentis liberi, ejusdem domus & familiæ domestici & communem habent communis familiæ bonorum participationem: Quare hi omnium minimè alii aliis offenderentur. Alterum quo præcavet *Romanorum* offensionem, est suæ authoritatis confirmatio ad quam accedit sanctâ quadàm infirmatione & αιτιολογια. Si enim *Romani* vellent objicere audaciam in audacter magis ad ipsos scribendo, ne suâ hâc audacia & in scribendo libertate offendantur, primùm de se ipso confitetur quod ex parte audacter magis ad ipsos scripserit: Deinde libertatis suæ quam illi forte audaciam appellarent; Ille autem audaciam ex parte confitetur, rationem reddit, ut eam & illi non audaciam esse, sed sanctam in CHRISTO libertatem cernant; & ille eam imposterum apud ipsos liberè profiteri possit. *Audacius vobis scripsi fratres.* Hæc communis propositio est utriusque & professionis quâ profitetur societatem, & confessionis quâ se dat confitentem reum. *Aliquâ ex parte.* Epanorthosis est confessionis quâ audaciam sublevat, in eaque quanquam confessa, nihil inesse delicti ostendit: nam aliqua ex parte audacius scripsisse, est ad ipsos scripsisse in CHRISTO liberè; incognitos tamen adhuc, & propter professionem de ipsis suam, quod & in Christo & pleni bonitatis ut *vers.* 14. hoc est, quod ipsi tales ad quos potuerit in Christo scribere; si itaque ulli ex ipsis pertinacius vellent Apo-

stolum

stolum urgere audaciâ in scribendo, ipse ipsos ista Epanorthosi efficacissimè & suo ipsorum judicio convincit, esse gratia Iesu Christi destitutos. Hactenus enim dum taxat audaciam confitetur. quatenus non ex cognitione, ut qui ipsos nondum viderit, sed ex persuasione quod in ipsos gratia collata sit, liberè scripserit. *Veluti commonefaciens vos.* Secunda est confessionis suæ Epanorthosis, & audaciæ sublevatio à subjecto suo scripto; quod subjectum est commonefactio, hoc est, sui ipsius simul & ipsorum junctim monitio ad oblatam gratiam prehendendam: est enim ἐπαναμιμνησκειν alios & me ipsum, vel præter me ipsum alios etiam in memoriam revocare; Hæc enim vis est propositionis ἐπι in decomposito, ut sit ἐπαναμιμνησκειν mecum te commonefacere, vel mecum tibi in memoriam revocare. Sic igitur Apostolus sublevat objectionem audaciæ in hac secundâ ἐπανορθωσει ut planum faciat ipsis, nihil se ad ipsos tam audacter scripsisse, quod non ipse sibi dixerit & cujus seipsum cum ipsis non commonefaceret. *Propter gratiam quæ data est à Deo.* Sequitur confirmatio authoritatis suæ quam jam sancta quadam infirmatione proposuit ut planè ostendat non audacem se ulla ex parte, sed in Christo fuisse liberum sic ad ipsos scribendo. Argumenta libertatis duo sunt; Prius verbis citatis continetur & sumptum est ab efficiente causâ libertatis, quæ est gratia ipsi divinitus data. Gratiam hîc intelligit eam quam 1*Cor.* 9. 17. vocat concreditam sibi Euangelii dispensationem & quam veluti ulteriorem gratiam super addit suæ ad Christum vocationi efficaci, 1*Tim.* 1. 12. Huic gratiæ tanquam superiori, si priori & efficaci vocationi ad Christum additur,

1*Tim.*

1 *Tim.* 5. 17. decernit Apoſtolus honorem in Eccleſiâ duplicem. Ab hac gratia & fundamento duplicis honoris in ſe collata, confirmat ſuam authoritatem & libertatem in ſcribendo ſive ad *Romanos*, ſive ad quamcunque Eccleſiam.

16. *Ad hoc ut ſim Miniſter.* Gratiam divinitus datam unde confirmavit authoritatem ſuam explicat fine generali: finis generalis eſt λειτουργία miniſterium: aſſerit *Paulus* ſibi datam gratiam ut eſſet Miniſter IESU CHRISTI. Miniſterium explicat ſubjecto triplici & fine particulari: ſubjectum triplex eſt ἐν, εἰς ὁ, ἵν ὦ. ſubjectum (ἐν) eſt IESUS CHRISTUS: *Paulo* data eſt gratia ut eſſet Miniſter IESU CHRISTI. Subjectum εἰς ὁ, ſunt *Gentes*: *Paulus* eſt Miniſter IESU CHRISTI *ad Gentes*. Subjectum ἵν ὦ eſt Euangelium: *Paulus* eſt Miniſter IESU CHRISTI in Euangelio ſeu operans Euangelio. Finis Miniſterii particularis eſt *Gentium* oblatio: *Paulus* eſt IESU CHRISTI Miniſter, ut *Gentes* fiant oblatio JEHOVÆ. *Accepta, ſanctificata.* Oblationem *Gentium* quâ ipſæ JEHOVÆ offeruntur per Euangelium adjunctis illuſtrat duobus: Quorum prius eſt acceptatio in IESU CHRISTO DEI Filio; Alterum adjunctum eſt ſanctificatio per Spiritum Patris & Filii Sanctum.

17. *Habeo igitur quod glorier.* Concluſio primæ confirmationis. Ubi obſerva quod quam ſiniſtre *Romani* audaciam dicerent, ipſe autem libertatem in CHRISTO profeſſus ſit, hic vocet gloriationem in iis quæ ad DEUM pertinent. Integra igitur Apoſtoli ratiocinatio iſthic ſic habet, Qui gratiam habet divinitus datam, habet de quo glorietur in exſequenda gratiâ, ſeu po-

teſt

test liber esse quanquam mundus libertatem ipsius audaciam interpretetur: At ego, ait Apostolus, gratiam habeo divinitus datam ut Christo serviam in Euangelio propter *Gentes*, Ergo habeo de quo glorier in iis quæ Dei, seu liber esse possum in Euangelii præconio apud *Gentes*; tametsi aliqui libertatem audaciam esse interpretentur. *Per Iesum Christum.* Gloriationem suam seu libertatem in efferendo Euangelio illustrat efficienti causa & subjecto. Efficiens causa est Iesus Christus, nam sicut per Iesum Christum ingreditur, quicunque recta ingreditur ad officium prædicandi Euangelii: sic nisi per Christum sustentetur in prædicando, fieri nequit quin succumbat in itinere. *Paulus* igitur, ut 1*Tim.* 1. 12. agnoscit se per Iesum Christum in ministerio collocatum; sic hic uni Iesu Christo fert acceptum quod liber sit & glorietur in prædicando Euangelio. *In iis quæ ad Deum.* Altera gloriationis illustratio seu suæ libertatis à suo subjecto. Gloriatur *Paulus* & liber est, non vel in peccando, vel quibusvis mundi rebus; sed in iis quæ ad Deum, hoc est, in negotio prædicandi Euangelii Dei & dispensatione mysteriorum regni Cœlestis, ut alibi loquitur 1*Cor.* 4. 1.

18. Sequitur alterum argumentum libertatis ab effecto. Effectum est adductio *Gentium* ad obedientiam Christi qnod amplificatur causa sua prima quæ est Christus. Secundò instrumentaria seu subserviente, Instrumentalis causa seu instrumentum Iesu Christi est *Paulus*. Christus per me *Paulum* adduxit *Gentes* ad obedientiam, habeo igitur quod glorier, seu libertate uti possum in loquendo & scribendo *Gentibus*.

Antecedens

Antecedens hujus Enthymematis *verſ.* 18. confirmatum ibidem & variè amplificatum inde ad *verſ.* 22. *Non enim ſuſtinuerim quicquam loqui niſi quòd Chriſtus per me efficeret.* Confirmatio Antecedentis ſumpta eſt ab adjunctâ atteſtatione. IESUS CHRISTUS novit me vera loqui nec audere loqui quod ipſe per me non efficit, verum igitur eſt quod IESUS CHRISTUS per me *Paulum Gentes* adduxerit ad obedientiam. *Adducendis ad obedientiam Gentibus.* Conſequens hoc eſt proximi Enthymematis & ſecundi argumenti Antecedens. Ieſus Chriſtus per me *Paulum* adduxit *Gentes* ad obedientiam: *Gentes* autem adduci ad obedientiam Chriſti, utrumque hoc ſignificat, & fidem & obedientiam fidei, Ergo opus quod Ieſus Chriſtus per *Paulum* operatus eſt, iſtud eſt, & duarum partium: Primùm effecit crederent Euangelio, Deinde viverent ut dignum Euangelio; quod utrumque complectitur Apoſtolus uno nomine obedientis Chriſto. *Verbis & factis.* Illuſtratio hîc ſequitur antecedentis ſeu adductionis *Gentium* ad obedientiam triplex. Prima ſumitur ab adjuncto modo adducendi qui hîc triplex notatur: *Paulus* enim *Gentes* adduxit ad obedientiam. Primò verbis. Deinde factis. Tertiò virtute Spiritus Sancti. Per verba intelligo Euangelii præconium.

19. *Virtute ſignorum & prodigiorum.* Facta ſuà Apoſtolus, per quæ *Gentes* ad obedientiam adduxit, ipſe explicat adjunctis ſuis tribus. Signa erant, prodigia erant & virtute effecta. Dum ſigna dicit, oſtendit opera illa ſignificaſſe *Gentibus* quod DEUS eſſet cum ipſo, ipſeque DEI nuntius & quod verbum ſui præconii eſſet ſalutis Euangelium; id quod agnoſcitur à pythoniſſa

nissâ, *Act.* 16. 17. Prodigia dicuntur quia insueta, non solita & verè miraculosa fuere. Dum virtute effecta dicit, docere vult quod vi non hominis vel ullius creaturæ, sed solius Dei effecta sint ad hoc ut signarent & obsignarent præconium; id quod docet *Petrus*, *Act.* 3. 12, 13, 14, 15, 16. ubi claudi sanationem miraculosam ostendit *Petrus* divina virtute effectam, ut esset signum confirmaturum ipsorum de Christo prædicationem. Facta itaque de quibus *Paulus* loquitur hîc sunt miracula per ipsum in *Gentibus* edita, eaque singulari Dei virtute & potentiâ ad confirmationem verborum ipsius seu prædicati Euangelii. *Virtute Spiritus Dei.* Hic tertius modus est quo amplificatur *Gentium* adductio ad obedientiam: Per virtutem autem Spiritus Dei hîc intelligo dona Spititus Sancti collata in *Gentes* per eandem vim & potentiam Dei ad confirmationem Paulinæ prædicationis: si de modo igitur quæris quo *Gentes* ad obedientiam adductæ sunt, Respondet ipse *Paulus* adductas esse præconio Euangelii confirmato miraculis & donis Spiritus Sancti: Propter quam quidem confirmationem & efficaciam ipsius in adducendis *Gentibus*, Apostolus 1*Cor.* 1. 18. sermonem de cruce Christi, pereuntibus stultitiam, iis autem qui servantur potentiam appellat, à potente nimirum confirmatione & potente operatione. *Adeo ut ab Hierusalem*, Secunda illustratio adductionis *Gentium* à loco subjecto; Ubique *Gentium* ab Hierusalem ad Illyricum Christus per me adduxit *Gentes* ad obedientiam. Hic subjectus locus rursus simili comparatione amplificatur: sic adduxi *Gentes* ad obedientiam in hisce locis, ut in omnibus impleverim munus prædicandi Euangelii

Christi.

Chriſti. Implere autem munus prædicandi Euangelii, eſt efficere ut Euangelium non aliqua ex parte, ſed plenè prædicetur. Dicit igitur Apoſtolus quod in omnibus hiſce locis ab Hieruſalem ad Illyricum non modo plantaverit, ſed plenè conſtituerit Eccleſias præconio Euangelii; id quod & Epheſi & Corinthi & in Cretâ factum legimus, ubi primùm ab ipſo plantatas Eccleſias per ſuos aſſeclas Euangeliſtas *Timotheum*, *Titum*, *Apollon* rigavit, donec plenè conſtituerit.

20. *Ita porro ambiens*, &c. Tertia eſt illuſtratio adductionis *Gentium* ab adjuncta priori ignorantia in ipſis *Gentibus* quæ per *Paulum* adductæ ſunt: *Gentes* quas Chriſtus per me adduxit ad obedientiam, prius nec audiverunt de Ieſu Chriſto. Iſta ignorantia etiam amplificatur ſimili comparatione deſiderii Paulini ad prædicandum, & ignorantiæ *Gentium*: quemadmodum *Gentes* ne audiverunt quidem de Chriſto, ſic ego ambivi Chriſtum prædicare ubi prius ne nominatus quidem eſſet. Apodoſis ſimilitudinis hoc *verſ.* 20. continetur amplificatâ fine qui eſt ne *Paulus* ſuper alienum fundamentum ædificaret.

21. *Sed ſicut ſcriptum eſt.* Protaſis eſt ſimilitudinis Scripturæ teſtimonio confirmata de Chriſto *Gentibus* nunquam nunciato priuſquam meo præconio viderent & intelligerent.

22. *Quapropter etiam impeditus ſum ſæpè ne veniam ad vos.* Proleptica tranſitio eſt à priore parte particularium quæ ſe ipſum reſpiciunt, ſeu narratione fructus, ſui in Euangelio laboris unde dixit factam ſibi fiduciam audacius ad ipſos ſcribendi, ad partem alteram & quâ captat benevolentiam *Romanorum*, ad quos ſcripſerit

stripserit cum sanctâ fiduciâ. Objectio quam occupat hæc est, cùm Illyricum maritima sit civitas Græciæ, ab oriente australi Hadriatici maris, parvo interjectu distincta ab Italiâ; cur non ad nos, qui Romæ sumus, & in primariâ totius Europæ civitate, venisti ut amplificares, multò maximè pro civitatis ratione, tuos in Euangelio labores. Respondet Apostolus sibi non defuisse propositum ad ipsos veniendi & quidem sæpè, sed hactenus impeditum fuisse ut veniret: Similis prolepsis fuit in exordio Epistolæ *Cap.* 1. *vers.* 13. ubi captat benevolentiam *Romanorum*; quod ipsum facit *vers.* insequentibus ad quos transit ista Prolepsi.

23. In sequentibus *vers.* ad finem *Cap.* captat *Romanorum* benevolentiam. Argumenta tria sunt. Primum à promissione est veniendi ad ipsos ad *vers.* 30. Hanc promissionem *vers.* 24. propositam, & confirmat & amplificat. Confirmationis argumenta hoc *vers.* 23. duo sunt, Prius sumptum à pari consequutione in disparatis seu contrariis, quæ notantur hoc in loco vocibus *huc & illuc* seu *in illas regiones*. Sed si pleno Syllogismo argumentum licet disponere, sic arguit, si non amplius mihi hic locus, illuc veniendum est ut prædicem Euangelium. At prius verum, Ergo etiam & posterius. *Nunc verò cùm non amplius locum habeam in his regionibus*. Assumptio Syllogismi seu antecedens Enthymematis. Regiones intelligit eas omnes ab Hierusalem & circumjacentibus regionibus ad Illyricum. *Desiderium autem habeam veniendi ad vos à multis annis*. Secunda confirmatio promissionis ab adjuncto suo desiderio; quod rursus temporis adjuncto

amplificatur: à multis jam annis fuit. Sic igitur arguit Apoſtolus, multi anni ſunt ex quo deſideravi vos videre, Ergo tandem aliquando ad vos veniam ut videam. Antecedens continetur verbis citatis.

24. Sequitur promiſſionis amplificatio, eaque quadruplex. *Quandocunque proficiſcar in Hiſpaniam.* Prima promiſſionis amplificatio ab adjuncto tempore: quando iter faciam in *Hiſpaniam*, ad vos veniam. *Veniam ad vos.* Propoſitio promiſſionis & utriuſque Argumenti concluſio; quod utrumque comprehenſum fuit *verſu* 23. *Spero enim fore.* Tertium promiſſionis argumentum ab adjunctâ ſpe ſuâ veniendi & videndi illos: quod το ιδειν & ipſos videre, amplificat primò occaſione ſuâ, vel, ſi lubet, efficiente cauſâ quæ eſt ipſius per ipſos in *Hiſpaniam* tranſitio. *Et à vobis deducar illuc.* Secunda τε ιδειν & videndi ipſos illuſtratio à mutuo ipſorum erga ipſum officio; quod eſt ipſius ab ipſis in *Hiſpaniam* deductio. *Si tamen prius veſtra conſuetudine ex parte expletus fuero.* Epanorthoſis ſui ab iis abitus & in *Hiſpaniam* deductionis. Prius tamen quam abeam, aut à vobis in *Hiſpaniam* deducar, explebor veſtrâ conſuetudine: Quam quidem expletionem ſuâ cum ipſis conſuetudine deinceps corrigit cùm addit, ex parte; ſic ſignificans noſtrum ex mutuâ conſuetudine gaudium non fore expletum plenè, ſed duntaxat aliquatenus, quamdiu ſumus una iſthic in terris, imò ne illud quidem quod ex mutuâ eſt conſolatione & collatione Euangelii gratiæ.

25. *Nunc*

25. *Nunc autem proficiscor Hierosolymam:* Secunda promissionis illustratio à contrariâ præsenti profectione: Proficiscor nunc, non occidentem versus aut in *Hispaniam* ut nunc vos videam in hâc profectione; sed contrà, orientem versus & *Hierosolymam. Ministrans sanctis.* Illustratio præsentis profectionis à fine suo, qui est sanctis ministrare: Ministrare autem sanctis isthic, est in sanctorum usus necessarios deferre subsidium quod per Ecclesias *Gentium* collectum fuit & congregatum pro sublevandâ credentium necessitate qui Hierosolymis & per totam Judæam erant: Cujus subsidii occasio orta est ex illâ *Agabi* Prophetiâ de futurâ fame in orbe terrarum, *Act.* 11. 28, 29, 30. quod quidem subsidium ut à *Gentibus* in *Judæos* credentes collatum sit, duplex videtur esse ratio: quarum prior ista, quòd castigatio ista & necessariorum defectus multum ingravesceret in Judæâ ex odio contribulium qui non crediderunt, & qui tamen, nempe paulò ante ultimam Hierosolymorum vastationem eâ urgebant credentes necessitate ut cogerentur cedere & pellerentur à propriis sedibus. Hoc obvenit Ecclesiæ Judaicæ intra quadragesimum à Christo annum. Hæc necessitas primùm obventura *Judæorum* Ecclesiis, & à *Judæis*, *Gentium* Ecclesiis annunciata, ut primùm *Judæis* divinitus patefacta est, videtur occasionem dedisse huic subsidio. Altera ratio est beneficii agnitio propter quod Apostolus postea prædicabit *Gentes* in debito esse *Judæorum*, seu *Judæorum* debitores esse. Beneficium autem

agnitum duplex fuit: Unum verbi ex Sione prodeuntis juxta veterem Prophetiam, & communicati *Gentibus* Euangelii à *Judæis*. Alterum hujus ipſius neceſſitatis futuræ prænuntium divinitus, primum *Judæis* revelatum & ab ipſis communicatum *Gentibus* quicunque crediderant; ut ipſi moniti quemadmodum à *Joſepho* Ægyptii, ſanctè ſibi præcaverent à famis judicio quod reliquum orbem terrarum preſſurum fuit.

26. *Placuit autem Macedoniæ & Achaiæ conferre aliquid in pauperes ſanctos qui ſunt Hieroſolymis.* Ratio miniſterii cujus gratia Hieroſolymam proficiſcitur à cauſâ ſuâ efficiente, quæ collatio fuit & ſubſidii congregatio. Ad ſublevandam neceſſitatem ſanctorum Hieroſolymis facta eſt collectio; ſic enim arguit hîc Apoſtolus. Pro ſublevandâ neceſſitate ſanctorum qui Hieroſolymis agunt, Ego jam Hieroſolymam proficiſcor miniſtraturus ſanctis. Hanc collectam illuſtrat Apoſtolus, & ſubjecto loco, & cauſarum efficientium quâdam Analyſi. Subjectus locus geminus notatur. In Macedoniâ facta eſt, & in Achaiâ iſta collectio. Cauſæ autem duæ ſunt, proxima quidem beneplacitum ipſorum qui collectam fecerant.

23. *Placuit enim ipſis & debitores illorum ſunt.* Per Epanorthoſin prioris cauſæ & beneplaciti Macedonum & Achæorum adfert remotam cauſam, nempe debitum quo erant Eccleſiis quæ in Judæâ obligati. *Nam ſi ſpiritualia ipſorum bona Gentes participârunt, debent etiam ipſæ in carnalibus*

iis

iis ministrare. Confirmat debitum quo Macedones & Achæi, adeoquè omnes in *Gentibus* credentes obligati sunt Ecclesiis *Judæorum.* Argumentum sumptum est à comparatione majorum. Majora bona *Judæi* in *Gentes* contulerunt, Ergo minora ex debito conferrent *Gentes* in *Judæos.* Majora bona vocat Apostolus τα πνευματικα spiritualia, minora autem τα σαρκικα carnalia. Spiritualium nomine intelligit, & Euangelium & omnimoda Spiritus dona quæ conferebantur in fide amplexos Euangelium: in quibus donis unum est, donum & gratia Prophetiæ, non modò ordinariæ, sed pro loco, tempore & necessitate credentium, extraordinariæ, quo præmonetur Ecclesia de futuris & DEI beneficiis & judiciis propter peccatum mundo obventuris; qualis fuit illa *Agabi* Prophetia. In hâc igitur majorum comparatione concludit Apostolus utramq; illam rationem debiti *Gentium* cujus supra meminimus in *vers.* 25.

28. *Hoc ubi perfecero.* Demonstrativum [*hoc*] in his verbis notat profectionem *Pauli* quam susceperat in Judæam & Hierosolymam versus, ut sensus sit: ubi absolvero præsentem istam profectionem de quâ proximè. *Et obsignavero eis hunc fructum.* Fructum intelligit subsidium comparatum, & ad quod sanctis ministrandum proficiscitur Hierosolymam: & fructum appellat istud subsidium: quia quemadmodum ex bonâ arbore bonus fructus colligitur, sic ex ipsius fidis in Euangelio laboribus inter *Gentes* hunc fructum perceperunt Ecclesiæ Judaicæ & sancti pau-

peres qui Hieroſolymis. Hoc itaque *verſ.* concludit Apoſtolus promiſſionem ſuam geminâ illuſtratione amplificatam ſupra. *Ego per vos proficiſcar in Hiſpaniam.* Quam concluſionem tertiò amplificat iſto *verſ.* novo temporis adjuncto, eoque dupliciter definito. Primùm fine ſuæ profectionis præſentis: poſtquam abſolvero hanc profectionem proficiſcar per vos *Romanos* in Hiſpaniam: Deinde effecto ſuæ profectionis cum eleemoſynâ ad ſuos: quod effectum eſt obſignatio utilitatis tum ad *Judæos*, tum ad *Gentes* redundantis ex ſuis in prædicando Euangelio laboribus.

29. *Scio enim cùm venero ad vos, cum plenâ benedictione Euangelii Chriſti venturum.* Quarta promiſſionis ſuæ amplificatio eſt ab adjuncto ſui adventus: quod quidem adjunctum eſt plena benedictio Euangelii CHRISTI cum adventu meo ad vos ventura: quam quidem illuſtrat adjunctâ ſuâ ſcientiâ, novi etenim cum adventu meo venturam benedictionem Euangelii. Benedictionem hoc in loco intelligit gratiam *Romanis* communicandam ex prædicato per ipſum Euangelio inter ipſos ubi venerit. Hanc ſibi perſuadet plenam fore: quæ plenitudo capienda eſt de menſurâ firmorum ſeu perfectorum, ut ipſe loquitur 1 *Corinth.* 2. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Ubi perfectos vocat eos qui eum in gratiâ Euangelii jam progreſſum fecerant, ut perfectionem & ipſi proſpicerent, & ad ipſam contenderent, ut ipſe ſe exponit, *Philip.* 3. 13, 14, 15. Non ergo vult innuere Apoſtolus quod iſthic

isthic & in terris ulli possit esse plena benedictio Euangelii, absolutâ illâ plenitudine quæ redemptis Jehovæ in Christo præparata est, illa etenim plenitudo sanctis obveniet in vitâ futurâ: sed plenitudinem intelligit uti jam dixi, eam perfectorum mensuram gratiæ, quæ ipsos isthic persuasos reddat de futura aliquando absoluta plenitudine.

30. Sequitur secundum captandæ benevolentiæ argumentum. Hoc sumptum est à postulato ab ipsis precum officio. *Precor vos, fratres, precibus certetis pro me.* Hoc argumentum ad benevolentiam conciliandam ex eo est efficax, quod precum postulatio arguit in postulante æstimationem de iis à quibus postulat in Domino honorificam: nam quos viliter æstimamus eorum preces nunquam imploraturi sumus. Postulando itaque à *Romanis*, pro eo certent apud Deum precibus, ostendit Apostolus quod ipsos bonitatis plenos putet, quemadmodum se supra persuasum professus est, *vers.* 14. *Per Dominum Iesum Christum & charitatem Spiritus.* Has preces quas postulat, amplificat variis causis, adjuncto, subjecto, & finibus. Causæ duæ sunt. Prior: Dominus noster Iesus Christus: Communis enim participatio ipsius ut unius & ejusdem Domini omnium nostrûm qui credimus, efficeret in omnibus mutuas preces, & ut omnes & singuli alii pro aliis precaremur per ipsum. Secunda causa precum est charitas Spiritus: ea autem est per quam Spiritus Sanctus in sanctificatis habitat, & ista duplex est: Una effusa illa Dei in

cordibus

cordibus noſtris per ipſum Spiritum. Altera ex hâc oritur & eſt qua nos mutuo ſanctè complectimur in Ie su Christo propter communem ſocietatem charitatis Dei quâ ipſe communiter complectitur nos omnes in Iesu Christo. Utramque charitatem hîc accipio intelligendam, ita ut preces Apoſtolus à *Romanis* poſtulatas ſuperſtruat charitati qua invices tenemur alios amplecti qui in Ie su Christo, ortæ ex illâ Dei qua ipſe nos omnes amplectitur in Iesu Christo: quam utramque in nobis operatur Sanctus Dei Spiritus. Adjunctum notatur nomine certaminis dum dicit Apoſtolus, *Certetis pro me precibus apud DEUM.* Certamen autem duo poſtulat, continuam dimicationem donec innotuerit victoria, & ſtudium durationis: Duo igitur poſtulat, ferii ſint in precando & orando & perſeverent in illo ſtudio donec poſtea audiverint de liberatione. Precum harum, ut ſubjectum eſt *Paulus*; petit enim precentur pro ipſo, ſic Deus objectum eſt, *Certetis pro me apud Deum.* Et ipſe etiam cauſa ſocia eſt, quod notatur his verbis dum ait, *Precor mecum certetis.* Si enim cum ipſo certârunt precibus, & ipſe cum ipſis ut ſocia cauſa ejuſdem affectus cum ipſis, certavit.

31. *Ut liberer ab iis qui rebelles ſunt in Judæâ.* Fines precum poſtulatarum tres notantur verſibus duobus inſequentibus: quorum primus eſt liberatio à rebellibus, & hi deſcribuntur ſubjecto loco habitationis ipſorum; *Judæi* ſunt & in *Judæâ* habitant.

Rebelles

Rebelles autem hîc intelligo: non modo persistentes in incredulitate Iesu Christi; sed insuper eos qui Christum professi, falsi fratres erant & Legis zelo corruptores Euangelii Iesu Christi. Postulat itaque, *Romani* pro ipso precentur in hunc finem primùm, ne in periculosa hac profectione Hierosolymitana tradatur desiderio rebellium *Judæorum*, sed divina protectione ab ipsis liberetur. *Ut ministerium hoc meum erga Hierusalem acceptum sit sanctis.* Secundus finis. Petit precentur pro eo ut ipse cum suo ministerio acceptus veniat fidelibus qui Hierosolymis sunt.

32. *Ut cum gaudio veniam ad vos.* Tertius & postremus finis. Petit precentur pro eo ut peracta profectione Hierosolymitana proximè deinceps ad ipsos veniat, & per ipsos in Hispaniam. Hunc suum adventum ad ipsos amplificat adjuncto gaudio [*Veniam cum gaudio*] causa efficiente quæ est voluntas Dei, & fine *Ut una vobiscum refociller.* Hoc est, ut vos consoler Euangelio, mutuoque consolationem ex vobis recipiam; quod nimirum videam gratiam Euangelii in vobis efficacem. Ex hoc ultimo fine precum videre est quòd ista ad *Romanos* scripta sit Epistola, cum postremo ipse proficisceretur Hierosolymam, promittit enim fore ut proximè proficiscatur per *Romanos* in Hispaniam, & insuper *vers.* 23. ostendit non amplius sibi locum esse in regionibus ad mare usque Hadriaticum in cujus Orientali littore ex adverso Italiæ, situm sit Illyricum quo usque penetravisse se ab Hierosolymis professus est *vers.* 19.

33. *Deus*

33. *DEUS autem pacis ſit cum omnibus vobis.* Tertium captandæ benevolentiæ argumentum ab officio ſuo ipſis præſtito & mutuis precibus: quemadmodum enim in iſta profectione poſtulat ab ipſis ut per ipſos ipſe precibus commendetur DEO; ſic ipſe ipſis præſentiam DEI pacis in ſempiternum poſtulat. Vocat JEHOVAM DEUM pacis quia ipſe Author eſt & efficit nobis noſtram ſecum reconciliationem in IESU CHRISTO, in qua quidem conſummata conſiſtit beatitudo & hominum fælicitas; precatur igitur iis DEUM præſentem ſemper ad pacis opus, mortificato peccato, peragendum, donec pax illa & ipſorum cum DEO in gratiam reditus perficiatur in IESU CHRISTO quando ipſe ipſos DEO ſtiturus eſſet irreprehenſibiles & inculpatos. *Amen.* Altera pars precum & concluſio qua poſtulat à DEO ut preces ſuæ, jam pro *Romanis* conceptæ, ratæ fiant & perficiantur à JEHOVA.

Caput

Caput decimumsextum.

PArticularia seipsum respicientia hactenus fuerunt à *vers.* 13. præcedentis *Capitis.* Sequuntur particularia quæ respiciunt alios; Hæc duplicia sunt quorum priore parte continetur commendatio 1. *vers.* & 2. Alterâ salutationes à *versu* 3. ad *Capitis* finem. Differt autem salutatio à commendatione; quod salutatio sit eorum quos salutamus commendatio qua ipsos commendamus Deo pro participatione communis salutis: commendatio contrà, qua commendamus commendatos eorum curæ aût studio aut auxilio quibus ipsos commendamus.

1. *COmmendo autem vobis Phœben*, &c. Commendationem suam Apostolus amplificat primùm, deinde rationem reddit. Amplificatio à subjecto sumpta est primùm, deinde fine. Subjectum *Paulinæ* commendationis hîc est *Phœbe*, Commendo, ait Apostolus, vobis qui Romæ estis seu Romanæ Ecclesiæ *Phœben*, hoc est, vestræ curæ, studio & auxilio permitto *sororem nostram.* Est *Phœbes* ab adjunctis duobus illustratio, vocatione nimirum primùm communi, deinde particulari. Communis vocatio notatur dum Apostolus eam dixit sororem nostram; hoc est, ejusdem Dei nobiscum, qui in Christum credimus, filiam per fidem. Esse autem

autem DEI in CHRISTO filiam & per ſocietatem communis fidei, credentium ſororem, communis vocatio eſt Chriſtianæ fœminæ. Deſcribitur igitur *Phœbe*, primùm ex eo quod ſit fœmina Chriſtiana, DEI filia & ſoror omnium credentium per fidem in CHRISTUM. Iſta communis vocatio eſt. *Quæ eſt miniſtra Eccleſiæ Cenchreenſis.* Hæc particularis vocatio eſt. In viduis erat, ut videtur, Cenchreenſis Eccleſiæ: niſi mavis dicere id quod magis videtur dicendum, talem fuiſſe quæ Cenchreenſi Eccleſiæ miniſtrabat hoſpitio recipiendo peregrinos ſanctos; è cujuſmodi fœminarum numero monet Apoſtolus eligendam viduam, 1 *Tim.* 5. 10.

2. *Ut eam accipiatis.* Altera amplificatio eſt commendationis Paulinæ à fine eoque duplici ob quem commendavit *Paulus Phœben* Romanæ Eccleſiæ. Prior finis eſt ut eam venientem Romam, acceptam habeant, alter ut adjuvent. *In Domino.* Prioris finis eſt declaratio cujus argumenta duo ſunt. Primum his verbis inſinuatur, nam in DOMINO recipere, eſt veluti DOMINO inſitam per fidem recipere, & propter DOMINUM cui inſita eſt. Prius igitur declarationis argumentum dici poteſt ſumptum vel à ſpirituali adjuncto ipſius *Phœbes*: fœmina erat CHRISTO DOMINO inſita: vel ab efficiente cauſâ quæ eſt DOMINUS Romanenſium & *Phœbes*, nempe IESUS CHRISTUS; cujus communio efficeret ipſi ipſam reciperent. *Sicut dignum eſt ſanctis.* Alterum declarationis prioris finis argumentum ab adjuncto ſanctorum officio: ſanctos & eos qui ſunt

in

in Domino decet recipere in eodem Domino sanctificatos. *Et adsitis ei quâcunque in re.* Alter finis amplificatus subjecto, ut adjuvent eam in omni negotio postulante auxilium ipsorum: Unde mihi nota quod fas sit & consuetum, sancti sanctos commendent etiam in communibus & externis negotiis. Sic *Paulus* Ecclesiæ Romanæ commendat *Phœben* ab Ecclesiâ juvandam in omni negotio quodcunque ipsi Romæ fuit. *Nam hæc, cum multis hospitium præbuit.* Commendationis suæ amplificatæ rationem reddit ab effecto *Phœbes*, ipsa hospitalis fuit & hospitio recepit multos è sanctis. *Tum etiam mihi ipsi.* Effectum illustrat comparatione majorum: non solùm aliis sanctis; sed mihi etiam ipsi *Paulo* hospitium præbuit.

3. Salutationes sequuntur & duplices. Priores ipsius *Pauli* sunt, quibus ipse per se Ecclesiam salutat: Primùm insigniores in Ecclesiâ Romana ad *vers.* 16. Deinde communiter omnes 16 *vers.* quas utrasque concludit monitione & precibus à *vers.* 17. ad 21. Salutationes *Pauli* quibus salutat insigniores & eximios in Ecclesiâ Romanâ, partim singulares & sigillatim nominatorum, partim plurium communi quodam compendio & descriptione comprehensorum. Utrique sigillatim & deinceps enumerantur, nec distinctim sed obiter & mixtim pro occasione. *Salutate Priscillam & Aquilam.* Primi qui nominatim salutantur, sunt *Priscilla* & *Aquila*: nec prætereundum quod sponsa in salutatione nominetur ante sponsum, nam *Aquila* maritus fuit,

fuit, *Priſcilla* uxor, *Act.* 18. 2. Unde videre licet quod ut iſti duo in iis qui iſto tempore Romæ profitebantur, præluxerunt aliis; ſic *Priſcilla* eximia fœmina viro ſuo præluxerat in negotio Euangelii. Unde *Act.* 18. 26. cum viro ſuo conjungitur in exquiſitius erudiendo *Apollon*, inſignem Euangelii præconem. *Adjutores meos in CHRISTO IESU.* Deſcribit primùm ſalutatos, effectis ſuis & adjuncto. Effectum primum. Juverunt *Paulum* ſeu adjutores erant *Pauli* Apoſtoli: quod effectum amplificatur ſubjecto ſuo, in Christo Iesu ſeu in Christi negotio. Hoc adjumentum quodnam fuerit non hîc exprimitur, nec videtur poſitum in ſimul cum *Paulo* prædicando Euangelio; ſed potius in ita ſtrenuâ profeſſione Euangelii Christi à *Paulo* prædicati, ut ſæpè periclitarentur ipſi pro *Paulo* ſervando, ut *Acto.* 18. 12. Corinthi, & in itinere Epheſum verſus.

4. *Qui pro animâ meâ cervicem ſuam ſuppoſuerunt.* Alterum effectum eſt *Priſcillæ* & *Aquilæ*, ſuppoſuerunt ſuam ipſorum cervicem, hoc eſt, ad mortem uſque periclitati ſunt. Hoc effectum ſimiliter ſeu materiali cauſâ periculi exponitur: pro ſervandâ *Pauli* vitâ de vitâ ſuâ ſunt periclitati excidiſſe, Corinthi & in illo Epheſum verſus itinere, ut proximè notatum eſt *Actorum* 18. 12. *Quibus ego non ſolus gratias ago, ſed etiam omnes Eccleſiæ Gentium.* Hactenus ab effectis primùm ſalutati *Priſcilla* & *Aquila*: jam adjuncto. Tales ſunt quibus debito aguntur gratiæ: quod adjunctum

junctum ut ex effectis superioribus profluit, sic comparatione majorum tractatum est: non solus ego, sed insuper omnes *Gentium* Ecclesiæ meritò agunt gratias *Priscillæ* & *Aquilæ* pro effectis nimirum jam dictis. Quæ quidem effecta si ipsa inter se comparaveris, Prius ostendit quid egerint, nempe juverunt *Paulum* in negotio Euangelii. Alterum ostendit quo usque egerint, nempe ad ultimum suæ vitæ periculum: quo utroque nomine gratias agit *Paulus* adjutus & omnes *Gentium* Ecclesiæ quibus profuerunt in juvando *Paulum*, modo quo dictum est.

5. *Item Ecclesiam quæ in domo eorum est.* Primi qui compendio salutantur ab Apostolo, sunt domestici *Priscillæ* & *Aquilæ*: Unde patet quòd istis quanquam propter Euangelium sæpè locum mutantibus (nam Romæ erant antequam *Paulus* Corinthum venerat, *Act.* 18. 2. & cum *Paulo* hinc migrarunt Ephesum, *Act.* 18. 18. Jam in ultimâ profectione Hierosolymam Romæ sunt secundò. 2 *Tim.* 4. 19. Dum *Paulus* esset Romæ in vinculis, ipsi agunt Ephesi) quanquam, inquam, sic semper in terris peregrini fuerunt, & ut tabernacula componendo vivebant, *Act.* 18. 3. sic habitabant tabernaculis & in domo semper translatitiâ: Hinc tamen videre est quòd numerosum ipsis fuerit famulitium & domestici multi; sic ut isti duo sub Euangelio referant quadamtenus parentes suos ante Legem *Abrahamum* & *Saram* de quibus hoc ipsum refertur quòd in tabernaculis semper habitantes familiam habuerunt numerosam, *Gen.* 14. Hæc familia *Aquilæ*

&

Priſcillæ deſcribitur adjuncto: Eccleſia DEI ſunt, hoc eſt, ut multi ſervi, ſic ſervi fuerunt timentes DEUM & cum heris ſuis amplexi Euangelium; quod ipſum videre eſt in illâ ipſâ *Abrahami* familiâ, *Geneſ.* 18. 19. & in fide ſervi ſui vetuſtiſſimi, *Geneſ.* 24.

Salutate Epænetum mihi dilectum. Secundus qui nominatim ſalutatur nomine deſcribitur, & ſuâ in CHRISTO provectâ ætate, ac adjunctâ dilectione quâ ipſum diligit Apoſtolus. Nomine eſt *Epænetus*, & re ipſâ homo eſt laude dignus ut ex reliquâ deſcriptione patet: nam præterquam quod ſit Apoſtolo dilectus, inſuper eſt & primus fructus CHRISTO in Achaiâ, hoc eſt, primus qui prædicante *Paulo*, Euangelium CHRISTI in Achaiâ amplexus eſt. Primi fructus ſub Legè DEO ſacri erant; hunc itaque laudatum virum non modo ut ſibi dilectum, ſed ut totum CHRISTO conſecratum ſalutat Apoſtolus.

6. Tertio loco ſalutatur *Maria*, quæ non uno aliquo effecto ſed continua inter ſanctos vita deſcribitur: quod nimirum multum laboraverit pro ſuo loco & ſexu in propagando Euangelio: quem locum autem in Eccleſiâ habuerit, utrum vidua fuerit an opulenta & hoſpitalis fœmina: ut ſupra de *Phœbe*, id ipſum hîc de ipſâ non exprimit.

7. Quarto loco ſalutantur *Andronicus* & *Junia* qui deſcribuntur adjunctis ſuis quatuor: Primum cognati erant *Paulo* & conjuncti ſanguine. Secundò concaptivi ſocii cum ipſo in incarceratione. Tertiò magni

magni nominis erant inter Apostolos & celebres in Ecclesiâ Christianâ. Quarto priores erant *Paulo* in professione Euangelii. Quæ ista captivitas & quando acciderit *Paulo* & hisce cognatis suis simul? non ostenditur. Certum quod de incarceratione vel Hierosolymis apud *Lysiam*, vel Cæsariæ apud *Felicem* & *Festum*, non autem Romæ isthic loquitur Apostolus, nam hæc ad *Romanos* Epistola scripta fuit ante illam Apostoli captivitatem.

8. Quinto loco salutatur *Amplias*, vel ut quidam legunt, *Amphiatus*; qui suo adjuncto & causâ adjuncti efficiente describitur. Apostolo dilectus est, & causa dilectionis est communio quam cum Apostolo habet in Domino.

9. Sexto loco salutantur *Vrbanus* & *Stachys*. Uterque describitur: *Vrbanus* quidem præstito adjumento in negotio Euangelii: & *Stachys* dilectione quâ ipsum amplectitur Apostolus salutans.

10. Septimus salutatur *Apelles*, qui adjuncto describitur: quod nimirum in Christo probatus sit, hoc est, experientiâ & multiplici facto periculo cognitus sit quod sincerè Christianus. Sic enim accipio vocem δόκιμον probatum esse, sic se exponente ipso Apostolo, 1 *Corinth.* 11. 19. *Salutate vos qui sunt ex Aristobuli familiaribus.* Secundum hoc compendium est. *Aristobulum* hunc accipiendum puto principem aliquem virum gentis *Judaicæ* è cujus copioso famulitio testatur *Panius* hîc suâ salutatione aliquos Romæ amplexos Euangelium.

11. Octavus ſalutatur *Herodion* deſcriptus adjunctâ ſuâ cum Apoſtolo conſanguinitate; Cognatus Apoſtoli fuit. *Salutate qui ſunt ex Narciſſi familiaribus.* Tertium hoc compendium ſalutationis. Salutantur domeſtici *Narciſſi* non tamen univerſim omnes ut ſupra *Ariſtobuli*; ſed adhibito diſcrimine, *eos qui ſunt in CHRISTO.* Unde vult Apoſtolus ſubinnuere quod quiſquis hîc *Narciſſus*, familiam habuit bipartitam, & ſic ut quidam in eâ Chriſtiani fuerint, alii abnuerint amplecti CHRISTUM.

12. Nono loco & decimo ſalutantur fœminæ tres, *Tryphæna*, *Tryphoſa* & *Perſis*, quæ ſingulæ deſcribuntur ſuis effectis & labore in Euangelio: *Perſis* autem præter duas reliquas labore multo & multâ dilectione propter laborem ſuum deſcribitur.

13. Undecimo loco ſalutatur *Rufus* cum ſuâ matre. Uterque deſcribitur; ille adjunctâ ſelectione DEI & quòd ex profeſſionis ſinceritate cerneretur quod eſſet in DEI Electis: mater autem quod ipſa eſſet & mater *Pauli*: vel materno affectu erga Apoſtolum propter opus DOMINI in manibus ejus, vel etiam ſanguine quomodo *Andronicus*, *Junia*, *Herodion*, cognati dicuntur: ex quibus omnibus videre eſt quòd Apoſtolus *Paulus* ut aliis; ſic multis è paternâ domo fuerit DEI Miniſter ad ſalutem, & inſtrumentum boni operis.

14, 15. Duodecimo loco ſalutantur *Aſyncritus*, *Phlegon*, *Hermas*, *Patrobas*, *Hermes*, *Philologus*, *Julia*, *Nereus cum ſorore & Olympas*:

Quam

Quam utramque particularium inductionem claudit epilogo & compendio fratrum, hoc est, simul credentium in Iesum Christum. Fuerint itaque ut videntur duæ hæ classes Christianorum Romæ degentium, quomodo autem separatæ, artificio ne vivendi, an alio modo? hîc non ostenditur. Unum hoc certum est quòd omnes fuerunt in Christo juncti & professione Euangelii.

16. Hactenus sigillatim insigniores, vel compendio paucos comprehensos sanctos salutavit Apostolus. Jam communi salutatione communiter omnes salutat, eâque mutuâ, & sic ut alii alios ab ipso salutent singuli. Quæ communis salutatio primùm explicatur adjuncto modo, Deinde confirmatur exemplo pari. Quod ad modum attinet: Jubet Apostolus (alii alios salutent osculo sancto) quâ precatione per Metonymiam adjuncti pro subjecto commendat *Romanis* Apostolus sanctum & sincerum amorem veluti fundamentum & fontem omnium salutationum quibus monuit alii alios salutarent: nam osculum amoris argumentum est, & sanctum, sancti amoris in Domino. Cùm itaque pro communi amore amantium osculum præcipit, non tam ipsum signum quàm rem significatam requirit, eamque sanctam & in Domino. Ut sensus sit, salutate alii alios & vestra illa salutatio videte, profluat ab amore in Domino, seu sancto illo amore quo debemus qui Christi sumus alii alios amplecti propter eum amorem quo communiter nos omnes amplexus est Deus in Iesu Christo. Par exemplum quo sua-

det iis, alii alios mutuò ſalutent ſanctè, ab aliis ſumptum eſt CHRISTI Eccleſiis. Aliæ CHRISTI Eccleſiæ ſancto oſculo vos ſalutant, vel ſalutant vos ſalutatione profecta à ſancto amore in DOMINO, Ergo vos alii alios ſalutate pariter ſeu oſculo ſancto. Hinc duo iſta nobis notanda exhibet Apoſtolus Unum quod ipſi nunciatum quod quemadmodum in Corinthiacâ Eccleſiâ 1 *Corinth.* 1. 11. Sic interim dum iſta ſcriberetur Epiſtola, innotuiſſet Apoſtolo quod diſſidia fuerunt in Romanâ Eccleſiâ & jam exorta, & indies magis timenda ne accreſcerent ad perturbationem pacis Eccleſiæ: Deinde quòd aliarum Eccleſiarum cum DEO ambulantium exemplum unamquamque particularem Eccleſiam moveret ad cavenda diſſidia & fovendum amorem: ſic enim ab amore ſancto quo Romanam tum Eccleſiam omnes CHRISTI Eccleſiæ ſalutârunt, monet *Romanos* Apoſtolus alii alios ſalutent in DOMINO.

17. Hactenus ſalutationes fuerunt prioris generis quas claudit Apoſtolus, primùm monitione hinc ad *verſum* 20. Deinde precibus *verſ.* 20. Summa monitionis eſt, Obſervate authores diſſidiorum & declinate ab iis. Hanc monitionem amplificat Apoſtolus *verſu* hoc 17. & eandem confirmat duobus inſequentibus. *Precor vos, fratres.* Prima monitionis amplificatio à ſerio affectu & deſiderio Apoſtoli quo exoptat, *Romani* caveant ab hoc tam inſigni malo: quod deſiderium exprimitur optatione Rethoricâ quâ precatur ipſos, diſſidiorum authores obſervatos evitent *Et ſcandalorum.* Secunda monitionis

nitionis amplificatio ab effecto dissidii seu schismatis in Ecclesiâ. Effectum est scandalum, & illud duplex: tum quo multi infirmi offenduntur & impingunt; tum quo blasphematur veritas & blasphemantur veritatis professores. Utrumque hoc malum ex dissidio prorumpit, nam & infirmi sæpè abrepti à dissidiorum authoribus graviter impingunt, & qui non examinata re detestantur dissidium, sæpè etiam bonos & veritatem reptehendunt alioqui irreprehensibilem: nam nec veritas nec qui stant pro veritate in causâ sunt dissidii; Sed qui veritati insurgunt & propter veritatem vexant professores, hi sunt de quibus loquitur Apostolus authores dissidiorum ut ex tertia sua amplificatione patet. *Præter doctrinam quam vos didicistis.* Tertia est monitionis amplificatio à disparato dissidii. Doctrina quam vos didicistis aliena est à dissidio & dissidium ab ipsa alienum est & differens. Doctrinam intelligit hîc Apostolus Christi Euangelium: quod quidem non dissidiorum sed amoris doctrina est; docet enim & mundum Deo reconciliatum in Christo, & *Gentes* cum *Judæis*, & *Judæos* cum *Gentibus* in unum Christi ovile coagmentatos, sic ut nunc sub Euangelio nec sit *Judæus* nec *Græcus*, non mas non fœmina, non liber non servus, non circumcisus non præputiatus; sed omnes credentes unum sint ovile Dei in Iesu Christo. Hanc doctrinam dicit didicisse ipsos, & ab ipso: sic enim accipio hîc loqui Apostolum; nam tametsi nondum Romam venerat Apostolus, nec Romæ prædi-

caverat Euangelium, tamen qui Romæ profitebantur Euangelium dum iſta ad *Romanos* ſcribitur Epiſtola, plerique omnes alibi ipſum audiverant & ab ipſo edocti erant Euangelium CHRISTI, ut patet ex præmiſſis ſalutationibus: nam *Priſcilla* & *Aquila* & tota Eccleſia quæ in domo eorum fuit, hi audiverunt *Paulum* & Corinthi & Epheſi: quod idem judicium de reliquis ſimiliter verum eſt, nempe quod cæteri ab ipſo ſalutati, ſinguli alicubi ipſum audiverant, & per auditum fidem acceperant ut patet ex pleriſque omnium deſcriptionibus: eæ enim patefaciunt quod quos ſalutat *Paulus* in Eccleſiâ Romanâ, ii alibi *Paulo* adfuerint & ab eo in Eccleſiam collecti, ut *Maria* quod multum laboraverat erga ipſum & cæteri. Diſſidium cujus authores obſervandos & vitandos monet, διχοστασια, eſt omne diſſidium quodcunque ſuæ doctrinæ contrarium: monitio tamen oritur ab experientiâ particularis diſſidii quo vera CHRISTI Eccleſia turbata fuit omnibus diebus vitæ Apoſtoli. Hoc diſſidium illud erat quod movebatur de retinendis *Moſis* ceremoniis cum fide in CHRISTO, tanquam cum fide pariter neceſſariis ad ſalutem credentibus, ut patet ex illius diſſidii Antiochiæ deſcriptione, *Act.* 15. Hoc illud eſt diſſidium quod primùm & præcipuè monet *Romanos* ad quos ſcribit ipſi evitent, ſed experientiâ hujus diſſidii edoctus Satanæ impoſterum ſtratagemata, & quòd ipſe omni ætate militantis Eccleſiæ eſſet ſchiſmatibus & diſſidiis vexaturus CHRISTI Eccleſiam, in *Romanis* admonet univerſim univerſam Eccleſiam, ipſi

ſibi

sibi caveat ab authoribus dissidii suæ Euangelii doctrinæ contrarii: Unde licet notare quod quicunque stant pro sanâ doctrinâ Euangelii, ii nequeant esse vel authores vel sectatores dissidii, sed utrique ii sunt qui discedunt ab Euangelio.

18. *Nam qui ejusmodi sunt*, etc. Hactenus amplificatio fuit: Ratio sequitur & confirmatio admonitionis, seu causa cur *Romani* obtemperarent Apostolo admonenti. Ratio gemina est. Prior hoc *vers.* continetur, ab effecto sumpta eorum qui sunt authores dissidiorum, eoque duplici. Prius: Qui sunt ejusmodi, hoc est, authores dissensionis & schismatum, ii serviunt suo ventri, & ut alibi loquitur Apostolus, *Phil.* 1. 19. eorum deus venter est, Ergo ii observandi & vitandi sunt ab Ecclesiâ ut Idololatræ & alienum deum colentes, nempe ventrem suum. Effectum hoc amplificat Apostolus diverso. *Non serviunt Domino nostro Iesu Christo, sed suo ventri.* Quo diversorum argumento arguere vult Apostolus, quod substituant Christo ventrem suum: nam alioqui in Christo fas est Christianis, ut sua cætera, sic & ventrem sanctè curare. Unde alibi præcipit Apostolus non edat, hoc est, ventris necessitati satisfaciat seu permittatur satisfacere, qui non laborat, hoc est, qui non sanctè sollicitus est, de ventre satisfaciendo, 2 *Thess.* 3. 10. *Et per blandiloquentiam*, &c. Alterum effectum unde probat prout admonet, observandos & vitandos authores dissidiorum: seducunt corda hominum, Ergo observandi & vitandi. Hoc effectum amplificat Apostolus,

ſtolus, & adjuncto modo ſeductionis, & adjuncto eorum hominum quorum corda ſeducunt. Modus ſeductionis adjunctus eſt blandiloquentia & aſſentatio: quæ duo differunt ſic, quòd blandiloquentia, loquentis ſit ſermo ad alios habitus, eos ad malum pelliciens, aſſentatio autem ſit alieni ſermonis approbatio quâ ipſos itidem conamur ad malum pellicere. Hi itaque ſeductores, hominum corda ſeducebant & loquendo quæ cordi erant ſeductis, & approbando quæ ipſi loquebantur; utraque contraria ſuæ doctrinæ. Adjunctum eorum qui ſeducti erant notatur ab Apoſtolo dum dicit quod homines eſſent minimè mali. Hi vocantur 2 *Pet.* 2. 3. profeſſores Euangelii, nam hos alloquens, ait Apoſtolus, quòd hi ſeductores, per avaritiam, ſermonibus fictis ipſos profeſſores eſſet negotiaturi: & ibidem *verſu* 20. ii qui per agnitionem DOMINI & Servatoris IESU CHRISTI inquinamenta mundi effugerunt & rurſum ſuperati iiſdem implicantur, ſic ut ultima eorum conditio ſit priore deterior. Sunt itaque hi homines minimè mali, hypocritæ ſic profeſſi Euangelium ut & alios fallerent & ipſi de ſeſe & ſuo ſtatu fallerentur quos DOMINUS ſemini germinanti comparat quod ſtatim poſtea & exorto ſole areſcens nunquam pervenit ad meſſem filiorum DEI.

19. *Veſtra enim obedientia ad omnes pervenit.* Secunda ratio monitionis eſt ab adjunctâ famâ obedientiæ ipſorum hactenus præſtitæ Euangelio. Vis argumenti hinc, quod quo celebrior obedientia, eo famoſa

famoſa magis & majori cum ſcandalo conjuncta futura eſſet declinatio, & in partes diſſidentium defectio. Sic itaque arguit hîc Apoſtolus: quorum obedientia præſtita Euangelio pacis, celebris eſt, ii omnium maximè caverent diſſidia contraria pacî Euangelicæ: At veſtra qui Romæ eſtis obedientiæ hactenus præſtita Euangelio pacis, celebris evaſit & innotuit omnibus: Vobis igitur præ cæteris cavenda ſunt diſſidia & diſſidiorum authores vitandi. Propoſitio manifeſta. Aſſumptio exprimitur principio hujus *verſus* 19. quam amplificat Apoſtolus adjuncto ſuo gaudio tanquam effecto & fructu obedientiæ ipſorum celebratæ verbis proximè ſequentibus. *Gaudeo igitur quod ad vos attinet, ſed volo ſapientes*, &c. Epanorthoſis eſt & quædam quaſi correctio ſui gaudii quâ obviam it objectioni quæ oriri potuit ex illâ ſui gaudii profeſſione. Si nos tales ſumus de quibus tibi gaudium, quorſum monitio? Cur calcar additur currenti equo? Reſpondet per diverſa: quanquam de vobis gaudium capio, tamen ita ut velim permaneatis, & ſapientes & innocentes. Corrigit igitur profeſſum gaudium ſuperſtite & permanente apud ipſum deſiderio ut permaneat ſibi ab ipſis gaudii materia: quam duabus partibus comprehendit. 1. Sapientia. 2. Innocentia; quam utramque illuſtrat Apoſtolus ſuis ſubjectis, quibus utramque quaſi definit: ſapientiam poſtulat in rebus bonis; innocentiam à reatu in malis, adeo ut ſi definire voluerimus. Sapientia eſt, definiente Apoſtolo, ſcientia ambulandi cum Deo in

rebus

bus bonis, Innocentia autem immunitas à facto & reatu ambulantium in rebus malis: quam utramque definitionem Apoſtolus alibi paucis exprimit dum commendat Eccleſiæ, ipſa in ſpiritu incedat nec curam habeat cupiditatum carnis ut eas adimpleat, *Rom.* 8. 1. & 13. 14.

20. Altera pars clauſulæ priorum ſalutationum ſequitur, & preces ab Apoſtolo conceptæ pro ipſis quarum duæ partes: Una adverſus hoſtem poſtulatio, Altera poſtulatio eſt præſentiæ DEI: quibus duabus poſtulationibus, paucis comprehendit quicquid ipſis commodum, quicquid neceſſarium pro iis efferendis & ſuſtentandis durante militiâ & ad finem uſque ipſius. *DEUS autem pacis Princeps conterat ſatanam ſub pedes veſtros citò.* Hoſtem nominat ſatanam: quo uno nominato omnes comprehendit hoſtes Eccleſiæ, nam quicunque Eccleſiam infeſtant, ii ſunt vel Satan ipſe, vel ab ipſo immiſſi: id quod patet ex primâ ſpiritualis belli denunciatione, in quâ dicitur quòd ſerpens & ſerpentis ſemen ii ſunt, & ii omnes, qui futuri eſſent hoſtes & exercerent inimicitias adverſus mulierem ſingularem illam, nempe Eccleſiam DEI & ſemen ipſius, tum primogenitum, tum in ipſo reliquum. Prima igitur poſtulatio hæc: DEUS proterat & pedibus veſtris ſubjiciat ſerpentem & ſerpentis ſemen, ſatanam & omnes qui ab ipſo vobis hoſtes ſunt. Hæc poſtulatio promiſſioni nititur quæ fit primogenito mulieris, *Sede ad dextram meam, donec poſuero hoſtes tuos ſcabellum pedum tuorum.* Quam promiſſionem Apoſtolus hîc in primo-

primogenito extendit ad semen reliquum, & precatur, Deus subjiciat ut Christo, sic iis qui in Christo Satanam; sic ut reddatur Satan cum suis, scabellum pedum sanctorum Dei. Hæc prima postulatio est pro quâ intelligenda, observanda hæc sunt in Apostolo. Primò quod per Satanam designet potissimùm dissidiorum authores quasi primos Satanæ satellites & à Satanâ immissos in Ecclesiam, & hoc facit exemplo sui Domini qui cùm *Petrum* perversa consulentem Satanam nominaverit, *Matth.* 16. 23. multò magis Apostolus falsos fratres perversè pervertentes Ecclesiam posset Satanam appellare; id quod facit sapientissimè & duplici nomine. Primùm enim nominatione Satanæ excitat sanctos, ad quos scribit, ad cavendum ab illis dissidiorum authoribus & falsis fratribus qui urgebant *Mosen* & ejus ceremonias cum fide conjungendas ad salutem, non minus quàm caverent sibi ab ipso Diabolo. Deinde sapienter evitat accusationem ipsorum falsorum fratrum qui nequiverant eum insimulare quanquam in hoc postulato precabatur adversus ipsos directè. Observandum secundò quod in hâc precatione Deum Ecclesiæ nominet, Deum pacis ipsius: & istud quidem sapientissimè quoque, sic enim ostendit Ecclesiæ Romanæ, fieri non potuisse, ipsa daret locum dissidiorum authoribus ut Corinthiaca dedit; quin amittat suam pacem quam in Deo habuerat, quemadmodum & ipsa Corinthiaca quæ cum receptione falsorum fratrum repleta est dissidiis & in eâ potissimùm ministerii parte quæ potissima fuit tessera pacis

cis ipſorum in DOMINO, nempe in Cœnâ DOMINI miniſtrandâ. Tertio loco obſervandum eſt temporis adjunctum. Apoſtolus precatur proterat Satanam ſub pedes ipſorum & quidem citò: quo temporis adjuncto & zelnm ſuum oſtendit pro liberandâ CHRISTI Eccleſiâ à tam periculoſâ peſte falſorum fratrum & authorum diſſidii, ac inſuper conſolatur eos exſpectatione ſtatim ſuperventuræ liberationis; ut quam ipſe in fide poſtulaverit & certò exſpectaverit à DEO ſuo in CHRISTO. *Gratia Domini*, &c. Secunda pars precum. Precatur iis gratiam quaſi DEI armaturam ad reſiſtendum malo & ſeſe opponendum diſſidii authoribus. Gratiæ igitur appellatione hoc in loco intelligo, omne illud quo DEUS ſuos inſtruit & armat ad malo reſiſtendum & mali authoribus. Gratiam vocat, quia quemadmodum pacis beneficia gratis dantur in DOMINO gratiæ, ſic ipſa hæc cæleſtis armatura & virium ſuppeditatio adverſus mala imminentia, gratuita eſt & in IESU CHRISTO. *Amen*. Utramque precationis ſuæ partem amplificat novo & juncto poſtulato quo precatur, utraque ſua petitio ante dicta rata ſit & à DEO exaudiatur in CHRISTO.

21. Sequuntur ſalutationes alterius generis & quibus alii à *Paulo* ſalutant Romanam Eccleſiam tribus *verſ.* quas ſimiliter ſalutationes claudit Apoſtolus *verſ.* 24. & tribus ſequentibus precatione & gratiarum actione.

Verſu 24. eſt precatio, quâ gratiam CHRISTI ſuppliciter petit omnibus, ad quos ſcribit, *Romanis*.

Verſibus tribus ſequentibus eſt δοξολογια.

Verſu

Vers. 25. est descriptio DEI, à potentiâ suâ magnâ; quæ potentia est stabiliendi in fide. Solus enim DEUS, qui fidem dat, & eam operatur in cordibus nostris, eandem stabilire potest. Hæc potentia amplificatur subjecto [*vos*] & instrumento, Euangelio, quod ex variâ dispensatione illustratur. Primò tectum fuit & velatum Euangelii mysterium, quod ostenditur adjuncto temporis: ab initio mundi, usque ad Novum Testamentum: Deinde retectum fuit & revelatum sub Testamento novo. Hæc autem revelatio explicatur objecto: omnibus Nationibus; Instrumento: per Scripturas Propheticas; Causâ principali: DEO mandante; Et fine: ad obedientiam fidei.

Versu 27. est ipsa δοξολογια. *Laus sit DEO.* DEUS autem describitur ex adjuncto proprio, *Soli sapienti.* Et ut hæc gratiarum actio accepta sit DEO, in Nomine Mediatoris offertur. Nullæ preces, nullæ gratiarum actiones acceptæ esse possunt DEO, nisi per CHRISTUM Mediatorem. Postremò hæc δοξολογια sigillatur voce *Amen*, quæ fidem notat, vel desiderium. Ita futurum est, ita opto esse.

FINIS.

Errata Typographica

Indocto Lectori pauca aut nulla erunt, Doctus calamo, priusquam legat, hæc corrigere potest.

PAg. 3. Apostolus pro Apostoli.
Pag. 12. Variæ pro variè.
Pag. 15. fecere pro facere.
Pag. 18. Dele duas notas parentheseos.
Pag. 19. s. pro r.
Pag. 30. Pro proximi lege proximam, &c.

las